EXAMEN CENSURÆ:

Sive

RESPONSIO

Ad quaſdam

ANIMADVERSIONES,

Antehac ineditas,

In Librum cui Titulus

HARMONIA APOSTOLICA, &c.

Bull (G.) Bishop of S. David's

Per Georgium Bullum *Anglicanæ Eccleſiæ Presbyterum.*

Acceſſit

Apologia pro *Harmonia* ejúſque Authore contra Declamationem *Thomæ Tullii* S. T. P. in Libro nuper Typis evulgato, quem *JUSTIFICATIO PAULINA*, &c. inſcripſit.

Per eundem.

LONDINI,
Typis *Eliz. Fleſher.* Proſtant apud *Richardum Davis*, Bibliopolam Oxonienſem. 1676.

Imprimatur

Hic Liber cui Titulus, *Examen*, &c.

Antonius Saunders Reverendiſſimo
Archi-Epiſcopo *Cant.* à Sacris
Domeſticis.

Ex Ædibus *Lambethanis*
Octob. 16. 1675.

Ad Lectorem.

JAm ferè ſeptennium eſt, Lector humaniſſime, ex quo in lucem edidi Diſſertationes duas, de Conciliatione Apoſtolorum *Pauli* & *Jacobi* ſuper Juſtificationis Articulo, quibus *Harmonia Apoſtolica* Titulum feceram. Circiter annum autem (ſi memini) poſtquam Liber evulgatus eſt, venit ad manus meas exemplar ejus unà cum Animadverſionibus ad libri marginem, manu Theologi cujuſdam, mihi tum prorsùs ignoti, ſcriptis, annexis etiam ad calcem Libri ſchedis quibuſdam, quæ Animadverſiones itidem, ab eadem manu profectas, continerent. Cæterùm ille Theologus ſuas iſtas Animadverſiones non ad me directè tranſmiſit; ſed priùs ipſas Reverendiſſimis quibuſdam Eccleſiæ noſtræ Præſulibus communicandas curavit: datis ſimul ad eoſdem literis, quibus μάλα τραγῳδῶς (tanquam *Hannibal* eſſet ad portas) de nobis, neſcio quibus, & perniciosiſſimis, adeóque Decretis Eccleſiæ *Anglicanæ* Reformatarúmque omnium contrariis, dogmatibus, à me aſſertis, conqueſtus eſt: optimóſque Patres porrò vehementer hortatus eſt, ut tanto malo támque ingenti ſcandalo maturè obviam irent, ſuámque authoritatem opponerent. Ab eorum uno (is fuit Reverendus admodum Pater ac Dominus *Gulielmus Nicholſonus* nuper *Glouceſtriæ* noſtræ Epiſcopus, (jam ἐν τοῖς μακάρεσι·) cujus nomini Diſſertationes meas conſecraveram) tandem miſſus eſt ad me Liber, notis marginalibus onuſtus, unà cum chartis illis annexis.

old Gataker's put out by Harison.

Perlectis Animadverſionibus, poſt paucos menſes (ſcil. horis ſubciſivis, útque per alia negotia liceret) ad eas Reſponſionem, quam nunc publici juris facio, conſcripſi præfato Reverendo Præſuli, & quibus ipſe vellet communicandam. Sed cùm iſta primùm (pro more) feſtinante calamo, & characteribus, vix poſteà à meipſo abſque memoriæ ope legendis, exarâſſem; non potui ſtatim à meipſo impetrare, ut nitidiùs ea deſcribendi penſum (quo laboris genere haud aliud mihi moleſtius eſſe ſolet) ſuſciperem: præſertim cùm non inſtaret mihi Antiſtes Reverendus, ut id facerem; (utpote qui ſæpiùs profeſſus eſt, ſe Animadverſiones iſtas haud magni feciſſe) aliis ipſe ſtudiis tum intentus eſſem. Intereà autem temporis vitâ ceſſit, atque ad Beatorum ſedes migravit Sanctus ille Præſul, dulce decus & præſidium noſtrum: quo mortuo, omnem deinceps ſchedas iſtas deſcribendi, nedum in publicum emittendi, curam abjecimus.

Verùm exeunte ante annum, & quod excurrit, Reverendi viri *Thomæ Tullii* S. T. P. Libro, *Juſtificatio Paulina* inſcripto, & in me propriè directo; poſtquam diu me ceſſantem vehementer urſiſſent amici quidam pii & docti, ut reſponſum aliquod ad librum ederem; cœpi tandem de neglectis chartis deſcribendis & expoliendis denuò cogitare. Nimirum videbam, in Libro Doctoris, ſi demas partem ejus declamatoriam, & *diſſertatiunculam* annexam, de ſententia *Pauli* in cap. 7. ad *Rom.* nihil ferè reliquum fore, cui jam in *Examine* Animadverſionum iſtarum non eſſet ſatisfactum. Quare viſum eſt Examen illud præmittere; deinde ipſi ſubjungere *Apologiam* contra declamatoria iſta viri Reverendi, quæ & reſponſum ad annexam ejus diſſertatiunculam contineret.

neret. Quòd autem *Apologia* noſtra ſeriùs ac non niſi poſt mortem D. *Tullii*, cui oppoſita eſt, in lucem prodierit, id partim diutinæ hæſitationi noſtræ, an reſponſum aliquod omnino reddendum eſſet; partim tædio deſcribendi Examen, quod præmittendum duxeram; partim denique (& præcipuè) operarum moræ in eo ipſo Examine imprimendo imputandum eſt. Equidem haud mihi volupe erat cùm mortuis confligere, nedum eorum cineri inſultare; imò alieniſſima eſt à moribus noſtris iſta barbaries. Hinc, quamprimùm de morte Viri Reverendi inaudieram, ejus manibus parcere cupiens, è ſchedis Apologiæ noſtræ nondum impreſſis non pauca in ipſum acriùs dicta (cùm vera eſſent, & nimìs neceſſaria quibuſdam amicis meis viſa, tamen) delenda curavi; plura lubens deleturus, ſi abſque graviſſima (non mea dicam, ſed) veritatis injuria id fieri potuiſſet. Sed illud M. *Baſilii* in mentem veniebat Epiſt. 63. ad *Neocæſarienſes*: χρὴ πρὸς τὰς διαβολὰς μὴ ἀποσιωπᾶν, ἐκ ἵνα τῆς ἀνηλογίας ἡμᾶς αὐτοὺς ἐκδικῶμεν, ἀλλ' ἵνα μὴ συγχωρήσωμεν εὐωδωθῆναι τῷ ψεύδει, καὶ τοὺς ἠπατημένους μὴ ἐναφῶμεν τῇ βλάβῃ. i. e. *Ad calumnias tacendum non eſt, non ut contradicendo nos ipſos ulciſcamur, ſed nè falſo in offenſum progreſſum permittamus, aut eos qui ſeducti ſunt, damno quo afficiuntur, inhærere ſinamus.*

Illud porrò monendum, *Appendicem ad Examen Animadverſionis* 17^mæ. à me nuper ſcriptam, ſeu potiùs ex aliis chartis meis deſcriptam fuiſſe, atque eo conſilio ibi additam, ut D. *Trumanno* occurrerem, qui Anglicè edidit adverſus me Librum, *Conatus corrigendi invaleſcentes quaſdam opiniones doctrinæ Eccleſiæ Anglicanæ contrarias* inſcriptum. Quiſquis autem appendicem illam diſſertationem unà cùm reſponſionibus noſtris ad Animadverſiones 18, 19, 20, 21, 22,

22, 23. attentè legere, & cum D. *Trumanni* Libro conferre non gravabitur, is facilè perſpiciet (niſi me fallit conjectura) ipſa Libri Fundamenta à me jam everſa eſſe. Quòd ſi tamen viros pios & eruditos refutationem ejus pleniorem à nobis requirere intellexerimus, ipſam, cùm paratam jam habeamus, confeſtim dabimus.

Quòd autem ad molem, quam vides, excreverit hæc defenſio noſtra, doleo equidem; ſed quo pacto tamen id incommodi effugerem, planè neſciebam. Cùm enim multa ab Adverſariis contra veritatem, quam defendimus, vehementer objicerentur, aut ſilendum prorsùs erat, aut multa itidem reponenda. Ex iis verò, ad quæ reſpondeo, ſi Doctioribus quædam levioris eſſe momenti adeóque refutatione vix digna videbuntur, integrum eſt ipſis ea præterire & negligere. Interim cogitent illi velim, ex Lectoribus meis non paucos fortaſſe futuros, quibus vel minutiora iſta non minimum injiciant ſcrupulum. Horum infirmitati volui, etiam cum exiſtimationis meæ jacturâ apud delicatioris faſtidii Legentes, conſulere.

Cæterùm dum hæc noſtra ſub prælo erant, prodiere *Joannis Tombs Beudlienſis Angli* in Harmoniam noſtram *Animadverſiones*: opuſculum, in quo Authoris confidentia cum inſcitia ità certare videtur, ut utra ſuperior ſit, difficile dictu. Non eſt autem quòd ſibi metuat Author ille à *Bulli cornibus & inſultibus*; (* ipſius ſunt facetiæ, quas Exteri quidem vix intelligant, ridebunt verò Noſtrates) ſiquidem *Bullus* animalia iſtiuſmodi oblatrantia contemnere dudum didicit. Verùm ut ſeriò agam in re ſeria, viri illius vicem me miſeret, qui, dum in alieno opere tam importunè curioſus eſt, quæ ipſe contra morem Infantes Chriſtianorum baptizandi, in Eccleſia Catholica

* p. 81. & p. 226.

tholica ubique receptum, protervè nimìs ſcripſit, poſt tot annos, à viris etiam doctis totiès refutatus, recognoſcere & retractare neglexerit. Ut ſua tandem curet, ut quantum apud Noſtrates Anabaptiſticæ Factionis nefarium ſchiſma & hæreſim ſcriptis ſuis promoverit, ſeriò ſecum cogitet, ac de graviſſimo peccato tempeſtivam agat & condignam pœnitentiam, ex animo precor & exopto.

Quod unum reſtat, te, Lector benevole, rogatum velim, ut in hiſce noſtris legendis & dijudicandis, depoſito præjudicio & Partium ſtudio, candorem, qui hominem Chriſtianum decet, adhibeas.

Vale.

EXAMEN

BRITISH
15 JY 82
MUSEUM

INDEX
Titulorum & Materiarum
IN
EXAMINE.

Præfatio Animadverſoris cum Examine. *p.* 1. *ad p.* 5.

Reſponſio ad Animadverſ. 1.

[*Contra Animadverſorem multis oſtenditur, rationi longè convenientius eſſe, ut* Paulum *ex* Jacobo, *quàm* Jacobum *ex* Paulo *interpretemur.*] p. 5. uſque ad p. 14.

Reſponſ. ad Animadverſ. 2.

[*Phraſis, fides formata, contra Animadverſorem defenditur. Ex profeſſo tractatur quæſtio, An Caritas forma fidei juſtificæ rectè dicatur?*] p. 14. uſque ad p. 21.

Reſponſio ad Animadverſ. 3.

[*Eventilatur quæſtio, An notio Juſtificationis Evangelicæ neceſſariò includat præmii imputationem, ſive acceptationem hominis ad vitam ac ſalutem æternam? Vel, An collatio juris ad regnum cœleſte ſit propriè actus Juſtificationis Evangelicæ?*] p. 21. uſque ad p. 28.

INDEX.

Reſponſ. ad. Animadverſ. 4.

[*Oſtenditur, à Cenſore fidei ἐνέργειαν juſtitiæ cauſalem novè & periculosè tribui.*] p. 28, 29.

Reſponſ. ad Animadverſ. 5.

[*Paraphraſis noſtra loci* Act. 10. v. 34, 35. *contra Animadverſorem defenditur.*] p. 29. uſque ad p. 33.

Reſponſ. ad Animadverſ. 6.

[*Interpretatio noſtra loci* 1 Pet. 1. v. 2. *authoritate* Eraſmi, Eſtii, *adeóque* Calvini *adſtruitur.*] p. 33, 34.

Reſponſ. ad Animadverſ. 7.

[*Controverſia inter Harmoniæ Authorem & Animadverſorem ad hæc quatuor capita revocatur: 1. An detur conditio aliqua, propriè ſic dicta, Fœderis Evangelici, quæ non ſit etiam Juſtificationis Evangelicæ conditio? 2°. An dato, Fœderis & Juſtificationis Evangelicæ conditionem eſſe poſſe diverſam, certum tamen non ſit, fidem & pœnitentiam unius ejuſdémque beneficii, putà Juſtificationis Evangelicæ, conditiones eſſe? 3°. An remiſſio peccatorum Juſtificationis Evangelicæ notioni ipſam, ſive definitioni, ingrediatur? Vel, An notio Evangelicæ Juſtificationis in ſe neceſſariò includat remiſſionem peccatorum? 4°. An dato, remiſſionem peccatorum in Juſtificationis Evangelicæ notione non neceſſariò includi, certum tamen non ſit, utriuſque beneficii, nempe tum remiſſionis tum Juſtificationis Evangelicæ, conditionem prorſùs eandem eſſe? Quæſtiones ſigillatim & propoſito ordine diſcutiuntur.*] p. 34. uſque ad p. 54.

Reſponſ. ad Animadverſ. 8.

[*Diſtinguuntur opera pœnitentiæ interna ab externis, & oſtenditur contra Cenſorem, opera pœnitentiæ interna eſſe*

esse etiam ad Justificationem primam absolutè necessaria.] p. 55, 56.

Respons. ad Animadvers. 9.

[*De Fidei instrumentalitate in Justificationis negotio fusè agitur.*] p. 56. usque ad p. 64.

Respons. ad Animadvers. 10.

[*Hallucinatio Censoris, in verbis meis* (*Harm. Apost. Dissert.* 1. *cap.* 3. §. 3.) Nostratium Theologorum Plerique *interpretandis, notatur.*] p. 64. ad p. 67.

Respons. ad Animadvers. 11.

[*Animadversoris sententia, de imputatione justitiæ Christi, quàm absurda adeóque periculosa sit, ostenditur. Nimirùm imputatio, quam defendit,* 1°. *consistere non potest cum remissione peccatorum ex parte Dei:* 2°. *cum pœnitentiæ ex parte nostrâ necessariâ postulatione est omninò ἀσύστατος:* 3°. *omnem etiam ipsius fidei necessitatem, ad Justificationem impetrandam, tollit funditùs; eâque positâ, prorsùs necessariò sequitur, Justificationem hominis fide ipsius priorem esse:* 4°. *Denique Catholicam doctrinam, de universali propitiatione pro totius mundi peccatis per Christi mortem factâ, quâ nititur Evangelii præconium, penitùs evertit. Ad loca Scripturæ, quæ pro istâ imputatione afferri solent, respondetur. Probatur, justitiam inhærentem, propriè dictam, à Censore nullam agnosci.*] p. 67. usque ad fin. p. 83.

Respons. ad Animadvers. 12.

[*Argumentum nostrum contra Solifidianos; Quisquis à Deo per Christum justificatur, per Legem Christi absolvitur; at solâ fide sine operibus nemo per Legem Christi absolvitur, &c. à Censoris exceptionibus & cavillis vindicatur.*] p. 84. usque ad p. 92.

Reſponſ. ad Animadverſ. 13.

[*Sententia Animadverſoris, ſtatuentis, fidei juſtificæ primarium actum, ſive rationem formalem, eſſe fiduciam ſtrictè ſic dictam, abundè refellitur. Vera & Catholica doctrina, de fide & fiduciâ Chriſtianâ, quatuor theſibus, ſive concluſionibus luculentis proponitur.*] p. 92. uſque ad p. 116.

Reſponſ. ad Animadverſ. 14.

[*Aſtruitur contra Cenſorem argumentum noſtrum, ab illo Dei proceſſu, quo in hominibus judicandis uſurus eſt in die ultimi judicii, quod ſic habet: quomodo quiſque in futuro ſæculo à Deo judicabitur, eodem planè modo in hac vita à Deo Juſtificatur; atqui ex operibus (non fide ſolâ) quiſque in futuro ſæculo à Deo judicabitur: ergò, &c. Oſtenditur diſtinctionem Cenſoris inter jus ad rem & jus in re, prout huic quæſtioni accommodatur, frivolam & inanem eſſe.*] p. 116. uſque ad p. 125.

Reſponſ. ad Animadverſ. 15.

[*Placæi & Animadverſoris Apoſtolos* Jacobum & Paulum *conciliandi methodus accuratiùs examinatur, & cum noſtrâ conferitur,*] p. 125. uſque ad p. 136.

Reſponſ. ad Animadverſ. 16.

[*Sententia noſtra, nempe, Fidem, cui Juſtificatio in Scripturis tribuitur, ſenſu complexo accipi, & ſpem, charitatem, bonáque opera complecti, contra Cenſorem defenditur. Illuſtris Huldrychi Zuinglii locus pro iſtâ ſententiâ adducitur.*] p. 106. uſque ad p. 146.

Reſponſ. ad Animadverſ. 17.

[*Oſtenditur, quàm abſurda ſit Cenſoris reſponſio ad ea, quæ (Harm. Apoſt. diſſert. poſter. cap. 7.) de lege perfectæ obedientiæ diſſerui.*] p. 146. uſque ad p. 149.

Appen-

INDEX.

Appendix ad Examen Animadverſ. 17.

[*Fusè diſceptatur hæc quæſtio, An Deus* Adami *lapſi poſteris legem abſolutiſſimæ virtutis unquam impoſuit? Explicatur ſtatus quæſtionis, Vera & Catholica ſententia ſuper hâc quæſtione ſeptem Theſibus proponitur.*] p. 149. uſque (ad 173.

Reſponſ. ad Animadverſ. 18.

[*Dictum Pſeudo-*Ambroſii, *ab Harmoniæ Authore citatum, veri* Ambroſii *&* Auguſtini *ſuffragiis contra Animadverſorem defenditur.*] p. 173, 174.

Reſponſ. ad Animadverſ. 19.

[*Multis probatur, Apoſtolum, cum per legem* Moſaicam *Juſtificari poſſe hominem peccatorem negat, non hoc argumento pugnare, quòd lex iſta perfectiſſimam atque abſolutiſſimam virtutem, quæ à nemine, ne per eam quidem Dei gratiam, quæ in Evangelio promittitur, præſtari poſſit, tanquam conditionem Juſtificationis poſtulet: ſed alio prorsùs fundamento niti, nempe, quòd in eâdem lege (ſub κάτω illâ, quâ ab ipſo conſideratur) nulla omninò vera Juſtificatio, ſive peccatorum remiſſio, quæ ultra hanc vitam ſpectat, ſub quâvis conditione concedatur.*] p. 175. uſque ad p. 190.

Reſponſ. ad Animadverſ. 20.

[*Expenduntur Cenſoris ratiunculæ contra ea, quæ in altero Apoſtoli Argumento explicando (ab infirmitate legis* Moſaicæ, *ad hominem à peccati dominio liberandum, deſumpto) ab Harmoniæ Authore diſſeruntur.*] p. 190. uſque ad p. 194.

Reſponſ. ad Animadverſ. 21.

[*Dictum Authoris Harmoniæ; Non potuiſſe legem* Moſis, *quæ nihil ultra hanc vitam boni promiſerit, ſtudium virtutis ar-*

dens, conſtans, indefeſſum in hominibus efficere; à Cenſoris Cavillis vindicatur. Oſtenditur, ſententiam illam, quæ ſtatuit, vitam æternam in veteri Teſtamento promitti, in Pelagio olim à Catholicis damnatum fuiſſe.] p. 194. uſque ad p. 200.

Reſponſ. ad Animadverſ. 22.

[*Dictum Authoris Harmoniæ; Legem* Moſis, *eo ipſo quòd promiſſa & minas tantùm temporales contineret, ad ingenerandum hominibus genium atque ingenium humile ac ſordidum, atque à vera ac genuina pietate planè alienum, aptam natam fuiſſe; explicatur, atque authoritate B.* Auguſtini, *adeóque* Pauli *Apoſtoli defenditur. Objectioni occurritur.]* p. 200. uſque ad fin. p. 204.

Reſponſ. ad Animadverſ. 23.

[*Evidentiſſimo argumento probatur, Harmoniæ Authorem verum ac genuinum ſenſum Eccleſiæ Anglicanæ in Art.* 11°. *agnoſcere. Senſus, quem Articulo affingit Animadverſor, ut interpretationi ab ipsâ Eccleſiâ Anglicanâ traditæ, necnon S. Scripturæ, & rectæ rationi è diametro repugnans meritò rejicitur.]* p. 205. uſque ad p. 211.

Epilogus. p. 211, 212.

INDEX

INDEX
Titulorum & Materiarum
IN
APOLOGIA, &c.

P*Ræfatio*, p. 1. ad p. 4.

Sectio 1. ad Libri Titulum.

[*Novatæ Religionis invidia, quâ in Libri inſcriptione Adverſarios ſuos gravare voluit D.* Tullius, *amovetur. Popularia convitia, de Papiſmo & Sociniſmo, quibus novatores, quos vocat, paſſim in libri corpore proſcindit, clarè refelluntur.*] p. 4. uſque ad p. 17.

Sectio 2. ad Libri Præfationem.

[*D.* Tullii *rhetoricatio, in ipſo Libri initio,* ἀπροσδόκητος. *Immeritò D. T. illos reprehendit Theologos, qui à lite, quam ipſe contra Harmoniæ Authorem tanto fervore intendit, abſtinendum cenſuere. Divinæ veritatis magnalia, pro quibus D. T. tantopere digladiandum cenſuit, partim meræ ſunt* λεπτολογίαι, *partim dogmata pernicioſa, à quibus Chriſtianorum aures abhorrent. Tragicus D. T. ſermo, quem in Harmoniſtam aliósque ſuos Adverſarios intonat, refellitur. Fruſtrà prætendit D. T. ſe in hujus conrtoverſiæ arenam perinvitum deſcendiſſe. Legem, quam Adverſariis ſuis ſtatuit, ipſe non ſervat.*] p. 17. uſque ad fin. p. 23.

Sectio

Sectio 3. ad Cap. 1. de Statu Quæstionis.

[*Malè à Doctore* τὸ κεφάλαιον *controversiæ definitur. Status Quæsiti genuinus luculenter explicatur.*] p. 24. usque ad fin. p. 36.

Sectio 4. ad Cap. 2. de Patrum sententia.

[*Falsò à D.* T. *tribuitur Harmoniæ Authori, quòd scripserit, Patres plerosque omnes ante* Augustinum *pro justitiâ operum ad ipsius castra transire. Ad Patrum tamen tribunal lubens appellat Harmoniæ Author. Illud generatim de Patribus statuendum, in locis illis omnibus, ubi Justificari hominem ex sola fide docent, loqui ipsos non de fide simplici virtute, sed de fide sensu complexo acceptâ, sive de fide formatâ, ut opponitur vel,* 1. *operibus externis, sive actuali operum justitiæ; vel,* 2. *operibus Legis naturalis, ante & citra cognitionem, fidem & gratiam Evangelii præstitis; vel,* 3. *operibus Legis* Mosaicæ; *vel denique operibus quoviscunque nomine meritoriis. Ad testimonia* Irenæi, Origenis, Cypriani, Hilarii, *M.* Basilii, Ambrosii, Chrysostomi, Augustini *particulatim respondetur.*] p. 37. usque ad fin. p. 47.

Sectio 5. ad Cap. 3. de Ecclesiæ Anglicanæ judicio.

[*Triplex D.* Tullii *fraus notatur, nempe, quòd decretum Ecclesiæ Anglicanæ in Art.* 11. *non integrum recitet; deinde quòd de fusiori illâ articuli explicatione, in Homilia de salute hom. traditâ, ad quam filios suos amandat Ecclesia in ipso articulo, quámque pro se allegaverat Harmoniæ Author, totus sileat; denique quòd ad Homiliæ quasdam lacinias, eásque haud bonâ fide ab ipso versas, suisque adeò interpretamentis miserè depravatas, Lectorem remittat. Ad loca ex Homilia de salute hom. ab ipso adducta respondetur. Nostra Articuli explicatio illustri testimonio Theologi perillustris* Richardi Feildi *confirmatur.*] p. 48. usque ad fin. p. 62.

Sectio

Sectio 6. ad cap. 4. de Eccleſiarum Exterarum, quæ Reformatæ audiunt, judicio.

[*Dictum Authoris Harmoniæ, Reformatarum Eccleſiarum confeſſiones omnes, vel certè earum primas ac nobiliſſimas, à ſuis partibus ſtare, contra* D. Tullium *defenditur. Fruſtrà reprehendit* D. T. *Harmoniæ Authorem, quòd confeſſionem Auguſtanam omnium Reformatarum nobiliſſimam appellaverit, quódque dixerit, primos Reformationis noſtræ Authores Confeſſionem illam ſecutos, ſive imitatos fuiſſe. Probatur contra* D. T. *ab* Auguſtanis *doceri, veram pœnitentiam omninò neceſſariam eſſe ad hominis Juſtificationem. Locus è confeſſione* Wittenbergicâ, *ab Harmoniæ Authore citatus, illuſtratur. Verba nobilis confeſſionis Argentinenſis à* D. T. *interpretamento alieno vindicantur.*] p. 63. uſque ad fin. p. 72.

Sectio 7. Epilogum continens ad Sectiones præcedentes.

[*Accuſatio* ἑτεροδοξίας *in Doctorem retorquetur. Oſtenditur,* D. T. *in nonnullis Chriſtianæ doctrinæ capitibus, maximi momenti, claris Eccleſiæ Anglicanæ, aliarúmque Reformatarum nobiliorum, adeóque Catholicæ definitionibus omninò repugnare. Quatuor præcipuè acatholica ipſius dogmata notantur; nempe,* 1. *pœnitentiam, ſeu veram de peccatis contritionem, nullatenùs ad primam Juſtificationem obtinendum eſſe neceſſariam:* 2. *Continuationem, ſive conſervationem Juſtificationis noſtræ, jam per ſolam fidem adeptæ, neutiquam pendere ex conditione operum bonorum, in poſterum à nobis faciendorum:* 3. *non poſſe hominem, qui fide Juſtificâ ſemel imbutus eſt, ab eadem penitùs deficere, atque æternùm perire:* 4. *Chriſtum ſatisfeciſſe, ſéque in cruce obtuliſſe pro ſolis Electorum peccatis.*] p. 73. uſque ad p. 113.

Sectio 8. ad reliqua Capita.

[*Notantur mira quædam Doctoris Sophiſmata. Falsò objicitur à* D. T. *Harmoniſtæ ſociiſque ejus, quòd ipſis Solifidiani ſint*

Patres, Anglicana Ecclesia, & Reformatæ omnes. Solifidianissimi tamen meritò arguitur D. Tullius. *Convitium, quod facit Harmonistæ, nempe, Scenæ ipsum servire contra veritatem, clarè refellitur. Contra D.* T. *defenditur argumentum quoddam Authoris Harmoniæ, quod sic habet: Quatenùs* Paulus *opera ritualia & externa, ut non necessaria rejicit, eatenùs opera spiritualia & interna ut necessaria admittit: sed opera ritualia rejicit ut non necessaria ad Justificationem, &c. Ingenua Harmonistæ confessio, nempe, Harmoniam à se admodum Juvene conscriptam fuisse, parùm ingenuè à D.* T. *exagitatur. Loca quædam ex Harmoniâ, malâ fide à D.* T. *citata, notantur. Ad totum institutum capitis undecimi Justif. Paul. in quo probare nititur D.* T. *nostram de Justificatione doctrinam cum Pontificiâ peramicè conspirare; paucis respondetur. Criminatio in Doctorem rejicitur, atque ostenditur, D.* Tullii *de Justificatione sententiam cum Pontificiorum, in eo quod maximè Pontificium est, peramicè conspirare. Vindicatur Harmonistæ argumentum, quo probaverat,* Jacobum *non tantùm fucatæ, sed & veræ fidei solitarium Justificandi officium detrahere, quod sic habet: Fides ea, quæ in* Abrahamo *erat, proculdubiò vera erat fides, non fidei larva; at fides ipsa* Abrahami *sine operibus ipsum Justificare non valuit, &c. Falsò Harmonistæ ἀνηλογία objicitur. Egregia Doctoris calumnia, cum insigni fraude conjuncta, notatur.* Bellarmini *sententia, de merito bonorum operum, cum Harmonistæ confertur.*] p. 113. usque ad p. 128

Sectio 9. ad Dissertatiunculam de sententia *Paulinæ Rom.* 7. à Comm. 14.

[*Frustrà prætendit D.* T. 1. *Harmoniæ Authorem in hujus capitis interpretatione non admodum multos ex veteribus sibi suffragantes habere: 2. Harmonistæ adversari penè, si non planè, omnes Patres post Pelagium: 3. Unum tantùm & alterum Theologum Neotericum eximium sententiæ nostræ favere. Quàm liquidò falsa sint hæc omnia ostenditur. Præter* Irenæum, Tertullianum, Cyprianum, Macarium, Basilium, Maximum, Cyrillum, Origenem, Chrysostomum, Theodoretum, Pseudo-Ambrosium, Theophylactum, Oecumenium Paulinum,

Paulinum, Damaſcenum, Sedulium, *ab aliis pro noſtra ſententia citatos, afferuntur illuſtria teſtimonia, nondum ab aliis obſervata, ſex veterum Doctorum, nempe,* Juſtini Martyris, Clementis Alexand. Marci Eremitæ, Beati Dorothei, *Sancti* Pacini & Ennodii. *Oſtenditur, interpretationem Hodiernorum Theologorum, quibuſcum D. T. ſentit, a ſenſu & mente ipſius* Auguſtini *longiſſimè diſtare. Græci Doctores etiam poſt* Auguſtinum, *conſtanter adhæſere primitùs receptæ atque approbatæ in Eccleſia Catholica interpretationi. Neque Patres omnes Latini, poſt* Auguſtinum, *ipſius expoſitionem amplexi ſunt. Noſtræ interpretationi favent inter Pontificios* Faber Stapulenſis, Eraſmus, Iſidorus Clarius, Zegerus, Toletus; *inter noſtros* Caſtellio, Muſculus, Bucerus, Grotius, Voſſius, Amyraldus; *inter noſtrates* Jackſonus, Hammondus, Tailerus, Farindonus, *& alii. Fruſtrà objicitur à D.* Tullio *noſtram interpretationem ſententiæ Eccleſiæ Anglicanæ adverſari. Rationes pro noſtrâ expoſitione, ex ipſo capite deſumptæ, & ſolutiones ad partis adverſæ argumenta vindicantur.*] p. 128. uſque ad fin. Apolog.

EXAMEN

Quæ, Authore longiùs à Prelo absente, peccarunt operæ, sic corrigenda.

In Examine.

PAG. 3. lin. 4. *in ipso.*
p. 4. l. 30. πόδας.
p. 8. l. 22. ἕψεται.
p. 9. l. penult. ψιλὴ.
p. 10. l. 1. *Valentiniani.*
p. 15. l. 2. *palato.* l. penult. *perfecta.*
p. 16. l. 15. ἐνεργεῖσθαι.
p. 17. l. 35. post *fit* pone interrogationis notam.
p. 19. in marg. l. 1. pro *dextrè* le. *dixit.*
p. 21. l. 32. S. *Paulus.*
p. 23. l. 5 *affirmes.* l. 6. *appelles.* l. 20, 21. *Justificationem divinam.*
p. 26. l. 18. *Gal.* 3. 18. *coll. v.* 21.
p. 43. l. 26. dele *&.* l. 29. pro *quod* le. *quam.*
p. 45. l. 10. *in quâ.*
p. 48. l. 10. post *ipse* le. *se.*
p. 53. l. 12. κόσμῳ.
p. 55. l. 2. pro p. 14. le. p. 18.
p. 59. l. 2. θεόπνευστα.
p. 66. l. 17. *ad Theologos.*
p. 83. l. 9 *accipiet.*
p. 87. l 31. post *vertas* ponatur comma.
p. 90. l 6. requirat.
p. 94. l. 31. *fido.*
p. 101. l. 7. illa. l. 30. *nonnulli, viri cæteroquin.*
p. 106. l. 23. *se ipsi.*
p. 107. l. 11. pro *desperatum* le. *acre.*
p. 119. l. 31. pro *externo* le. *extremo.*
p. 132. l. 17. d. comma post *fidei.*
p. 133. l. 33. αἰώνιον.
P 141. l. 14. αὐτοῦ.
p. 143. l. 6. post *accederet* pone not. interrog.
p. 145. l. 20. *appositissimum.*
p. 148. l. penult. pro *ea m*, le. *cùm.*
p. 152. l. penult. ψιλὴν.
p. 153. l. 11. *ad quem.*
p. 160. l. 19. ἰσχύειν.
p. 165. l. 2. *observationi.*
p. 170. l. 14. dele *illud.* l. 22. post Ἰησοῦ ad ὅπως ἀποφήνῃ τὸν ἄρτον τοῦτον σῶμα τοῦ χριστοῦ σου. l. 23. μεταλαβόντες.
p. 171. l 9 esse.
p. 177. l. 25. *aptissimam.*
p. 179. l. 2 *acquiescerent.*
p. 189. l. 35. *earum.*
p. 192 l. 15. *reperiri.*
p. 204. l. 15. Psal. 50.
p. 209. l. 6. ἰσοδυναμοῦντα.

In Apologia.

p. 2. l. 10. *quâ ad caput nonum.*
p. 3. l. 30. πόδας.
p. 11 l. vet. *exiguâ.*
p. 12. l. 14. *ipsi*
p. 21. l. 36. *factas.*
p. 35. l. 11. *absurdius.*
p. 42. l. 13 *mœstitia.*
p. 46. l. 4. post *cap.* 18. ad parag. 9. l. 28. *judicium.*
p. 47. l. 21. *integram.*
p. 48. l. 16. πόδας.
Ibid. l. 33. pro *isti* le. *istîc.*
p. 63. l. 20. *confessionum.*
p. 66. l. 5. *prædicari.* l. 33. *partes.*
p. 74. l. 14. *reditionis.*
p. 76. l. 25. *Cimmeriis.*
p. 80. l. 18 *obruetur.* l. 26. *denique.*
p. 81. l 34. pro *hæ* le. *hæc.*
p. 86. l. 28. pro *proposito* le. *præcepto.* l. 35. *è peccato.*
p. 87. l. antepen. ἱερομάρτυς.
p. 88. l. 15. post *verè* le. *&*
p. 96. l. 9. χοϊκὸν.
p. 101. l. 8. post *Sect.* 8. ad. *pag.* 74.
p. 105. l. 16. transformet.
p. 109. l. 22. *Dominic.* 1. *post epiph.* l. 26. pro *paulo post in eâdem concione* le. *in conc. in Dom.* 3. *post epiphan.*
p. 113. l. 14. *absimiles.*
p. 116. l. 11. pro *spiritualia* le. *ritualia.*
p. 117. l. 11. ὠφελοῦσαν.
p. 119. l. 2. *quam.*
p. 123. l. 17. pro p. 62. le. p. 61.
p. 130. l. 15. pro *deinde* le. *denique.* l. 27. *liberavit.*
p. 136. l. 3. μακαρίται.
p. 141. in paraphrasi l. 13. *Optimum Dei donum.*
p. 142. l. 3 fieri *debere.*
p. 144. l. 20. pro *sic* le. *si.*
p. 158. l. 13. le. *peccatum* odio.

Sunt & alia Errata leviora, præsertim in punctis, quæ non-ineruditi per se cognoscent: non-inhumani etiam ignoscent.

Paulinum, Damaſcenum, Sedulium, *ab aliis pro noſtra ſententia citatos, afferuntur illuſtria teſtimonia, nonnum ab aliis obſervata, ſex veterum Doctorum, nempe,* Juſtini Martyris, Clementis Alexand. Marci Eremitæ, Beati Dorothei. *Sancti* Pàciani *&* Ennodii. *Oſtenditur, interpretationem Hodiernorum Theologorum, quibuſcum* D. T. *ſentit, à ſenſu & mente ipſius* Auguſtini *longiſſimè diſtare. Græci Doctores etiam poſt* Auguſtinum, *conſtanter adhæſere primitùs receptæ atque approbatæ in Eccleſia Catholicâ interpretationi. Neque Patres omnes Latini, poſt* Auguſtinum. *ipſius expoſitionem amplexi ſunt. Noſtræ interpretationi favent inter Pontificios* Faber Stapulenſis, Eraſmus, Iſidorus Clarius, Zegerus, Toletus, *inter noſtros* Caſtelio, Muſculus. Bucerus, Grotius, Voſſius, Amyraldus; *inter noſtrates* Jackſonus, Hammondus, Tailerus, Farindonus, *& alii. Fruſtrà objicitur à* D. Tullio *noſtram interpretationem ſententiæ Eccleſiæ Anglicanæ adverſari Rationes pro noſtrâ expoſitione, ex ipſo capite deſumptæ, & ſolutiones ad partis adverſæ argumenta vindicantur.*] p. 128. uſque ad fin. Apolog.

EXAMEN

Quæ, Authore longiùs à Prelo abſente, peccarunt operæ, ſic corrigenda.

Epiſt. ad Lect.

PAG 1. l. 16. *novũ.*
p. 2. l. 13. *& aliis.*

In Examine.

p. 3. lin. 4 *in ipſo.*
p. 4. l. 30. πόδας.
p. 8. l. 22. ἔψεται.
p. 9. l. penult. ψιλὴ.
p. 10. l. 1. *Valentiniani.*
p. 15. l. 2. *palato.* l. penult. *perfecta.*
p. 16. l. 15. ἐνεργεῖσθαι.
p. 17. l. 33. poſt *ſi.* pone interrogationis notam.
p. 19. in marg. l. 1. pro *dextrè* le. *dixit.*
p. 20. l. 26. *qui ſolus.* ibid. l. 27. quiq;
p. 21. l. 32. S. *Paulus*
p. 23. l. 5. *affirmes.* ib. *juſtificationi* l. 6. *appelles.* l. 20, 21. *Juſtificationem divinam.*
p. 26. l. 18. *Gal.* 3. 18. *coll. v.* 21.
p. 38. l. 1. pro 4*tam* le. 3*iam.*
p. 43. l. 26. dele &. l. 29. pro *quod* le. *quam.*
p. 45. l. 10. *in quâ.*
p. 48. l. 10 poſt *ipſe* le. *ſe.*
p. 49. l. 18. pro ! le. .
p. 53. l. 12. χόσμῳ.
p. 55. l. 2. pro *p.* 14. le. *p.* 18.
p. 59. l. 2. θεόπνευστοι.
p. 62. l. 9. *intelligendam.*
p. 66. l. 17. *ad Theologos.*
p. 83. l. 9. *accipiet.*
p. 87. l. 31 poſt *vertas* ponatur comma.
p. 90. l. 6. requirat.
p. 94. l. 31. *fido.*
p. 97. l. 5. *potes.*
p. 101 l. 7. illa. l. 30. *nonnulli, viri cæteroquin.*
p. 106 l. 23. *ſe ipſi.*
p. 107. l. 11. pro *deſperatum* le. *acre.*
p. 112. l. 6. occurrunt.
p. 119. l. 31. pro *externo* le. *extremo.*
p. 125. l. 24. pro *quintum* le. *ſextum.*
p. 126. l. 4. duabus.
p. 128. l. 13. poſt *illa.* ad: *liberamur.*
p. 132. l. 17. d. comma poſt *fidei.*
p. 133. l. 33. αἰῶνων.
p. 141. l. 14. αὐτὸ.
p. 143. l. 6 poſt *accederet* pone not. interrog.
p. 145 l. 20. *appoſitiſſimum.*
p. 148. l. penult. pro *eam* le. *cum.*
p. 149. l. 21. turpiter.
p. 152. l. penult. ψιλὴν.
p. 153. l. 11. *ad quem.*
p. 160. l. 19. ἰσχύειν.
p. 165 l. 2. *obſervationi.*
p. 170. l. 14. dele *illud.* l. 22. poſt Ἵνα ad. ὅπως ἀποφύγῃ τὸν ἀὲ τὴν τὸ πον σῶμα τὸ χειςὸ σε. l. 23. μεταλαβόντες.
p. 171. l. 9. eſſe.
p. 177. l. 25. *aptiſſimam.*
p. 179. l. 2. *acquieſcerent.*
p. 187. l. 4. amplexæ.
p. 189. l. 35. *earum.*
p. 192. l. 15. *reperiri.*
p. 204. l. 15. Pſal. 50.
p. 209. l. 6. ἰσοδυναμῶντα.

In Apologia.

p. 2. l. 10. *quâ ad caput nonum.*
p. 3. l. 30. πόδας.
p. 10. l. 23. ἀρχαῖα.
p. 11. l. ult. *exiguâ.*
p. 21. l. 36. *factas.*
p. 22. l. 28. poſt. *hæc* ad: *contumelia*
p. 26. l. 12. *acquiſiti.*
p. 28. l. 20. *quaſque.*
p. 29. l. 27. *ille.*
p. 35. l. 11. *abſurdius.*
p. 42. l. 13. *mœſtitia.*
p. 46. l. 4. poſt *cap.* 18. ad: *pag.* 9. l. 28. *judicium.*
p. 47. l. 21. *integram.*
p. 48. l. 16. πόδας.
Ibid. l. 33. pro *iſti* le. *iſtic.*
p. 63. l. 20. *confeſſionum.*
p. 66. l. 5. *prædicari.* l. 33. *partes.*
p. 70. l. 1. *eavundem.*
p. 74. l. 14 *reditionis.*
p. 76. l. 25. *Cimmeriis.*
p. 80. l. 18. *obructur.* l. 26. *deniq;*
p. 81. l. 34. pro *hæ* le. *hæc.*
p. 86. l. 28. pro *propoſita* le. *præcepto.* l. 35. *è peccato.*
p. 87. l. 31. *temporibus vixerunt.*
Ibid. l. antepen. *ſeqq;*
p. 88. l. 15. poſt *verè* le. &.
p. 89. l. 5. eodem.
p. 96 l. 9. χοϊχὸν.
p. 101. l. 8. poſt. *Sect.* 8. ad: *pag* 74.
p. 105. l. 16. transformet.
p. 108. l. 9. *promiſſam.*
p. 109. l. 22. *Dominic.* 1. *poſt. Epiph:* *epiph.* l. 26. pro *paulo poſt in eâdem concione* le. *in conc. in Dom.* 3. *poſt. Epiph:*
p. 113. l. 14. *abſimiles.*
p. 116. l. 11. pro *ſpiritualia* le. *ritualia.*
p. 117. l. 11. ὠφελῆσαν.
p. 119. l. 2. *quam.*
p. 123. l. 17. pro *p.* 62. le. *p.* 61.
p. 130. l. 15. pro *deinde* le. *denique.* l. 27. *liberabit.*
p. 136. l. 3. μαχαίται.
p. 141. in paraphraſi l. 13. *Optimum Dei donum.*
p 142. l. 3. fieri *debere.*
p. 144. l. 20. pro *ſic* le. *ſi.*
p. 147. l 19. πνευματικὴ.
p. 158. l. 13. le. *peccatum* odio.

EXAMEN CENSURÆ:

Sive

RESPONSIO

Ad quasdam Animadversiones, &c.

PRÆFATIO CENSORIS.

Speciosus titulus hujus libri desiderio me accendit, ut acquirerem; veritatis studium & spes perpulit, ut acquisitum avidè delibarem. Primo verò intuitu occurrit, quod displicuit. Vix oculis meis credidi. Certum mihi illico fuit, totum accurratè perlustrare. Ipsa dogmatis novitas me perculit, sed audax Apostoli εναντίωσις, *tanto cum molimine fabricata, me obstupefecit. Non potui, dum dissertationes has a carceribus ad metam percurrerem, meipsum cohibere, quin quod Scripturæ & Rationi ejus lumine irradiatæ absonum visum esset, animadverterem. Pace tuâ, vir eruditissime, liceat mihi, quod sentiam liberè eloqui. His autem strictūras tibi, mi frater, animadvertendas exhibeo, & Superiorum meorum judicio censendas, humiliter subjicio.*

RESPONSIO ad Præfationem.

§. 1. Non erat, mi censor, quòd tu saltem speciosum libri titulum mihi exprobrares, qui scriptiunculam de eadem materia, nuper typis evulgatam, (perpaucarum certè paginarum, iisque angustiis coarctatam, quibus vix tibi difficillimos controversiæ nodos omnes attingere, nedum pro rei merito explicare liceret:) eodem penè titulo exornaveris. Uter nostrûm

ſtrûm ſpecioſo titulo lectorem illuſerit, ad æquum arbitrum, me lubente, cenſendum retuleris.

§ 2. Miror autem, quid te moverit, ut in ipſo limine Animadverſionum tuarum de innocuo ſcripto tantas tragedias excitares. Primo, inquis, intuitu occurrit tibi, quod diſplicuit: vix oculis tuis credidiſti: libro accuratè perluſtrato, obſtupuiſti. Bone Deus! Quid feci? Quid docui? Liber, quid monſtri ſecum portat? Hic ſcopus, hoc libri inſtitutum, ut oſtendatur, Bona Opera ex Fide profecta, & cum Fide conjuncta, conditionem eſſe (neque enim aliud, aut altius quicquam de quacunque noſtra virtute tecum, qui cauſalitatem efficacem in Juſtificationis negotio Fidei tribuis, auſim pronunciare:) neceſſariò præſtandam, ut quis ex pacto Evangelico, Chriſti mediatoris ſanguine impetrato ac ſancito, juſtificetur. Hanc eſſe *Jacobi* doctrinam contendo; *Paulum* his nihil contrarium docuiſſe confirmo. Vbique autem merito omni omnium operum noſtrorum ita palàm abrenuntio, ut qui meritum propriè ſic dictum propugnat, vix pro Chriſtiano agnoſcam. In Juſtificationis ac Salutis negotio, meritoriæ Jeſu Chriſti obedientiæ, cujus mors ejus complementum fuit, maxima quæque tribuo lubentiſſimus. Hæc ſola juſtitiæ divinæ fecit ſatis: hæc ſola Deum ſanctiſſimum, juſtiſſimum, nobis peccatoribus propitium reddidit: hæc ſola effecit, ut Deus nobis ſub optima illa atque æquiſſima conditione Salutem, eámque cœleſtem atque æternam, (quam aliàs nullâ ratione aſſequi potuiſſemus) polliceretur. Denique conſtanter doceo, ſine gratia atque ope Spiritûs Divini, eâque efficaciſſimâ, (atque ex eodem Chriſti crucifixi latere profluente) eam fœderis Evangelici conditionem præſtare poſſe neminem. *Pelagii* hæreſim quovis anathemate digniſſimam cenſeo. Quid, quod ex B. *Pauli* ſermonibus ità gratiæ auxiliatricis divinæ laudes paſſim celebro, ut tibi eo nomine penè moleſtus ſim? Quis jam expectâſſet, ut qui talia docet, ab homine Chriſtiano & Catholico tam indignis modis vapularet? Quis hominem ita ſentientem, *impudentiſſimum*, *veſanum*, *impium*, *blaſphemum*, (quibus Elogiis me paſſim exornas) pronuntiet? Certè nemo ſobrius negaverit, me Catholici dogmatis, in hac de Juſtificatione controverſia, ſaltem τὸ ὑπερέχον, tenere. Quòd ſi in conſectariis & conſentaneis, ut loquuntur,

tur, erraverim, (quod tamen tu nondum oſtendiſti) æquum eſt, ut mihi ignoſcat, quiſquis ſeipſum hominem, & humani nihil a ſe alienum eſſe, ſenſerit.

§. 3. Cæterùm, quod hîc ipſo præfamine, ut & poſteà in Animadverſionibus ſæpiùs, doctrinæ novitatem mihi objicis, ad id reſpondeo. Τῶν φιλαρχαίων, qui ſoli quæ vetus, quæ nova ſit doctrina, ritè judicare poſſunt, conſcientiam intrepidus appello, utrùm in Libro, quem tuis convitiis dilacerandum tibimet propoſuiſti, quicquam reperiatur, quod a ſententiâ abeat veteris eccleſiæ Catholicæ: cujus judicium & conſenſum, in Scripturis interpretandis, dogmatiſque ex iiſdem colligendis, religioſè nos ſequi jubet expreſſo Canone eccleſia noſtra Anglicana. Sed mirum & novum tibi videtur, quicquid cum arbitrariis definitionibus Syſtematicorum tuorum (è quorum penû Theologiam tuam omnem hauſiſſe viſus es) minùs convenit. Hinc dogmata Veterum ſalutifera, tanquam nova, rejicis & reſpuis; nova verò pro veteribus amplecteris & exoſcularis. Utinam ex monito ſaperes pientiſſimi juxtà ac eruditiſſimi Doctoris *Johannis Felli*, viri inter præcipua Academiæ Oxonienſis ornamenta numerandi; qui in fine Præfationis ad ſuam *Clementis* Romani Editionem, Theologiæ ſtudioſos ſeriò hortatur, *Ut (ſiquidem oraculi fidem & dignationem mereatur effatum illud, id verum, quod primum) pigris turbidiſque illorum lacunis, qui ſe modernos Theologos dici volunt, inſuper habitis, fontes requirant perennes & limpidos, atque ultra Ethnicæ Theologiæ fidem ſacros & numine plenos.* Pergit vir optimus: *Par quidem eſt, ut nova ſequantur Novatores; eis verò, quibus Eccleſiæ primitivæ ſincera placent dogmata, non minoris ævi ſcriptores utique placebunt: ſeſe etiam genuinos Eccleſiæ Filios hoc indicio & notâ planè Characteriſticâ comprobabunt, quod ſanctiſſimos Ejuſdem patres unicè colant & reverentur.* Sed quid de Veteribus loquor? Ad ipſos quoque recentiores provoco. Quot tibi recenſere poſſum nomina, in orbe noſtro Anglicano fulgentia ſydera, qui ante nos eam, quam ſugillas, doctrinam impunè & ſine ἑτεροδοξίας nota ſcriptis ſuis tradiderunt, adeóq; ex profeſſo propugnârunt, ſolis ferè Novatoribus & Schiſmaticis oblatrantibus? Cave nè mihi eorum numerum ineundi onus (quod & tibi fore ingratiſſimum auguror) imponas; ſerióque tandem cogita tecum, quos quantóſq; viros per mea latera confodias.

Collec. Canon. Can. Elizab. de Concionator. p. 19.

§. 4. Perridiculum autem certè eſt, quòd me audacis adversùs Apoſtolum *Paulum* ἐναντιώσεως accuſas; neque enim ego *Paulo* magìs contradico, quàm *Jacobus* ipſe, h. e. nè omninò quidem. Conciliationem ἐναπορανείας in ſcriptis Apoſtolicis, ejúſque maximi momenti, optimo conſilio (Deus novit) molitus ſum: quo conatu ſi viris doctis & piis omninò diſplicuerim, (quod tibi ſæpiùs licèt affirmanti nè credam, multa prohibent) ſcis, me non primum huic auſui excidiſſe. Gaudeo autem, te quicquid in Diſſertationibus noſtris Scripturæ aut Rationi abſonum viſum eſſet, inter legendum animadvertiſſe. Nam hinc colligere mihi in promptu eſt, nihil in iſtis Diſſertationibus reperiri, quod poſt *Ariſtarchi* judicium, vel Scripturis, vel Rationi adverſetur. Certè enim quæ in hac Cenſura tua mihi objicis, ea vel rem acu non tangere, vel rationibus aut nullis aut leviſſimis confirmata eſſe, comperio. Quot etiam Diſſertationum noſtrarum paragraphos adeóque capita integra, quibus vis & robur cauſæ noſtræ ſitum eſt, vel alto ſilentio præteris, vel leviter admodum perſtringis? quàm hæc non arroganter, ſed verè a me dicta ſint, nôrunt qui Diſſertationes meas cum tuis ad eaſdem Animadverſionibus contulere.

§. 5. Utare vero per me licet, mi cenſor, παῤῥησίᾳ tuâ, & quod ſentias, liberè eloquare; ſed ut liberum & ingenuum hominem decet, ſine convitiis & calumniis: quibus ſi inter ſcribendum abſtinuiſſes, fraternæ charitatis officio, quod obtendis, rectiùs, vel tuâ ipſius conſcientiâ judice, defunctus fuiſſes. Ad ſtricturas autem tuas, quas mihi animadvertendas exhibuiſti, ſeriò animum adverti; nihílque tandem a te animadverſum reperio, cujus me pœnituiſſe oporteat. Cæterùm in hac reſponſione nolim expectes, me κατὰ πόδας te ſecuturum: hoc quippe nihil aliud eſſet, quàm lectoris patientiâ abuti, & bonas horas malè collocare. Quot enim Animadverſiones tuæ meras calumnias ſpirant? quot aſſertiones tuas nudas ſine ulla probatione continent? quot denique earundem rerum moleſtâ repetitione lectorem obtundunt? Itaque quod in iſtis ad rem quovis modo pertinet, ídque ſolum, ſub examen noſtrum ſemel revocandum cenſuimus. Quicquid autem vel hîc, vel alibi a me ſcriptum ſit, judicio ſanctæ matris Eccleſiæ Anglicanæ lubentiſſimus, & ſumma cum

cum animi demiſſione ſubjicio; utpote cujus me Filium hactenus obſequentiſſimum præſtiterim, & quoad in vivis ero (Deo adjuvante) præſtiturus ſim.

ANIMADVERSIO I.
ad libri Procœmium.

IN Procœmio libri mei rei, quam explicandam ſuſceperam, tractandæ hanc methodum ut commodiſſimam mihi propono: 1. Ut concluſionis *Jacobi* cap. 2. tum ſenſum breviter exponam, tum veritatem argumentis aliquot adſtruam: 2. Deinde ut *Pauli* Epiſtolas aggrediar, ejúſque conſenſum cum *Jacobo* in Juſtificationis capite liquidò demonſtrem. Hîc tu ad oram libri hæc ad verbum notas: *Methodi iſtius rationem non aſſequor. Iniquum enim eſt, ut S.* Jacobi *locus unus ſit menſura tot diſſertationum prolixarum, quas B.* Paulus *inſtituit, argumentis variis, iiſque nervoſis uſus, ut Juſtificationem peccatoris aſſereret ex Fide ſine operibus, Fidem operibus opponens in juſtitiæ procuratione; & idcircò textus iſte præferatur, quaſi lux aut lampas B.* Pauli *ſermonibus, utpote obſcurioribus, lumen illaturæ.* Tertullian. adv. Prax. Oportet ex pluribus intelligi pauciora.

RESPONSIO ad Animadverſionem I.

§. 1. Primo impetu ſatìs oſtendis, mi cenſor, quàm in certaminis progreſſu iniquum mihi adverſarium temet præſtiturus ſis. Ipſa ſcil. methodus noſtra tibi diſplicet. Quàm maleſana hæc carpendi libido! Fac enim me utriuſque Apoſtoli doctrinam rectè & bonâ fide expoſuiſſe, quid eſt, quod de methodo conqueraris? Quid refert à *Jacobo*, an à *Paulo* Diſſertationum mearum initium capiam, modò neutri Apoſtolo injuriam faciam? verùm, inquis, iniquum eſt, ut S. *Jacobi* locus unus ſit menſura tot Diſſertationum prolixarum, quas B. *Paulus* inſtituit. Eſto. Quid hoc ad me, qui multis è Scripturâ deſumptis argumentis, iiſque luculentiſſimis, ſta-

bilitâ priùs *Jacobi* concluſione, *Paulum* aggredior, ejus conſenſum cum *Jacobo* firmis rationibus, ex ipſis Epiſtolarum ejus viſceribus (ut ità dicam) petitis, demonſtrans? Fateor quidem me in ea eſſe ſententia, ut putem, ex una *Jacobi* diſſertatione in cap. 2. Paulini ſenſûs interpretationem ſatìs evidenter colligi poſſe. Hinc eſt quod alicubi ſcripſerim, Rationi longè convenientius eſſe, ut in hac controverſia *Paulum* ex *Jacobo*, quàm ut *Jacobum* ex *Paulo* interpretemur. Video hoc dictum meum tibi valde diſplicuiſſe. Sed oportuit te rationes attendiſſe, quibus hanc meam ſententiam confirmo. Eas hîc in gratiam lectoris repetendas atque a cavillis tuis vindicandas eſſe cenſui.

§. 2. Primum noſtrum argumentum indè ſumitur, quòd ſermo *Jacobi* clarus ſit & perſpicuus, verbáque ejus tam diſerta, ut qui de eorum ſenſu dubitat, nodum planè in ſcirpo quæſiviſſe meritiſſimo jure dicendus ſit : contrà diſputatio *Pauli* obſcura, perplexa & intricata. In Scripturis verò interpretandis nota eſt regula, è clarioribus obſcuriora loca exponenda eſſe. Hîc quod de *Jacobi* perſpicuitate dixi, inſcitè aut malignè vellicas, a me interrogans, *num omnes docti & pii, qui de* Jacobi *verborum ſenſu dubitârunt, adeò malè otioſi fuere, ut nodum in ſcirpo quærerent?* Reſpondeo. Quòd viri illi pii & docti de *Jacobi* verborum ſenſu dubitârunt, in cauſa fuit præconcepta opinio de Juſtificatione ex Fide ſola ſimplici virtute, quam ex B. *Pauli* verbis perperàm intellectis (ut in tanta obſcuritate, niſi ſcopus Apoſtoli ſedulò attendatur, facilis eſt lapſus) hauſerant. Ut hanc tuerentur, ſimúlque inter duos Apoſtolos pacem componerent, nullum non lapidem movêre : & Paulinæ diſputationis ſenſum ſe affecutos fuiſſe pro certo habentes, ſuis σόφοις φαρμάκοις apparentem *Jacobi* ἐναντίωσιν amoliri ſtuduerunt. Etenim invidiam, quæ ex magnis nominibus apertiſſimæ alioqui veritati ſolet oboriri, deprecatus, lectoris pii, docti & a præjudiciis liberi, cujuſvis, conſcientiam appello, annon ſermo *Jacobi* clarus, perſpicuus ac diſertus ſit? Certè in concluſione Apoſtoli, quâ ſtatuit, *ex operibus juſtificari hominem & non ex fide tantùm*, nullum reperitur vocabulum, nullus (barbarâ Scholaſticorum dictione uti liceat) terminus, de cujus ſenſu ex ipſo Apoſtolici ſermonis contextu non apertiſſimè conſtet. Quæris de qua Juſtificatione

In notis ad P. 73.

catione loquatur *Jacobus* ? manifeſtum eſt eum non loqui de ſola declaratione juſtitiæ apud homines, ſed etiam de Juſtificatione hominis ipſius in conſpectu Dei. Loquitur enim diſertè de ea Juſtificatione, quâ quis φίλος Θεοῦ, ipſius Dei amicus fiat, v. 23, quâque ipſi a Deo juſtitia imputetur (ibid.) quâ denique jus ad ſalutem ipſi donetur, v. 14. Vide Harm. Apoſt. diſſert. poſter. cap. 1. §. 6. & 7. Dubiúmne tibi eſt, quam fidem intelligat Apoſtolus ? veram vult & in ſuo genere perfectam fidem, qualis *Abrahami*, v. 21. 22. Hanc negat ſine Operibus ad Juſtificationem illam ex Evangelico fœdere obtinendam ſufficere. De quibus Operibus intelligendus ſit *Jacobus*, quæſtio nulla eſt : de Operibus ex Fide & gratiâ Evangelii profectis, ſive de Operibus cum Fide cooperantibus, eámq; perficientibus, diſertè loquitur v. 22. Itaque ſermonem *Jacobi* clarum & perſpicuum eſſe meritò affirmavi. Quod & fatentur illi ex adverſariis noſtris, qui Epiſtolam *Jacobi* e canone Sacrarum Scripturarum (audaci quidem atque impio facinore) eliminârunt. Quare enim id fecerunt ? Scil. ex B. *Pauli* diſſertationibus, non eâ, quâ par erat, diligentiâ perpenſis, in eam ſententiam adducti fuerant, ut crederent, ſola Fide, quatenus voce illa virtus Fidei ſimplex à cæteris virtutibus Evangelicis diſtincta intelligitur, hominem juſtificari. Huic ſuæ opinioni temerè conceptæ *Jacobi* diſputationem veluti ex diametro oppoſitam eſſe probè intelligentes, ac videntes doctrinam ejus cum iſta ſententia nullâ arte, σόφῳ φασμάκῳ nullo, conciliari potuiſſe, nodum hunc planè Gordianum iis viſum, quem ſolvere non poterant, diſſecare aggreſſi ſunt, authoritatem ejus Epiſtolæ, cui *Jacobi* nomen inſcribitur, vel in dubium vocando, vel apertè rejiciendo : quemadmodum in proœmio libri noſtri obſervavimus. Atque hactenus de *Jacobi* perſpicuitate.

§. 3. Quod de Paulini ſermonis obſcuritate affirmo, penè ad furorem uſque te provocat. Nam ad paginam libri mei 74. ſic ſcribis : *Impium eſt inſtitutum Paulum obſcuritatis arguere, & ne deſint nubes, fingere & offundere. Diſſertatio iſta eſt nimis ſimilis fumo, qui ex infernali puteo exortus, ſolem & aerem obtenebravit, Apoc. 9. v. 2.* Quis autem te hîc iræ atque indignationis tuæ fumum (ex quo puteo exortus ſit, ipſe videris) exhalantem non ſentiat ? ſed heus tu ! Cave nè impietatis

me-

me falsò arguens, veræ impietatis crimen ipſe incurras. Si impius ſit, qui *Pauli* ſermonem obſcurum eſſe dixerit, tum impii fuere *Origenes*, *Baſilius M. Gregorius Nazianzenus*, *Chryſoſtomus*, *Hieronymus*, *Auguſtinus*, aliique plurimi in veteri Eccleſiâ Doctores celeberrimi, qui illud ipſum dicere non dubitârunt. Deſcribitur *Origenis* locus *Philocal.* cap. 9. in quo notat, *videri quaſdam Scripturas* μὴ ἔχειν σύνταξιν μητὲ ἀκολουθίαν, *non ſatis aptâ compoſitione & conſecutione cohærere, maximè verò Propheticas & Apoſtolicas, & inter Apoſtolicas, Epiſtolam præſertim ad Romanos. In quâ, inquit*; τὰ περὶ νόμε διαφόρως ὀνομάζεσθαι, καὶ ὅτι διαφόρων πραγμάτων κείμενα· ὥστε δοκεῖν ὅτι οὐκ ἔχεται ὁ Παῦλος ἐν τῇ γραφῇ τῆς ἐπιστολῆς τὸ προκείμενον αὐτῷ σκόπε: *quæ de lege dicuntur diverſis modis dicuntur, & diverſis rebus impoſnuntur; ut videatur Paulus in illa Epiſtola ſcopum ſibi propoſitum non aſſequi.* Hanc *Origenis* ſententiam comprobârunt Sancti Patres *Baſilius Magnus* & *Gregorius Nazianzenus*, utpote à quibus collectio illa locorum Origenianorum, quæ *Philocalia* dicitur, facta fuerit, ἐκλογὰς ἔχων χρησίμας τοῖς φιλολόγοις; *excerpta habens ſtudioſis utilia*, ut loquitur ipſe *Gregorius* in Epiſtola ad *Theodorum Tyanæum* Epiſcopum. *Chryſoſtomus* in 7. ad Romanos, Ὁρᾷς ὅπ ἂν μὴ μετὰ τῆς προσηκούσης ἐυλαβείας τὰς λέξεις ἐξετάζωμεθα, καὶ πρὸς τὸν ἀποστολικὸν ἴδωμεν σκόπον, μυρία ἕψεται ἄτοπα. *Vides, niſi, quâ par eſt, curâ, & circumſpectione dicta accipiamus, & ad ſcopum Apoſtoli reſpiciamus, mille abſurditates conſecuturas. Hieronymus* ad quæſtionem Algaſiæ octavam, ex eodem capite ipſi propoſitam reſpondens, rotundè loquitur. *Totus*, inquit, *hic Apoſtoli locus & in ſuperioribus & in conſequentibus, imò omnis epiſtola ad Romanos, nimiis obſcuritatibus involuta eſt: & ſi voluero cuncta diſſerere, nequaquam mihi unus liber, ſed magna & multa erant ſcribenda volumina.* Quibus gemina in eadem reſponſione ad Quæſtiones Algaſiæ paſſim reperias. Denique hæc obſcuritas ipſum etiam *Auguſtinum* deterruit, nè cœptum opus expoſitionis Epiſtolæ ad Romanos ad umbilicum perduceret, ut ipſe teſtatur *lib.* 1. *Retract. cap.* 25.

§. 4. Porrò, ſi impium ſit ejus inſtitutum, qui Paulinis Epiſtolis obſcuritatem tribuerit, tum (horreo blaſphemiam referens) impium fuit *Petri* Apoſtoli inſtitutum, qui 2 Epiſt. cap. 3. v. 16. in iiſdem Epiſtolis δυσνόητά τινα reperiri diſertis verbis affirmat. Ubi quoque *Petrum* Apoſtoli *Pauli* diſputationem

onem de Justificatione ex Fide opposita Legis operibus imprimis respexisse, viri longè doctissimi judicârunt: cujus judicii rationes satìs probabiles ipse attuli *Dissert. poster. cap.* 4. §. 2. Eis, quæ ibi dicta sunt, hæc adjicias. Epistolam, quæ *Petri* secunda dicitur, scriptam fuisse adversus impios quosdam ejus ætatis Hæreticos è Schola *Simonis Magi* prodeuntes, præstantissimi Interpretes consentiunt; quod & ex notis & indiciis non paucis in ipsa Epistola apparentibus satìs manifestum videtur. Jam verò liquidò constat, *Simonianos* inter alia dogmata sua Christianis auribus horrenda, & hanc quoque hæresin propugnâsse, nempe, Bona Opera ad Justificationem sive salutem hominis nequaquam esse necessaria. Duo hîc *Irenæi* loca illustrissima in medium proferam. Alteram habes *lib.* 1. *cap.* 20. ubi *Simonis* impias hæreses recensens, ait, istum Diaboli πρωτότοκον docuisse, *hos qui in eum &* Selenen *ejus spem habeant, ut liberos agere quæ velint: secundùm enim ipsius gratiam salvari homines, & non secundùm operas justas.* Ubi obiter mecum observabis thesin eorum, qui docerent salvari sive justificari (nam Veteres saltem nullum inter hæc duo discrimen agnovisse constat) hominem aliter quàm secundùm Opera justa, pro hæresi in primæva Ecclesia habitam fuisse. Locus alter extat, ejusdem libri cap. 1. ubi *Valentini*, qui hæresin *Simonianam* tantùm interpolavit, sententiam de Justificatione hominis describit his verbis: Ἐπαιδεύθησαν τὰ ψυχικὰ οἱ ψυχικοὶ ἄνθρωποι, οἱ δ' ἔργων καὶ πίστεως ψιλῆς βεβαιούμενοι, καὶ μὴ τελείαν γνῶσιν ἔχοντες· εἶναι δὲ τούτους ἀπὸ τῆς ἐκκλησίας ἡμᾶς λέγουσι· διὸ καὶ ἡμῖν μὲν ἀναγκαῖον εἶναι τὰ ἀγαθὴν πράξιν ἀποφαίνοντα· ἄλλως γὰρ ἀδύνατον σωθῆναι· αὐτοὺς δὲ μὴ διὰ πράξεως, ἀλλὰ διὰ τὸ φύσει εἶναι πνευματικοὺς, πάντη καὶ πάντως σωθήσεσθαι δογματίζουσιν. *Animalibus disciplinis imbuti sunt animales homines, qui per Opera & nudam Fidem confirmantur, nec perfectâ cognitione præditi sunt: quales nos qui Ecclesiæ fidem profitemur, esse aiunt. Ex quo etiam nobis hoc necesse esse pronunciant, ut probas actiones adhibeamus: neque enim alioqui fieri posse, ut salutem consequamur. At se non per actionem, sed quòd naturâ spirituales sint omnino, ac sine ulla dubitatione salvos fore affirmant.* In quo *Irenæi* loco plana sunt omnia, nisi verò quis in verbis illis διὰ πίστεως ψιλῆς hæreat. Sed nodus facili negotio expediendus; scilicet, πίστις ψιλῆ non Operibus opponitur, (nam per hanc Fidem Operibus conjunctam se βεβαιοῦσθαι

Pag. 26. edit. *Fevardent.*

Catholicos dicentes *Valentini* irriſerunt) ſed γνώσει τελείᾳ *Perfectæ Cognitioni*, quam ſibi impudentiſſimi hæretici arrogârunt. Quippe (ut ex verbis proximè præcedentibus apud *Irenæum* apparet) ſe jam conſummatos non Fide merâ, ſed certâ atque immediatâ Cognitione myſteria omnia divina aſſecutos fuiſſe gloriabantur. Ex hoc autem loco apparet, Chriſtianos ejus ſeculi, qui Eccleſiaſticæ doctrinæ adhæſerunt, tenuiſſe, Non Fide ſolâ, ſed per Opera & Fidem ſimul hominem βεβαιοῦσθαι· (quibus verbis quid Catholici intellexerint prudenti lectori in proclivi erit conjicere.) Ex adverſo Hæreticos docuiſſe, hominem, ſi non per meram Fidem, certè per Cognitionem perfectam abſque bonis Operibus juſtificari ac ſalvari poſſe. Nemini autem dubium eſſe poteſt, quin huic ſuæ hæreſi ex B. *Pauli* Sermonibus patrocinium quæſiverint; ſiquidem & aliàs, idque ſine omni ferè ſpecie ac colore Paulinis eos teſtimoniis ad deliria ſua confirmanda abuſos eſſe ex *Irenæo* conſtat. Quæ cùm ità ſint, cui non admodùm veriſimile ſit, *Petrum* huc imprimis reſpexiſſe, cùm dixerit quædam eſſe in Paulinis Epiſtolis δυσνόητα, quæ homines iſti ἀμαθεῖς καὶ ἀστήρικτοι in ſuam ipſorum perniciem diſtorſerunt?

§. 5. Ex his autem omnibus manifeſtiſſimum fit, impium non eſſe inſtitutum *Paulo* obſcuritatem tribuere, in iis præſertim diſputationibus, quas de Juſtificatione inſtituit. Sed quid multis opus eſt? Cauſas ipſas hujus obſcuritatis aſſignârunt Interpretes doctiſſimi. Primaeſt ſermo *Pauli* ſæpè abruptus, ſæpe interciſus, nec tam fluens præmeditato ordine, quàm divino quodam impetu ruens. Quod & ab *Irenæo* olim obſervatum fuit his verbis: *Quoniam autem hyperbatis frequenter utitur Apoſtolus, propter velocitatem ſermonum ſuorum, & propter impetum qui in ipſo eſt Spiritûs, ex multis eſt invenire.* Deinde quòd veterum ac novorum inter *Hebræos* magiſtrorum ſententias obiter magis attingit Apoſtolus, apud eos quibus notæ eſſent, quàm explicat. Quibus & illud accedit, quòd objectiones Judæorum, ad quas reſpondet, non evolvit, ſed ut illis quibus ſcribebat ſatis cognitas ictu tranſverberat. His quoque & alias obſcuritatis cauſas in proclivi eſſet annumerare, ſi iſtis nunc vacaremus. Te verò, cui cæteris omnibus oculatiori tam perſpicuæ viſæ ſunt Paulinæ diſſertationes,

Lib. 3. cap. 7.

Ori-

Origenis ad *Celsum* verbis liceat affari, Πρῶτον σταφήνισον Παύλου τὴν πρὸς Ρωμαίους ἐπιστολὴν. Καὶ ἐνατενίσας τῷ βουλήματι ἑκάστης ἐν αὐτῇ λέξεως, δεῖξον ὅτι νενόηκας τοὺς Παύλου λόγους. Hoc si præstiteris, palmam tibi inter Sacræ Scripturæ interpretes, docti (opinor) omnes lubentissimi concesserint. Atque hactenus de primo nostro Argumento, quo liquidò probatur, rationi longè convenientius esse, ut *Paulum* ex *Jacobo*, quàm ut *Jacobum* ex *Paulo* interpretemur. Lib. 3. p. 122. *Edit. Cantab.*

§. 6. Altera ratio, quâ id ipsum confirmatum ivimus à Traditione atque opinione Veterum petita est; qui senserint, Epistolam *Jacobi* (quâ parte de Justificatione agit) ex professo scriptam fuisse adversus eos, qui Paulinas Epistolas pravè interpretantes, Fidem dicebant sine bonis Operibus ad Justificationem sive salutem hominis sufficere. Cujus Traditionis veritatem rei ipsius evidentia, sepositâ ipsorum authoritate, satìs demonstrat. Unde enim (obtestor te) oriri potuit error iste Christianorum, quibuscum disputat *Jacobus*, de Justificatione ex Fide unica ac simplici virtute sine Operibus, nisi ex Paulinis dissertationibus perperàm intellectis? Causa ejus erroris alia probabilior nè fingi quidem potest. Quid autem æquius, quid satius, quàm ut *Pauli* Epistolas interpretemur ex analogia sermonis, quem B. *Jacobus* eo consilio instituit ut pravas earundem Epistolarum interpretationes averruncaret? Hîc in ipso argumento nihil habes, quod carpas. Tantùm de verbis illis meis, *idem quoque probabile fit ex eo, quòd* Jacobus *ejusdem* Abrahami *exemplo utitur, ut probet opera ad Justificationem requiri; ex cujus exemplo* Paulus *intulerat, Justificari hominem per Fidem sine Operibus*, Rom. 4. De his, inquam, verbis hunc in modum me compellas: *Quid vis? num* Jacobum Paulo *contradicendi studio scripsisse opinaris? Quorsum hanc suspicionem suscitas?* Verùm tu, bone vir, quid vis, qui Animadversiones ad librum nostrum pollicitus, has nugas & quisquilias meras lectori tuo propinas? Dic, obsecro, serióne suspicaris, me verbis illis voluisse, *Jacobum Paulo* contradicendi studio scripsisse? me, inquam, id voluisse, qui *Dissertationem* libri mei *secundam* satìs prolixam huic consilio totam impenderim, ut monstrarem, nihil in controversia de Justificatione vel *Jacobum Paulo*, vel *Paulum Jacobo* contradixisse; quíque hoc ipsum *Abrahami* exemplum ab utro-

que Apostolo rectè atque appositè usurpatum esse ostenderim? Recognosce verba mea *Dissert.* 2. *cap.* 12. *n.* 27. ubi eis, quæ in Expositione Paulini sermonis de *Abrahamo* ad *Rom.* c. 4. prolixè disseruissem, inter alia hanc conclusionem subjicio: *Accedit, quòd hinc clarè eluceat concordia inter* Jacobum *&* Paulum, *càm ex eodem* Abrahami *exemplo hic hominem justificari sine Operibus, ille justificari hominem ex Operibus concludat. Nempe considerat* Abrahamum Paulus κατὰ τὰ ἔργα, *qualis erat ante vocationem*; Jacobus *verò, ut gratiâ & vocatione divinâ jam donatum. Justificationem ejus Operibus ante fidem factis ille detrahit*; *tribuit hic Operibus ex Fide profectis. Nulla hîc inter Apostolos contradictio.* Hæc, inquam, verba recognosce, & pudeat te, Animadversionem, tam futilem dicam, an malitiosam? calamo tuo excidisse. Quin & illud adjiciam, observationem istam meam quam carpis, ab ipso *Augustino* mutuo esse acceptam. Sic enim ille Lib. de 83. Quæstionib. qu. 76. *Quoniam* Paulus *Apostolus prædicans justificari hominem per Fidem sine Operibus, non bene intellectus est ab eis, qui sic acceperunt dictum ut putarent, càm semel in Christum credidissent, etiamsi malè operarentur, facinorosè flagitiosèque viverent, salvos se esse posse per Fidem*; *locus iste hujus Epistolæ* (sentit de loco Epistolæ *Jacobi* cap. 2.) *eundem sensum* Pauli *quomodo sit intelligendus exponit. Ideòque magis* Abrahæ *utitur exemplo, vacuam esse Fidem si non benè operetur, quoniam* Abrahæ *exemplo etiam* Paulus *Apostolus usus est, ut probaret justificari hominem sine Operibus Legis.* Cætera apud *Augustinum* lectu dignissima sunt.

§. 7. Atque ea fuerunt Argumenta, quibus satis probatum existimaverim, rationi longè convenientius esse, ut *Paulum* ex *Jacobo* quàm *Jacobum* ex *Paulo* interpretemur. Verùm his omnibus tu demum *Tertulliani* regulam satis celebrem opponis, *Oportet ex pluribus intelligi pauciora.* Ejusdémque regulæ iterum me mones in *Animadver. ad cap.* 4. *Dissert. secundæ p.* 73. Huic verò regulæ subsumere videris: At *Jacobi* locus unus, isque paucorum versiculorum spatio conclusus; *Pauli* verò de eodem argumento disputationes & multæ & prolixæ. Atque hinc conclusionem tuam nostræ oppositam inferre voluisti, ergò rationi longè convenientius est, ut *Jacobum* ex *Paulo*, quàm *Paulum* ex *Jacobo* interpretemur. Verùm spissâ

ſpiſsâ hîc fallaciâ & tibiipſi & Lectori tuo imponis, & calculos tuos haud rectè ponis. Nam locus iſte *Jacobi*, quem unum vocas, ſtat integro Scripturarum (ut ità dicam) exercitu ſtipatus. Scilicet, non Fide ſolâ, ſed & Pœnitentiâ (quæ integrum hominis peccatoris ad Deum redeuntis officium in Evangelio præſcriptum complectitur) opus eſſe, ut peccator à Deo propter Mediatoris Sacrificium pro juſto habeatur atque ut juſtus tractetur, remiſſis ipſi peccatis omnibus, atque ad ſalutem vitámque æternam jure ipſi donato, (quæ ſola eſt *Jacobi* doctrina) Scripturæ tam Veteris quàm Novi Teſtamenti palàm & paſſim prædicant. Hoc ipſum notaveram in *Harmonia* ſub initium Argumenti, quo ex aliis Scripturæ teſtimoniis *Jacobi* hypotheſin ſtabilire conatus ſum. Verba hæc ſunt: *Neque enim putandum eſt, S.* Jacobum *parodoxum aliquod aut ſibi peculiare dogma venditâſſe. Nihil minùs. Quod loquitur vox eſt Spiritûs S. ubique idem perſonantis. Idem teſtantur Prophetæ, idem Apoſtoli, idem Chriſtus ipſe. Hæc doctrina Sacrarum Scripturarum utramque ferè paginam complet: ut auſim dicere aliam ullam vix dari poſſe, quæ in Sacris libris tam clarè aſſeritur, aut toties inculcatur.* p. 11. Quid quòd eandem doctrinam *Paulus* ipſe, ídque in iis ipſis Diſſertationibus, ex quibus tu cum aliis multis contrariam hypotheſin aſtruere conamini, ſæpiùs atque apertè aſſerit defendítque, prout *Harmon. Apoſt. Diſſert.* 2. *cap.* 4. *n.* 5, 6, 7, 8, 9, 10. fusè & luculenter oſtendi. Quod verò de Pauli diſſertationibus in contrarium tot & tam prolixis gloriaris, vanum prorſus eſt. Ut hoc Lectori ſobrio ac φιλαλήθει pateat, velim ut hæc duo mecum attento animo expendat: 1. juſtificari hominem ex Fide ſine Operibus, a nemine Scriptore θεοπνεύστῳ in terminis, præterquam ab uno *Paulo*, doceri. Veriſſimam eſſe hanc obſervationem, ex libris quos *Concordantias* vocant, Lector ſuis ipſe oculis certior fieri poteſt. 2. juſtificari hominem ex Fide ſine Operibus, nuſquam ab ipſo *Paulo* doceri, niſi ἀγωνιστικῶς & in certamine, quod iniit cum Evangelii hoſtibus, qui *aliâ ratione* quàm ex fœdere Evangelico, vel, *non ex hoc ſolo* juſtificari hominem, contenderent; nempe, in Epiſtolis ad Eccleſias *Romanam* & *Galatenſem*, & Act. 13. 38, 39. ubi ad Judæos quoque loquitur, eósque a fiducia fœderis *Moſaici* arcere nititur. Certiſſimam eſſe & hanc obſervationem, ratione quam modò indi-

indicavimus, demonſtrari poteſt. Huic autem obſervationi illud velut *Conſectarium* adjungi poteſt, *Paulum* opponere Fidem non aliis virtutibus Evangelicis; (illud quippe à ſcopo ipſius alieniſſimum foret) ſed voce Fidei integram fœderis Evangelici conditionem deſignare, iis rationibus conditionibúſque oppoſitam, quibus vel ſine fœderis Evangelici præſtatione, vel cum ea conjunctis, juſtificari hominem Adverſarii docerent. Sed illud hîc ὡς ἐν παρέργῳ; quippe quod jam in *Harmonia* fusè explicavimus, atque iterum in hoc *Examine* commodiori loco retractabimus. Interim ex his duabus obſervationibus, cum iis quæ diximus de perpetuo Scripturarum tenore collatis manifeſtiſſimum fit, *Tertulliani* regulam ſtatuentis, Oportere ex pluribus Scripturæ locis intelligi pauciora, pro nobis militare; indéque (ſi alia argumenta deeſſent) neceſſariò ſequi, rationi longè convenientius eſſe, ut *Paulum* ex *Jacobo*, quàm ut *Jacobum* ex *Paulo* interpretemur: ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

ANIMADVERSIO II.
ad Diſſert. I^æ. Cap. I^um. n. 4. p. 7.

HIC me ſugillas, quòd obiter in expoſitione loci illuſtris Act. 13. v. 38, 39. in *Chriſtum Credentes* per *Fide formatâ præditos* exponam. Verba tua hæc ſunt: *Lubentiſſimè amplector hanc Paulini ſensûs expoſitionem. Sed phraſis*, Fides formata, *non placet. Poſtea cum Scholaſticis, qui Juſtificationis negotium perplexè tractârunt, & doctrinam Evangelii putidè corruperunt, loquens, Fidem charitate formatam eſſe aſſeris. Parùm logicè aut Theologice. Fides eſt, Apoſtolo judice, à charitate diſtincta. Charitas non eſt magìs forma Fidei, quàm ſpei, aut timoris Dei, aut pœnitentiæ.*

RESPONSIO ad Animadverſionem II.

§. 1. Quo pede cœpiſti pergis. Carpendi κακοήθειαν hîc iterum prodis, dum locutionem innocentiſſimam importunè

&

& non ſuo loco vellicas. Verùm Phraſis, *Fides formata*, quæ tuo pallato non arridet, optimo *Bucero*, inter primos Reformatores Theologo primario, placuit ſatis. Is enim, & hanc loquendi formulam, *Fide formatâ juſtificamur*, aliis commendavit, ut veritati conſonam & paci accommodatiſſimam; & reprehendit illos Proteſtantes, qui in hac quæſtione veris offenderentur, quemadmodum *Diſſert. 2. cap. 2.* obſervavimus: ubi & hanc phraſin ex ipſis D. *Jacobi* verbis ſatis aſtruxi. Hæc repeto, quia tu, pro more tuo, ſilentio præteris; ſatis te feciſſe exiſtimans, ſi contra authoritatem tantam & rationem tam manifeſtam, ſolenne tuum *Non placet* nobis occinas. Sed heus tu! Si tantùm diſplicet locutio, *Fides formata*, cur ipſe in Animadverſionibus tuis phraſin, *Fides viva*, toties uſurpas? Certè enim inter has phraſes diſcrimen vel exiguum eſt, vel planè nullum. Puerile autem eſt, (nè quid pejus dicam) locutionem ab altero uſurpatam averſari, dum ipſe paſſim phraſi haud diſſimili atque in idem prorſus recidente liberè utaris.

§. 2. Sed illud tibi inprimis diſplicuiſſe videtur, quòd poſtea Fidem Charitate formatam eſſe aſſero. Itaque miſſis velitationibus iſtis, liceat quæſtionem hanc ex profeſſo & liberè diſcutiendam proponere, *An charitas forma fidei juſtificæ rectè dicatur?* Ego affirmo, tu negas. Ad ſtatum autem quæſtionis intelligendum apprimè obſervandum eſt, Charitatem Fidei *formam* non dici, quaſi ad *eſſentiam* Fidei pertineret, aut Fidem propriè informaret, cùm unus habitus non ſit ſubjectum alterius; ſed quia per Charitatem actus Fidei hactenus perficitur & formatur, ut ex fœdere Evangelico Deo acceptus fiat, atque ad Juſtificationem ac Salutem hominis proficiat. Illud monueram *Diſſert. 2. cap. 4.* his verbis: *Nullus dubito, quin charitas rectè dici poſſit Fidei juſtificantis forma. Fidei, inquam, juſtificantis; quia Fidem per ſe propriam ſuam habere formam in confeſſo eſt: at Fides quæ & quatenus juſtificat, verâ charitate formetur, omnino eſt neceſſe.* Fruſtrà itaque mones Fidem virtutem eſſe, Apoſtolo judice, à Charitate diſtinctam, neque enim quiſquam ſanus illud negaverit. Ad me verò quod attinet, nôſti quòd ſentiam, Fidem & Charitatem virtutes eſſe etiam ſubjecto diſtinctas, ità u Fides, eáque in genere Fidei perfectæ, in homine reperiri poſſit cui deſit Charitas. Qui autem hoc ſenſu diceret,

ceret, *charitatem Fidei formam*, vel, *Fidem charitate formatam eſſe*, & Logicè & Theologicè ſatis loqueretur. Logicè, quia ut forma eſt cauſa per quam res eſt id quod eſt, ità per Charitatem Fides juſtifica fit juſtifica, nempe ex fœdere Evangelico, alioquin hominem ex fœdere illo nequaquam juſtificatura. Nec minùs Theologicè & S. Scripturis convenienter loqueretur. Quid enim aliud dicit *Paulus* in loco illo celebri, *Gal.* 5.6. *In Chriſto Jeſu neque circumciſio quicquam valet, neque præputium*, ἀλλὰ πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη.

§ 3. Locum in Diſſertationibus ſæpiùs allegavi, quem tamen hîc novâ & ampliori luce donare liceat. Participium ἐνεργουμένη, cùm ſit Vocis Mediæ, Paſſivè hîc ſumendum dixi; proinde πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη exponendum, *Fides per charitatem perfecta*, ſive ad effectum producta. Ac profectò verbum Græcum ἐνεργεῖσθαι vix uſquam alibi legitur activâ ſignificatione, nè apud Authores profanos quidem; ſed ferè ſemper id ſignificat, quod Latinè dicimus, *agi*, *agitari*, *exerceri*, *effici*, *perfici*, aut quid ſimile paſſivum. Unde dicti ἐνεργούμενοι à Dæmone poſſeſſi, acti, agitati, ac velut informati. Hujus autem paſſivæ ſignificationis exempla paſſim occurrunt in Paulinis Epiſtolis. Sic *Rom.* 7. v. 5. *Paſſiones peccatorum, quæ per legem erant*, ἐνεργεῖτο, *efficiebantur*, vel *perficiebantur*, *in membris noſtris*. Ità locum reddidit *Tertullianus*, *de reſurrectione carnis*. Et ſenſus manifeſtus eſt, *paſſiones peccatorum*, *i.e. motus appetitûs ac deſideria peccandi, quæ ſunt & excitantur per legem, exercebantur, atque ipſo opere complebantur in membris noſtris*. Sic 2 *Cor.* 1. 6. *pro veſtra conſolatione ac ſalute, quæ efficitur in tolerantia*: ubi activa ſignificatio conſiſtere non poteſt. Hinc *Chryſoſtomus* expreſsè notat, *Paulum* non dixiſſe ἐνεργέσης, h. e. *quæ efficit*, ſed ἐνεργουμένης, i.e. *quæ efficitur*. Similiter 2 *Cor.* 4. 12. *Mors in nobis* ἐνεργεῖται, *in vobis verò vita*. Ubi miror Interpretes noſtros reddidiſſe [*Death worketh in us.*] Nam qualis hic ſenſus verborum? Ex contextu patet germanam Apoſtoli ſententiam hanc eſſe; ex Evangelii prædicatione in nobis efficitur mors, (nempe pro Evangelio quotidie morimur;) ex eadem autem Evangelii prædicatione in vobis, qui nulla ob id incommoda ſentitis, vita efficitur ſpiritualis & æterna. In his locis manifeſtum eſt, verbum ἐνεργεῖσθαι alio quàm paſſivo ſenſu commodè accipi non poſſe. Cæteris autem, in quibus activam

vam significationem prorsus necessariam esse putârunt nonnulli, passiva optimè convenit. Sic *Eph.* 3. 20. κατὰ δύναμιν τὴν ἐνεργουμένην ἐν ἡμῖν, *secundùm virtutem quæ in nobis effecta, vel perfecta est.* Nam de virtute Divina jam experta fidelibus loquitur, eámque tanquam argumentum adducit, quo innixi fideles de potentia Divina in posterum securi essent. Sic *Coloss.* 1. *ult.* κατὰ τὴν ἐνέργειαν αὐτοῦ τὴν ἐνεργουμένην ἐν ἐμοὶ ἐν δυνάμει· *secundùm efficaciam quæ agitur, vel exercetur, vel perficitur in me in virtute.* Sic 1 *Thess.* 2. 13. λόγον Θεοῦ, ὃς ἐνεργεῖται ἐν ὑμῖν τοῖς πιστεύσασι· *Verbum Dei, quod perficitur in vobis qui credidistis.* Scilicet tum demum in homine, Dei Verbum ἐνεργεῖται, sive *perfici*, dicitur, cùm finem obtinet & effectum sibi destinatum, quæ est Fidei obedientia. Similiter 2 *Thess.* 2. 7. *mysterium iniquitatis* ἤδη ἐνεργεῖται, *jam agitur*, vel *agi incipit.* Ut nulla hîc sit activæ significationis necessitas. Denique, *Jac.* 5. 10. *Multùm valet precatio justi* ἐνεργουμένη, *fervore atque impetu quodam divino acta & incitata.*

§. 4. Itaque ut ad propositum locum revertar, πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη, est, *Fides per charitatem acta, incitata, animata, perfecta.* Neque nova est hæc interpretatio; siquidem *Tertullianus* contra *Marc.* lib. 5. cap. 4. ità locum citat, *Fides quæ per dilectionem perficitur. Tertulliano* consonat Interpres *Syrus*, cujus apud eruditos magna semper fuit authoritas. His autem positis, rogo te, quâ ratione differat phrasis Paulina, πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη, à phrasi quam tantopere aversaris, *Fides charitate formata?* Certè discrimen tam exiguum est, ut altera pro alterius versione satìs commodâ haberi possit. Nec tamen hâc phrasi solâ innitimur; scopus & sententia loci id evincit quod contendimus, nempe Fidem hactenus per Charitatem perfici & formari, ut sine Charitate ad Justificationem & salutem hominis nihil valeat aut proficiat: quod solum velle nos, cùm Fidem Charitate formatam esse dicimus, te jam monui. Hoc autem ex verbis *Pauli* quàm manifestum fit: Quippe veteres Interpretes, tam Græci quàm Latini ad locum hunc notârunt, (& observatio satìs obvia est) cùm Fidem in Christo Jesu aliquid valentem restringit Apostolus addendo, quæ per Charitatem perficitur, apertissimè eum innuere, nullam esse Fidem, quæ sine Charitate in Christo Jesu, hoc est, ex fœdere Evangelico, quicquam valeat ad Justificationem & sa-

lutem hominis; Fidem verò Charitate perfectam eſſe (ut loquitur vir ſummus) in Chriſtianiſmo τὸ πᾶν, ſive illud totum quod Chriſti Evangelium poſtulat. Commentarii vicem in hæc Apoſtoli verba (ſi opus eſſet) ſupplere potuiſſet locus illuſtriſſimus B. *Ignatii*, Apoſtolorum diſcipuli, adeóque συμμύστης, quem in fronte Harmoniæ meæ præfixi: ὃ δὲν λανθάνει ὑμᾶς, ἐὰν τελείως εἰς Ἰησοῦν Χριστὸν ἔχητε τὴν πίστιν καὶ τὴν ἀγάπην, ἥτις ἐστὶν ἀρχὴ ζωῆς καὶ τέλος· ἀρχὴ μὲν πίστις, τέλος δὲ ἀγάπη· τὰ δὲ δύο ἐν ἑνότητι γινόμενα, θεοῦ ἐστίν· τὰ δὲ ἄλλα πάντα εἰς καλοκαγαθίαν ἀκολουθά ἐστι. Quorum verborum (ſummam doctrinæ, quam defendo, ſuccinctè ac dilucidè exprimentium) hic ſenſus manifeſtus eſt. Initium Juſtitiæ Evangelicæ eſt Fides, complementum verò Charitas; hæc autem duo conjuncta hominem in Jeſu Chriſto, ſive juxta fœdus Evangelicum, τέλειον perfectum, hoc eſt, acceptum Deo ad ſalutem æternam reddunt. Cætera verò omnia, quæ ad ſanctam vitam ac bonorum Operum exercitium quovis modo ſpectant, hæc neceſſariò conſequuntur, atque ex his pendent profluúntque. Hoc & alibi clariſſimè docet idem Apoſtolus *Paulus*, 1 *Cor.* 13.2. *Si habuero* πᾶσαν πίστιν, *omnem fidem, charitatem autem non habeo, nihil ſum.* Scilicet ut forma in naturalibus dat *eſſe*, ità Charitas Fidei dat *eſſe* in acceptatione divina; proinde homo, quâcunque Fide præditus, ſine Charitate, quod ad Juſtificationem ac ſalutem attinet, nullus eſt. Locum à frivolis quorundam exceptionibus prolixè vindicavimus, *Diſſert.* 2. *cap.* 4. *n.* 6.

§. 5. Quod ultimo in loco ais, Charitatem eſſe non magis formam *Fidei*, quàm *ſpei*, aut *timoris divini*, aut *pœnitentiæ*, illud demum à te veriſſimè dictum fuit. Certè enim Charitas eſt forma cæterarum omnium virtutum eodem modo quo Fidei. Quippe nulla eſt virtus, quæ non per Charitatem perficitur ac formatur hactenus, ut Deo ſit accepta, atque ad ſalutem hominis proſit. Hinc in Diſſertationibus meis alicubi dixi, Charitatem, ſive Amorem Dei, eſſe *virtutem univerſalem, quæ cæteras omnes bonitate quaſi perfundit, iiſque dignitatem ac gratiam conciliat: ex quo quicquid proficiſcitur, illud demum ſit Deo gratum acceptúmque.* Alibi quoque, nempe *Diſſert.* 2. *cap.* 2. §. 7. affirmo, *Charitatem eſſe virtutem illam, quam in ſalutis negotio Deus inprimis reſpiciat, quæque ſola ex gratioſo Dei fœdere neceſſariò ſecum nexu ſalutem trahat.* Ibi quidem tu miras tragœdias excitas;

Harm. Apoſt. Diſſert. 1 cap. 6. ſect. 8.

citas; quippe ais, *horruisse animum tuum novum illud dogma legentem.* Sed jam observavi, novum tibi videri quicquid in *Systematicis* tuis nondum legisti. Sanè dogma, quod novum appellas ac tantopere exhorrescis, est ipsissima B. *Augustini* & *Prosperi* sententia. Nam in Libro Sententiarum ex *Augustini* Operibus excerptarum à *Prospero*, numero septima hæc est: *Dilectio Dei & proximi propria & specialis virtus est piorum & sanctorum, cùm cæteræ virtutes & bonis & malis possint esse communes.* Si nulla est virtus præterquam Charitas, quæ sanctis cum impiis non sit communis, consequentia manifesta est, Charitatem esse virtutem illam, quam Deus in salutis negotio inprimis respicit, &c. Ac sanè, si ipsa Fides ex se imperfecta sit, atque ad salutem hominis, nisi δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη, nihil valeat, (quod jam liquidò probavimus) quis non videt idem de cæteris virtutibus multò magìs dici posse? Itaque quod de Fide dicit *Paulus*, *eam sine charitate nihil proficere*, ad alias quoque virtutes ab ipso extenditur; nempe, non modò ad Cognitionem & Prophetiam, sed ad ἐλεεμοσύνην, adeóque ad ipsum Martyrium, 1 *Cor.* 13. Huc respexisse Apostolum, cùm variis virtutibus enumeratis, *Colossenses* hortatur *super omnia induere charitatem*, σύνδεσμον τῆς τελειότητος, *Col.* 3. 14. meritò existimavit *Isidorus Clarius*, ad locum ità scribens: *Charitas*, inquit, *nihil est aliud quàm res quædam bona omnia in unum colligens; nam ea est, quæ cætera efficit ut sint bona.* Quàm manifestè autem hoc dicit Apostolus, *Rom.* 13. 10. & *Gal.* 5. 14. ubi Charitatem πλήρωμα τοῦ νόμου appellat? Hinc enim apertissimè constat Charitatem esse (utì diximus) virtutem universalem, quæ omni præcepto Divino respondet, ac sine qua nullum Dei præceptum ritè servari possit. Loquitur quidem directè in locis illis Apostolus de Charitate erga proximum; sed dilectio Dei in dilectione proximi includitur, ut causa in effectu. Præterea, sicut dilectio proximi omnia præcepta implet, quæ ad proximum pertinent; ità dilectio Dei præcepta complet omnia, quæcunque ipsum Deum respiciunt. Denique, controversiam hanc totam clarissimè definivit Christus ipse, (atque utinam tandem per misellos homunciones liceret nobis Dei ac Domini nostri vocem audire, ipsiúsque decisio-

Idem dextrè *Clem. Rom.* Ep. ad *Cor.* p. 110, 112. edit. *Oxon.* 1669. Ἀγάπη κολλᾶ ἡμᾶς τῷ Θεῷ· & mox, δίχα ἀγάπης οὐδὲν εὐαρεστόν ἐστι τῷ Θεῷ.

ni ſtare!) qui diſertis verbis pronuntiaverit, *univerſam legem ac prophetas ex his duobus mandatis pendere*, nempe, *Diliges Deum tuum ex toto corde tuo, &c. & diliges proximum ſicut teipſum*, Mat. 22. à v. 35. ad v. 40. incluſ.

§. 6. Si quis autem hac de re poſt rationes tam manifeſtas adhuc dubitat, ſeriâ conſideratione mecum percurrat velim ſingulas virtutes à te commemoratas, nempe, *ſpem, timorem divinum*, & *pœnitentiam*; ac videbit nullam ex his eſſe, cui *Charitate* non ſit opus, quâ ità perficiatur ac formetur, ut Deo ad ſalutem accepta fiat. A *ſpe* exordiamur. Hæc virtus, prout a Fide diſtinguitur, ipſâ notione ſuâ Charitatem involvit; ſiquidem in hoc a Fide differt, quòd deſiderio fertur in objectum ſuum, quod Fides nudo aſſenſu apprehendit: Deſiderium autem illud Charitas ſive Amor eſt. Res ità pleniùs demonſtrari poteſt. Sicut nihil ſperatur niſi cognitum ac creditum, unde oportet cognitio & fides Spem præcedat; ità nihil ſperatur niſi amatum, teſte *Auguſtino Enchir.* 8. & ratione ipſâ confirmante. Ex quo ſimiliter conſequitur, quòd amor Spem præcedat, & quidem talis amor, quo Deus cœteris omnibus anteponitur. Nam ut Spes non eſt ſine amore, ita Spes ſummi boni, ut ſummi, (quæ ſola ad ſalutem valet, & de qua ſola loquimur) non poteſt eſſe ſine amore ſummi boni, ut ſummi, hoc eſt, ſuper omnia, quæ eſt charitas Chriſtiana. Ad *timorem divinum* quod attinet, res manifeſta eſt. Timor Dei ſine charitate eſt timor *Mancipii*, non *Filii*; Timor autem filialis, quæ ſola ad ſalutem prodeſt, quæque aliis nominibus *ſanctus*, *caſtus*, *ingenuus*, *amicalis* & *reverentialis* à Scholaſticis vocatur, is dicitur, quo quis Deum metuit offendere, & per offenſam ab eo tanquam ſummo bono ſeparari. Hic Timor hominem à peccato abſtinere facit, non ſolo Gehennæ metu, ſed etiam virtutis ac juſtitiæ amore. Hic Timor non modò manum cohibet, ſed & cordi imperat. Contrà, ſervilis timor manum quidem coercet à perpetratione peccati, ſed voluntatem peccandi nulla ex parte corrigit. Denique de tertia virtute à te commemorata, pœnitentiâ ſcilicet, res æquè manifeſta eſt. Pœnitentia ſtrictè, ut hîc, ſumpta, atque à cœteris virtutibus diſtincta, eſt dolor de peccatis commiſſis. Dolor autem iſte ſine Charitate eſt tantùm *attritio*, (ut Scholaſtici loquuntur) non *contritio*, adeóque ad ſa-

ſalutem non valet: *Contritio* verò ſive verus dolor de peccatis is eſt, quo quis de peecato ſuo dolet non modò, quà pœna ipſi ob id debetur, ſed etiam quà Dei (Dei inquam, optimi) offenſa eſt. Itaque hujus doloris comes eſt ſincerum peccati odium, verúſque Dei ac juſtitiæ amor. Unde *Auguſtinus* ait, (*Serm. 7. de Tempore*) *Pœnitentiam certam non facit, niſi odium peccati & amor Dei.*

§. 7. Ex his jam omnibus ipſe, utì ſpero, tandem intelliges, quàm non ſine juſtiſſimis rationibus phraſi, *fides formata*, uſus fuerim, & *Fidem charitate formatam* eſſe dixerim; ſi tamen locutiones iſtæ etiamnum tibi diſplicent, tecum agentes in poſterum Paulinâ phraſi, πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργυμένη, vel *Jacobi*, πίστις ἐξ ἔργων τελειωθεῖσα, contenti erimus. Neque enim inanibus λογομαχίαις delectamur.

ANIMADVERSIO III.
ad diſſert. 1æ. cap. 1um. §. 5. p. 7.

HIC veram notionem vocabuli δικαιῦν, prout in hac controverſia in Scripturis uſurpatur, contra *Grotii* ſententiam adſerens, hoc argumento utor: *Vox* δικαιῦν *tam apud* Paulum *quàm apud* Jacobum *idem planè valet, quod* μισθὸν λογίζεσθαι, δικαιοσύνην λογίζεσθαι, εἰς δικαιοσύνην λογίζεσθαι· *mercedem imputare, juſtitiam imputare, ad juſtitiam imputare. Jam Imputationem notare actum Dei hominem juſtum æſtimantis, non juſtum facientis nimis manifeſtum eſt; neque id* Grotius *ipſe negare aut voluit, aut potuit.* Ad quæ tu hæc ad verbum notas: *Vir eruditus ſatìs commodè ſtatuit, & ſolide probavit Juſtificationem eſſe æſtimationem hominis juſti, qui juſtus ſit aliâ ratione quàm merâ judicii ſententiâ. Deus Juſtificat* τὸν ἀσεβῆ, *ſed Chriſti Juſtitiæ participem per Fidem*, Rom. 4. 5. *Cæterùm mirè hallucinatur, cùm Juſtificationem cum præmio confundit; & S.* Pauli *verba non exactè perpendit, cùm* μισθὸν λογίζεσθαι *&* δικαιοσύνην λογίζεσθαι *idem valere in Apoſtolo affirmat. Si* Paulus *enim operanti mercedem non ex gratia, ſed debito imputari dicit; ſed credenti, & non operanti, imputari Fidem in Juſtitiam*, Rom. 4. 4, 5. *Attende diligenter & perpende, utrùm Apoſtolus uſquam mercedem imputari credenti*

dixerit; *& an locus* Davidis *ferre possit mercedis imputationem, factam illi, cui Fides imputatur adjustitiam absque Operibus. v. 6.*

RESPONSIO ad Animadversionem III.

§. 1. Quid in primo Animadversionis tuæ membro tibi velis, vix satis intelligo, nec multùm meâ refert, intelligam nécne. Nam quicquid sit, quod ibi dicis, consensum tuum & approbationem eorum, quæ a me dicta sunt, exprimit. Itaque illud solum expendendum duxi, quod sequitur, ubi dicis, *mirè hallucinatum me esse, cùm Justificationem cum præmio confundo.* Certè hîc ipse apertè hallucinaris. Neque enim Justificationem *cum præmio*, sed *cum præmii imputatione*, sive *adjudicatione*, confundo, Apostoli *Pauli* authoritate satis manifestâ fretus. Sed & hoc te malè habet; ideóque alibi in Animadversionibus plùs decies id in me reprehendis, quòd Imputationem præmii, sive acceptationem hominis ad salutem ac vitam æternam, à Justificatione haud satis accuratè distinxerim. Nam ad pag. 9. *Dissertationis primæ*; ubi cum Reformatis Theologis penè omnibus Justificationem peccatoris ex fœdere Evangelico hunc in modum describo, *Est actio Dei more judicis ex lege Christi gratiosa absolventis accusatum, justum pronunciantis, atque ad præmium justitiæ, h. e. vitam æternam acceptantis*, hæc notas: *Hæc de præmio interpolatio est intempestiva, & nullo Scripturæ loco nixa Justificationis explicatio. Vita æterna justitiam sequitur: Sed in absolutione ab omni peccati culpa & merito mortis, nullus est præmio locus, &c.* Et alibi ad pag. 12. quod affirmo, Justificari, & Deo ad salutem gratum esse, idem valere, id dicis πρῶτον esse ψεῦδος, *quod præsumo, non probo, & hoc infirmo tibicine totam molem ædificii mei fultam, nutare & citò labascere.* Atque iterum ais, *me ad hanc* Petram *sæpe pedem collidere.* Itaque plurimùm meâ interest hanc sententiam meam solidis argumentis probare, atque à tuis Exceptionibus hîc illic in *Censura* sparsis semel vindicare. Quod ut commodiùs faciam, hanc quæstionem ex professo discutiendam propono; *An notio Justificationis Evangelicæ necessariò includat præmii imputationem, sive acceptationem hominis ad vitam ac salutem æternam?* Vel, *An Collatio juris ad regnum cœleste sit propriè actus Justificationis Evangelicæ?* Ego affirmo, tu negas,

gas, qui inter Justificationem & præmii Imputationem discrimen tam latum statuis, ut *in absolutione ab omni peccati culpæ* (quæ sola, te judice, Justificatio est) *nullum esse præmio locum*; & *præmii adjudicationem à Justificatione longè distare*, fidenter affirmas ad p. 371. adeóque *actum Justificationis extraneum* appellas in notis ad *pag.* 18.

§. 2. Ad statum autem quæstionis rectè intelligendum illud adprimè observandum, non affirmare nos, vocabulum ipsum Justificationis per se præmii imputationem implicare. Non sumus tam fungi aut stupidi, ut non probè intelligamus, Justificationem ibi reperiri posse, ubi præmio nullus locus est. Qui in *foro humano* furti, homicidii, vel alius criminis incusatur, si innocens sit, judicis sententiâ absolvitur, i. e. justificatur; cui tamen, quòd fur vel homicida non sit, nullum præmium statuitur. Itaque frustrà es, cùm ad paginam libri mei 31 à me interrogas, *num idem sit judicis actus reum à crimine liberare, & gratum habere, sive præmio dignum censere?* Quis enim sanus illud affirmaverit? Cæterùm in hac quæstione loquimur (utì satis nôsti) de vocabulo Justificationis ad *forum divinum*, & Legem sive Fœdus Evangelicum traducto. Justificatio autem Divina, quæque ad normam fœderis Evangelici exigitur, non tantùm Absolutionem à peccatis, sed & præmii Imputationem continere nulli dubitamus. Justificare per se significat *justum aliquem pronuntiare*, atque *ut talem tractare*. Quem autem Deus justum pronuntiat, & ut justum tractat, ei non modò remittit peccati debitum; sed & eum laudat, amat, & præmio dignum censet, ut rectè hîc statuit *Grotius*. Rem totam paucis complectar. Justificationis (ut ità dicam) *latitudo* ex Lege censenda est, ad cujus normam peragitur. Hinc qui in foro humano judicis sententiâ à crimine absolvitur, hoc est, justificatur, ei præmium non adjudicatur; quia lex tale præmium insonti nullum statuit. At cùm in foro Divino, homo peccati quidem reus, sed Fide præditus, δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη, ex fœdere Evangelico justificatur, ei non tantùm peccata remittuntur, sed & jus ad præmium cœleste adjudicatur. Quare? Quia Lex Evangelica credenti tale præmium ipsa decernit. Itaque in hoc foro, etiamsi non idem planè sit reum à crimine liberare, & præmio dignum censere, tamen utrumque actum sub eodem Justificationis Evangelicæ beneficio contineri certum

Discuss. p. 39.

est;

eſt; id quod ſolum affirmavimus. Statu quæſtionis ità poſito, ſententiæ noſtræ veritas jam ſatis elucet, ut vix opus ſit in hac controverſia diutiùs immorari. Verùm, quia hæc Animadverſio tuæ in librum meum *Cenſuræ* ferè prora & puppis eſt, quam ubique penè ad nauſeam repetis, quâque veluti machinâ quâdam adhibitâ totam ædificii noſtri molem corruere gloriaris; ideo viſum eſt rem hanc fuſiùs demonſtrare, tùm Scripturæ teſtimoniis, tum rationibus atque argumentis Scripturâ innixis: expenſis quoque, prout ſuis locis occurrunt, objectionibus quæ à te in contrariam partem afferuntur.

§ 3. Scripturæ teſtimonia, quæ ſententiam meam confirmant, primo in loco adducam. Initium faciam à loco quem in *Diſſertationibus* jam attuli, nempe Rom. 4. v. 3. Coll. v. 4. ubi notavi Apoſtolum de Juſtificatione diſputantem, quod priùs dixerat ἐλογίσθη εἰς δικαιοσύνην, poſtea hâc phraſi exprimere, μισθὸς λογίζεται. Hinc infero, *imputare aliquid alicui in Juſtitiam*, & *imputare alicui ob aliquid præmium*, ἰσοδυναμοῦντα eſſe. Hîc ais *me in Apoſtolo exponendo hallucinari, cùm ille præmii imputationem neget, quando Fidei imputationem aſſerit*, v 5. Itidem in Animadverſione, quam præ manibus habemus, notas *Paulum*, dicere, *Operanti mercedem non ex gratia, ſed ex debito imputari; ſed credenti & non operanti imputari Fidem ad Juſtitiam.* Verùm egregiè hîc ipſe hallucinaris. Neque enim ſimpliciter negat *Paulus* credenti mercedem imputari, ſed credenti mercedem imputari κατ' ὀφείλημα. Utrique ſcilicet tam credenti, quàm operanti, mercedem imputari agnoſcit, ſed diverſâ ratione; alteri ex debito, ex gratia verò alteri. Hic eſt *Pauli* ſenſus manifeſtus. Nam apertè diſtinguit Apoſtolus inter Imputationem mercedis ex gratia & ex debito. At quorſum hæc diſtinctio, ſi nullam ſtatueret (quemadmodum tu ſentis) mercedis Imputationem, niſi quæ operanti, hoc eſt, ex debito, fiat? Cur igitur, inquies, Apoſtolus id quod v. 4. de operante negatum erat, ipſi ſcilicet mercedem imputari κατὰ χάριν, non repetit in ſequenti oppoſitione ac de credente affirmat hoc modo, *At credenti merces imputatur ſecundùm gratiam*; ſed planè aliter loquitur, *Credenti Fides ejus imputatur in Juſtitiam?* Reſpondeo, quia eo ipſo quòd credenti Fides ipſius imputatur in Juſtitiam, ſatis apparet, mercedem ei non ex debito, ſed ex gratia imputari; ac proinde Juſtificationem

Hav. Apoſt. p. 37.

ejus

ejus eſſe merè gratuitam: cùm *Fides* per ſe gratiam ſonet & debitum meritúmque prorsùs omne excludat. Vide quæ de hoc loco fusè diſſeruimus *Diſſert. 2. cap.* 12. §. 22,23. &c. Ubi tu, loco licèt exigente, nè γεῦ quidem dicis, quod ad hanc rem pertinet. Præterea, ibi dicit Apoſtolus, *mercedem credenti imputari*, ubi dicit, *Fidem credenti ad Juſtitiam imputari.* Nam cùm res aut factum quippiam in Scripturis dicitur alicui imputari ad juſtitiam, certum eſt phraſi iſtâ notari Divinam approbationem, vel, Deum factum illud pro laudabili habere, ſive pro tali, cui ex immenſa ſua bonitate mercedem tribuendam eſſe ſtatuit. Sic ultio illa, quam zelo Dei accenſus de idololatris ſumpſit *Phinees*, dicitur *ei in juſtitiam reputata*, vel *imputata*, Pſal. 106. 30. hoc eſt, à Deo habita pro facto laudabili, ac remuneratione digno. Illud ex ipſa hiſtoria liquet *Num.* 25. 12. ubi diſertè legimus, Deum propter zelum *Phineæ* mercedem ingentem & ipſi & poſteris ipſius adjudicâſſe. Vide doctiſſimum *Hammondum* in locum Pſalmiſtæ. Hinc autem obiter novum & validiſſimum ſententiæ noſtræ confirmandæ argumentum colligimus. Certum eſt, *hominem juſtificari ex Fide*, & *Fidem homini ad juſtitiam imputari*, pro eodem in Scripturis poni. Illud multis Scripturæ teſtimoniis inter ſe collatis adversùs *Grotium* oſtendi *Diſſert. 1. cap.* 1. Sed tu hîc cum *Grotio*, quem alioqui cane pejùs & angue oderis, ſentire maluiſti, (idque contra Theologos Reformatos penè omnes) quàm apertiſſimæ veritati manus dare. Ideóque duo iſta dicis (& dicis tantùm) ſenſu inter ſe reverà diſcrepare. Verùm ex Scripturis diſcrepantiam oſtende, & ad loca omnia à me indicata, séque inter collata, reſponde ſi poteris. Interim progredior. Æquè certum eſt, phraſi, quâ cui quid ad Juſtitiam imputari dicitur, præmii Adjudicationem vel imprimis ſignificari. Quid verò ex his ſequitur? Scilicet, Juſtificationem de qua in Scripturis Novi Teſtamenti agitur, ſuo ambitu comprehendere præmii Imputationem, ſive Acceptationem hominis ad ſalutem vitámque eternam: ὅπερ ἔδει δεῖξαι. Sed ad alia jam loca progredior. *Har. Apoſt.* P 8.

§. 4. Locus illuſtriſſimus, quémque nullo artificio poſſis eludere, occurrit Rom. 5. v. 18. *Nempe igitur, ſicut per unius offenſam reatus venit in omnes homines ad condemnationem; ità per unius Juſtitiam beneficium redundavit in omnes homines ad* δικαιω-

δικαίωσιν ζωῆς, i. e. *ad Juſtificationem Vitæ*. Hîc Juſtificatio, quæ Fidelibus per Chriſtum contingit, non ſimpliciter dicitur δικαίωσις, *Juſtificatio* vel δικαίωσις ἀπὸ θανάτου, *Juſtificatio à morte* ſeu pœnâ peccati; ſed δικαίωσις ζωῆς, *Juſtificatio vitæ*, hoc eſt, Juſtificatio vitalis ſeu vivifica; quippe quæ non tantùm à morte liberet, ſed & vitam cœleſtem atque æternam beatitudinem afferat. Apprimè quoque notandum eſt, Apoſtolum verſu præcedente ex profeſſo celebrare voluiſſe τὴν περισσείαν τῆς χάριτος καὶ τῆς δωρεᾶς τῆς δικαιοσύνης, *exundantiam gratiæ & doni Juſtitiæ*, ſive Juſtificationis per Chriſtum; nempe, quòd donum illud Juſtificationis non conſiſtit vel ſubſiſtit in ſola liberatione à morte quam peccato meriti ſumus, ſed ulteriùs progreditur, & nobis dat ut ἐν ζωῇ βασιλεύωμεν, *in vita regnemus per Jeſum Chriſtum*. Quid clariùs dici potuit?

§. 5. Firmum quoque pro noſtra ſententia Argumentum peti poteſt ab iis Scripturæ locis, ubi *hæredem fieri*, nempe regni cœleſtis, & *juſtificari*, pro eodem ponuntur, ut *Rom.* 4. 13, 14. *Gal.* 3. 18. *Col.* 3. 24. Iſtis verò addi poſſunt textus omnes, in quibus *Juſtificatio*, *Vita*, & *Salus*, promiſcuè uſurpantur. Quæ enim alia ratio hujus promiſcui uſûs aſſignari poteſt præter hanc, quòd in Juſtificatione jus ad ſalutem vitámque æternam nobis conferatur? Unicum locum adferam, nempe *Gal.* 3. 11. *Neminem autem per legem juſtificari apud Deum manifeſtum eſt: quoniam juſtus ex fide vivet.* Ubi probat Apoſtolus, juſtificari hominem non ex Lege, ſed ex Fide, hoc teſtimonio, quòd homo *ex fide vivit*. Argumentum autem Apoſtoli ſcopæ eſſent diſſolutæ, niſi vera eſſet hypotheſis noſtra, nempe, *juſtificari*, & *jus ad vitam*, nempe æternam, *habere*, ἰσοδυναμοῦντα eſſe. Atque hactenus de Scripturæ teſtimoniis.

Vide *Rom.* 10. 5. *Gal.* 3. 8, 9, 21.

§. 6. His autem expreſſis Scripturæ teſtimoniis duo argumenta adjungam, quæ etiam fundamentis in Scriptura poſitis nituntur, atque ex eadem per manifeſtam conſequentiam deducuntur. 1. Qui ex fœdere Evangelico juſtificatur, is hoc ipſo jus habet ad beneficia omnia quæ in illo fœdere continentur; Atqui inter beneficia in Evangelico fœdere contenta, primarium, & cæterorum omnium complementum, eſt ſalus & vita æterna: Ergò, qui ex fœdere Evangelico juſtificatur, eo ipſo jus habet ad ſalutem & vitam æternam. Minor hîc propoſitio extra controverſiam eſt. Ad Majorem quod attinet,

net, his rationibus confirmatur. Primò, Si ex Justificatione Evangelica jus non habemus ad beneficia omnia quæ in Evangelico fœdere continentur, tum Justificatio Evangelica est quiddam imperfectum; quod Christianis auribus absonum videbitur. Deinde, quisquis ex fœdere Evangelico justificatur, eum integram fœderis Evangelici conditionem, pro statu in quo est, præstitisse oportet. At qui integram fœderis Evangelici conditionem præstitit, is jus habeat necesse est ad beneficia omnia in illo fœdere contenta; quippe quæ à conditione illa pendeant. Hîc dico, (quod notandum est) quemvis Justificatum præstitisse integram fœderis Evangelici conditionem, *pro statu in quo est*. Quibus verbis hoc volo: Quisquis Fide in Christum δι' ἀγάπης ἐνεργουμένῃ præditus est, is eo momento præstitit integram fœderis Evangelici conditionem, quæ in statu, in quo est, ab ipso requiritur, etiamsi jugis & pia operatio adhuc desit; proinde ex fœdere illo Justificatur, atque ad omnia fœderis ejusdem beneficia jus habet. Ab eodem verò, si tempus conceditur, jugis & pia operatio, sive tractus & series factorum conspicuorum, quam Græci Patres πολιτείαν vocant, requiritur; quod in *Dissertationibus* meis alicubi notavi. Itaque hæc conditio jugis operationis in Evangelico fœdere non absolutè requiritur, sed ex hypothesi; nempe, si Deus vitam largitus fuerit. Denique, *Paulus* ipse Rom. 4. v. 6, 7. &c. ex *Davide* asserit μακαρισμὸν, sive perfectam *beatitudinem, hominis, cui Deus Justitiam imputat*, hoc est, quem Deus Justificat. Atqui perfectè beatus non esset homo à Deo Justificatus, si quo fœderis Evangelici beneficio destitueretur; multò minùs si ad primarium Evangelii beneficium, vitam nempe æternam, in qua unica beatitudo hominis consistit, jus adhuc haberet nullum.

§ 7. Altera ratio, quæ priorem confirmat, hæc est. Apud omnes in confesso est, hominem Justificatum, qui eo ipso temporis momento, quo Justificatur, moreretur, proculdubiò salvum, hoc est, æternæ vitæ participem, fore. Atqui omnes vident, hanc hypothesin certam non fore, nisi certa esset nostra, nempe, in Justificatione jus homini ad salutem ac vitam æternam conferri.

§. 8. His omnibus satis me demonstrâsse puto, Justificationem hominis peccatoris, quæ in Evangelio promittitur, suo

ambitu comprehendere non modò Absolutionem à peccatis, sed & præmii Imputationem, sive Acceptationem hominis ad salutem ac vitam æternam. Illud mantissæ loco addam; ex sententia tua, si vera esset, (prout est falsissima) nempe, Justificationem in Scripturis Novi Testamenti ab Acceptatione ad salutem distingui, nihil detrimenti causæ, quam in libro nostro agimus, accessurum; modò illud concedatur, (quod tu ultrò fateris) duo ista res esse ità inter se connexas atque inseparabiles, ut qui Justificatur jus etiam ad salutem semper habeat. Nam hoc concesso, inconcussa manent argumenta illa omnia, quibus probo Fidem simplicem virtutem ad Justificationem non sufficere, ex eo quòd Fides ad id non sufficit ut quis Deo ad salutem gratus sit. Nam rerum ità inter se connexarum diversas conditiones statuere perquàm absurdum foret. Itaque tota hæc Disputatio tua, tandem in inutilem λογομαχίαν recidat necesse est.

ANIMADVERSIO IV.

ad Dissert. 1^z. Cap. 1um. pag. 10.

Dico, cùm *Jacobus* affirmat hominem ἐξ ἔργων δικαιοῦσθαι, particulâ ἐκ notari tantùm *conditionem præcedaneam*, quæ vulgò *causa sine qua non* dicitur, licèt reverâ vix causæ nomen mereatur. Tum addo: *Cùm dicitur homo* ἐκ πίστεως δικαιοῦσθαι, *particula* ἐκ *manifestè hoc sensu sumitur. Quippe nè ipsâ quidem Fide, tanquam causâ principali, imò non ut causâ omninò nisi impropriè dictâ, justificari aliquis dicitur.* Tu verò hîc notas: *Justificari Fide,* ἐκ πίστεως, διὰ πίστεως, *cùm dicimur, Fidei* ἐνέργειαν *causalem justitiæ, quam per Christum adipiscimur,* ἐνεργῶς *exprimitur.*

RESPONSIO ad Animadversionem IV.

Si ego de quacunque alia nostra virtute hæc scripsissem, quàm citò, pro more tuo, exclamaturus fuisses, *horret animus*

mus novum illud dogma legens. Fidei hîc ἐνέργειαν tribuis Juſtitiæ cauſalem ab ea diſtinctam, quæ ipſi ut conditioni fœderis Evangelici convenit; nam & hanc ipſe agnoſco. Sed, ut dixi, conditio eſt tantùm cauſa ſine qua non, quæ vix cauſæ nomen mereatur. Tu verò altiùs aſſurgis, & præter iſtam, aliam ἐνέργειαν Juſtitiæ verè cauſalem Fidei adſcribis. Certè dogma hoc tuum verè novum eſt. Quæ enim Confeſſio Reformatarum Eccleſiarum Fidei ἐνέργειαν Juſtitiæ cauſalem (ut loqueris) tribuit? Saltem Eccleſia noſtra ab hoc tuo dogmate longiſſimè abhorret, quemadmodum *Diſſert. 2. cap. ult.* liquidò oſtendi. Imò Syſtematici illi tui, qui Inſtrumentalitatem neſcio quam, in negotio Juſtificationis Fidei tribuerunt, hîc tamen à te diſſentiunt. Quippe illi quidem Fidem, Juſtificationis inſtrumentum eſſe docent; ſed *paſſivum* tantùm, ſeu *receptivum*, ut loqui amant: ἐνέργειαν verò Juſtitiæ cauſalem tecum Fidei aſcribere auſi non ſunt, adeóque ab ea locutione abhorruerunt. Quàm ſibimet conſentaneè hac in re locuti ſint iſti, non laboro; ſiquidem mihi iſtic nec ſeritur nec metitur. Sufficit monuiſſe, hanc loquendi formulam, nè apud tuos quidem, ſatìs probatam eſſe. De *inſtrumentalitate* autem Fidei, quam aſſeris, poſtea ſuo loco fuſiùs agemus. Interim memineris, te in Juſtificationis negotio plus humano operi tribuere, quàm ego auſim aſcribere.

ANIMADVERSIO V.

ad Diſſert. 1. cap. 2. pag. 14.

INter alia Scripturæ Teſtimonia ad probandam *Jacobi* hypotheſin, verba allego *Petri* Apoſtolorum principis, *Act.* 10. 34, 35. ἐπ' ἀληθείας καταλαμβάνομαι ὅτι οὐκ ἔστι προσωπολήπτης ὁ Θεὸς, ἀλλὰ ἐν παντὶ ἔθνει ὁ φοβούμενος αὐτὸν, καὶ ἐργαζόμενος δικαιοσύνην, δεκτὸς αὐτῷ ἐστι. Quæ verba ita διαφορητικῶς expono. *Deus nullius perſonam reſpicit;*

cit; is omnis & ſolus ei ad ſalutem δεκτὸς acceptus eſt, qui ipſum timet & Juſtitiam operatur. Subjicio, *quid clarius?* Animadverſio verò tua ad hunc locum his verbis concepta eſt: *Reverâ quod* Petrus, *cui par eſt* Paulus, *dixit, eſt ſatis clarum, ſed nihil ad rem. Qui operatur Juſtitiam Deo δεκτὸς. Tu de tuo addis, ad ſalutem, quod* Petrus *non dixit. Certè* Cornelius, *qui ob Juſtitiam ſuam fuit Deo gratus, nondum fuit ad ſalutem ſatis inſtructus, donec Fide in Chriſtum eſſet imbutus. Sed neque pius* Centurio, *neque alius Juſtitiæ operarius, eſt eo nomine juſtus in conſpectu Dei, & omni culpâ purus ob ſuam Juſtitiam inhærentem. Cave ne Spiritui Sancto oggannias.*

RESPONSIO ad Animadverſionem V.

§. 1. Quòd *Petrum Apoſtolorum principem* obiter dixerim, tibi diſplicuiſſe videtur; quanquam cum antiquiſſimis & probatiſſimis in Eccleſia Doctoribus hîc locutus fuerim. Verùm, ut illi, ità egomet, contra Pontificios, lubentiſſimus agnoſco, *Paulum*, aut quemvis alium Apoſtolum, quod vel Apoſtolicum munus, vel regimen Eccleſiæ attinet, *Petro* fuiſſe parem. Sed illud tecum leviter perſtrinxiſſe ſufficiat. Ais autem, quod *Petrus* dixit ſatis clarum eſſe, ſed nihil ad rem. Imò, inquam ego, ad rem meam quammaximè pertinet. Si enim nemo Deo ad ſalutem δεκτὸς eſt, niſi qui ipſum timet & Juſtitiam operatur, tum nemo niſi qui talis eſt Juſtificatur; ſiquidem *Deo ad ſalutem acceptum haberi*, atque *à Deo juſtificari*, ἰσοδυναμοῦντα ſunt: quod & modò perſpicuè & fusè oſtendi. Verùm, ais, illud *ad ſalutem* de meo additum eſſe: fateor; ſed additum à me eſt textu & re ipſâ ſuadente. Etenim hominem, qui Deum verè timet, & Juſtitiam operatur, etiam ad ſalutem ipſi acceptum haberi, quis dubitat?

Cæterùm quod dicis, *Cornelium* (cujus ſcilicet occaſione *Petrus* verba iſta protulit) nondum fuiſſe ad ſalutem ſatis inſtructum, donec Fide in Chriſtum imbutus eſſet, illud quidem conſiderationem meretur. Centurionem illum fuiſſe *Judaicæ* religionis proſelytum, ex eorum claſſe, qui *proſelytæ portæ* dicebantur, hoc eſt, qui relictâ quidem Idololatriâ vero *Iſraëlitarum* Deo ſeſe dederant, nondum tamen circumciſioni cæteriſque Legis *Moſaicæ* ritibus ac ceremoniis ſe ſubjecerant,

(quan-

(quanquam video eſſe nunc dierum viros doctos qui illud in dubium vocant) mihi extra controverſiam videtur. Nam præterquam quòd Centurio à *Luca* dicitur εὐσεβὴς καὶ φοβούμενος τὸν Θεὸν, *Act.* 10. v. 1 & μαρτυρούμενος ὑπὸ ὅλης τῆς ἔθνους τῶν Ἰουδαίων· ibid. v. 22. (quæ verba religione Judaicâ illum inſigniter imbutum fuiſſe, non obſcurè indicant:) illud quoque vel imprimis obſervationem noſtram meretur, *Petrum* in concione, quam habuit ad *Cornelium* ejúſque familiam, probâſſe Ieſum eſſe Meſſiam ex libris Prophetarum, v. 43: quod certè non feciſſet, niſi Centurioni, eíſque qui cum ipſo erant, Scripta Prophetica ſatìs & nota atque approbata fuiſſent.

§. 3. Erat ergò *Cornelius* προσήλυτος ad religionem Judaicam, ſed inferioris ordinis, hoc eſt, גר שער *proſelytus portæ*, non propriè dictus Proſelytus, גר צדק ſive גרית *proſelytus Juſtitiæ*, vel *fœderis*; quippe qui circumciſus non fuerit, utì diſertè legitur *Act.* 11. v. 3. De ſalute autem Proſelytarum hujus ordinis non eadem fuit Judæorum ſententia. Quidam eos à ſpe ſalutis omnino arcebant, ut apparet ex *Act.* 15. v. 1. Plerique verò mitiorem ſententiam ſecuti, pios hoſce ex Gentibus partem in futuro ſæculo habituros lubentiſſimi crediderunt. Cujus ſententiæ ſuæ hanc firmiſſimam rationem adduxerunt, quòd ipſa circumciſio non erat imperata niſi *Abrahami* poſteris, *Gen.* 17. 10, 11, 12. nec Lex *Moſis* niſi *Iſraëlitis*. Hinc in celebri hiſtoria de *Izate Adiabenorum* rege, quæ apud *Joſephum* extat *Antiq. lib.* 20. c. 2. legimus, *Izatem* jam à cultu Idolorum ad unum & ſolum verum *Iſraëlitarum* Deum converſum, hoc non contentum ulteriùs progredi voluiſſe, atque ipſam circumciſionem pati; νομίζοντα μὴ ἂν εἶναι βεβαίως Ἰουδαῖος, εἰ μὴ περιτέμοιτο, *exiſtimantem ſe non eſſe perfectum* Judæum, *niſi circumcideretur*: hoc verò conſilium Doctori ipſius *Ananiæ* diſplicuiſſe, qui Regem monuerit, δυνάμενον αὐτὸν καὶ χωρὶς περιτομῆς τὸ θεῖον σέβειν, *licuiſſe ei etiam abſque circumciſione Deum pie colère*. Sed quid hac de quæſtione ſenſerint *Judæi*, non multùm refert; cùm apud Chriſtianos omnes in confeſſo ſit, *pios ex Gentibus*, qui verè pii erant, abſque circumciſione Deo ad ſalutem placuiſſe. Talem autem fuiſſe *Cornelium* ipſius Spiritûs Sancti teſtimonio liquet, qui hoc ipſum (utì jam monui) elogio ornaverit, quòd fuerit εὐσεβὴς καὶ φοβούμενος τὸν Θεόν. Quin & preces & eleemoſynæ ejus dicuntur cœlum aſcendiſſe

cendiſſe εἰς μνημόσυνον ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, *Act.* 10. v. 4. In quibus verbis (ut notárunt Interpretes eruditi) ſimilitudo eſt ſumpta à ſuffitu legali, qui propriè vocatur אזכרה, *Græcè* μνημόσυνον. Lev. 2. & alibi. Certè verba ſignificant, *Cornelii* Preces & Eleemoſynas Deo ſummè gratas & acceptas fuiſſe; quod de Operibus hominis extra ſtatum gratiæ & ſalutis poſiti dici non potuit. In hoc itaque ſtatu ſi mortuus eſſet *Cornelius*, proculdubiò vitam ac ſalutem æternam conſecutus fuiſſet. Nondum quidem explicitâ Chriſti Fide imbutus erat, quia nondum audiverat Evangelium Chriſti plenè ac dilucidè explicatum. Id verò poſtea ſimulatque à *Petro* factum fuit, pia anima Jeſu Chriſti Fidem aviditſimè, atque ambabus (quod aiunt) ulnis amplexa eſt.

§. 4. Cùm poſt hæc dicis, neque pium Centurionem, neque alium Juſtitiæ (ut loqueris) operarium, fuiſſe juſtum in Conſpectu Dei atque ab omni culpa purum, ob ſuam Juſtitiam inhærentem, ſi per verba illa, *ob ſuam Juſtitiam inhærentem*, intelligis, *propter meritum Juſtitiæ inhærentis*, αἴσχα δέρεις Quis enim te hîc oppugnat? Certè non ego, qui ubique merito omni Juſtitiæ omnis humanæ abrenuntio, atque in Jeſu Chriſti chariſſimi Servatoris mei ſacrificio, ut unicâ Juſtificationis ac ſalutis meæ causâ meritoriâ, me confidere palàm omnibus denuntio. Si profeſſioni meæ toties repetitæ non credis, Deum teſtor καρδιογνώστην me iſta ex animo ſcripſiſſe. Poſt hæc tamen in *Animadverſionibus* tuis id mihi vitio vertis paſſim, quòd ob ſuam inhærentem Juſtitiam, ſive propter Opera ſua, (hoc eſt, propter meritum Operum ſuorum) Juſtificari hominem in Dei conſpectu doceam. Hoc ad ravim uſque ingeminas, cùm nihil præterea dicendum habes. Certè hæc Chriſtianum non decent, nedum Theologum. Si in animo mihi eſſet tibi vicem rependere, quàm facilè potuiſſem hanc calumniam in caput tuum retorquere? Quantâ veriſimilitudine, quàm ſpecioſo colore id potuiſſem? Quippe *juſtificari hominem ob*, vel *propter*, *Fidem ſuam*, *Fidei* ἐνέργειαν *Juſtitiæ cauſalem* tribui debere, *Juſtificationem noſtram in Fide noſtra fundari*, paſſim doces. An hinc concludam, te meritum Fidei tribuere in Juſtificationis negotio? Abſit. Credo te aliud voluiſſe, etſi quid illud ſit, planè neſciam.

§. 5. Po-

§. 5. Postremo in loco mones, ut caveam nè Spiritui Sancto ogganniam. Sed, bone vir, quid vis? An cui tua placita non arrident, statim is Spiritui Sancto oggannit? Cave, nè Spiritum Sanctum ut somniorum tuorum Patronum, adeóque authorem, appellando, summæ ipsius majestati summam injuriam facias. Quod unum hîc restat, Spiritum illum Sanctissimum, ὁδηγὸν, unicum veritatis doctorem supplex veneror, ut mihi tibique ad omnem veritatem necessariam nobísque utilem, lumine suo cœlesti, viam monstrare dignetur.

ANIMADVERSIO VI.

ad Dissert. 1. cap. 2. pag. 14, 15.

OBiter *Petri* locum adducens (Epist. 1. cap. 1. v. 2.) noto, pulchrè humanæ salutis ordinem ibidem describi; præcedente scilicet ἁγιασμῷ πνεύματος εἰς ὑπακοὴν, *Sanctificatione Spiritûs ad obedientiam*; deinde sequente ῥαντισμὸν αἵματος Ἰησοῦ Χριστοῦ, *aspersione sanguinis Jesu Christi*, scilicet ad Justificationem. Hîc Tu: *Quàm ineptè* Petrum *exponis, ut hypothesi tuæ inserviat? Quæro annon Sanctificatio nostra perinde atque Justificatio aspersioni Sanguinis Christi accepta est referenda? Vid.* Tit. 2. 14. Heb. 9. 14. Apoc. 1. 5.

RESPONSIO ad Animadversionem VI.

Quàm verò tu hîc ineptè meam expositionem vellicas, ut malesanæ isti carpendi libidini indulgeas? Scio, Sanctificationem perinde ac Justificationem nostram Christi sanguini deberi; quippe Christus sanguine, hoc est, morte suâ nobis impetravit non modò Justificationis, sed & Sanctificationis, gratiam. Nihilominùs qui Sanctificationem nostram Spiritui Christi, remissionem verò peccatorum nostrorum, (quæ Justificationis nostræ pars non minima est) Christi Sanguini ejúsque aspersioni in Scripturis appropriatè tribui non animadvertit, næ is Sacros Libros nunquam eâ, quâ par erat,

curâ ac diligentiâ lectitavit. Hujus phraſeologiæ ſacræ cauſas inveſtigare nunc non vacat. Si verò ineptus ſit, qui hîc in verbis *per aſperſionem ſanguinis Jeſu Chriſti*, Juſtificationem, ſive remiſſionem peccatorum, propriè intelligit; tum inepti fuere maximi Interpretes *Eraſmus* & *Eſtius*; imò (quod nefas dicere) ipſe *Calvinus* tuus ineptiit. *Eraſmus* in locum: *Sentit illos hoc ipſum debere Deo, quod delecti ſint ad Fidei gratiam, quam hîc obedientiam vocat, ut per hanc purgarentur à peccatis aſperſione Sanguinis Jeſu.* Similiter *Eſtius*: *Vocatur autem remiſſio peccatorum, aſperſio Sanguinis Jeſu Chriſti; quia per Chriſti Sanguinem nemo mundatur à peccatis, niſi fuerit eo aſperſus; i. e. niſi applicatum ſibi fuerit Chriſti patientiæ meritum. Quæ quidem aſperſio ſive applicatio fit per obedientiam Fidei.* Ubi habes (ni fallor) ipſiſſimam loci ſententiam. Denique *Calvinus*: *Videtur obedientiæ nomine intelligere vitæ novitatem, per aſperſionem verò Sanguinis Chriſti, remiſſionem peccatorum deſignare.*

ANIMADVERSIO VII.

ad Diſſert. 1ª. cap. 2um. p. 15. §. 6.

HIC Teſtimonia Scripturæ profero, in quibus Opera quædam ſpecialia tanquam ad Juſtificationem omnino neceſſaria præſcribuntur. Atque iis præſertim locis inſiſto, quæ *pœnitentiam*, ſive *reſipiſcentiam*, exigunt, ut conditionem præcedaneam, ſine qua nemo peccatorum veniam à Deo obtineat. In tam uberi Teſtimoniorum ſegete duobus locis contentus ſum, nempe, *Act.* 2. 38. & 3. 19. Dico his in locis præter Fidem etiam Reſipiſcentiam à peccatis, & Converſionem ad Deum, ad remiſſionem peccatorum ſive Juſtificationem neceſſariò requiri. Tu ad hæc: *Mar.* 1. 15. *Reſipiſcentiam cum Fide tanquam conditiones Evangelii geminas Chriſtus conjunxit, & malè fit illi, quicunque ſeparet. Sed produc locum, ſi poteris, qui Juſtificationem Pœnitentiæ attribuit. Juſtificatio non eſt idem, quod remiſſio peccati. Sapientia Juſtificatur, Deus Juſtificatur, Chriſtus Juſtificatus fuit; ſed nullus eſt hîc locus remiſ-*

remiſſioni. Job Juſtificatus fuit à calumnia Diaboli, & cenſura iniqua amicorum; neque tamen per peccati remiſſionem, ſed per integritatis probationem. Iſraëlitis Deus ignovit, quos non Juſtificavit, Pſal. 78. 38.

RESPONSIO ad Animadverſionem VII.

§. 1. Mirabitur, nullus dubito, cordatus lector, qui te tuáque nondum intelligit, quid in hac *Animadverſione* tibi velis. Sed ego te jam intùs & in cute novi. Hîc cauſæ tuæ fortuna penè omnis ſita eſt. Hîc ſi viceris, erit quod de cœtero triumphum tibi decernas. Sin etiam hæ tuæ copiæ facilè (quod auguror) in fugam vertuntur & diſſipantur, aciem redintegrandi nulla tibi ſpes reſtat. Itaque Lectorem obteſtor, ut quæ hîc utrinque dicenda ſunt, acriori judicio perpendat. Pœnitentiam conditionem eſſe in fœdere Evangelico neceſſariò requiſitam fateris; Juſtificationis verò conditionem eſſe negas. Non negas Pœnitentiam ad remiſſionem peccatorum neceſſariò requiri; ſed ad Juſtificationem requiri negas. Quippe remiſſionem peccatorum à Juſtificatione rem planè diverſam eſſe aſſeris. Itaque omnis hîc controverſia ad quatuor capita revocari poteſt. 1°. *An detur conditio aliqua propriè ſic dicta fœderis Evangelici, quæ non ſit etiam Juſtificationis Evangelicæ conditio?* 2°. *An dato fœderis & Juſtificationis Evangelicæ conditionem eſſe poſſe diverſam, certum tamen non ſit, Fidem & Pœnitentiam unius ejuſdémque beneficii, putà Juſtificationis Evangelicæ, conditiones eſſe.* 3°. *An remiſſio peccatorum Juſtificationis Evangelicæ notionem ipſam, ſive definitionem, ingrediatur?* Vel; *An notio Evangelicæ Juſtificationis in ſe neceſſariò includat peccatorum remiſſionem?* 4°. *An dato, Remiſſionem peccatorum in Juſtificationis Evangelicæ notione non neceſſariò includi, certum tamen non ſit, utriuſque beneficii, nempe, tum remiſſionis tum Juſtificationis Evangelicæ, conditionem prorſus eandem eſſe?* Has quæſtiones ſigillatim & propoſito ordine diſcutiemus.

§. 2. Quæſtio prima eſt, *An detur conditio aliqua propriè ſic dicta fœderis Evangelici, quæ non ſit etiam Juſtificationis Evangelicæ conditio?* Illud tu affirmas, dum Pœnitentiam Evangelii conditionem eſſe fateris à Chriſto cum Fide conjunctam, *Marc.* 1. 15. & tamen me impugnas, qui Pœnitentiam Juſti-

ficationis conditionem esse dixerim. Sed & alibi te plenius explicas, nempe, in notis ad libri mei p. 25. ubi hæc verba tua lego: *Sæpe cogor repetere, distinguendam esse fœderis conditionem à Justificationis fundamento. Multæ sunt fœderis Evangelici conditiones; unicum est ex parte nostra fundamentum Justificationis, scilicet, Authore* Paulo, *Fides.* Hîc *per Justificationis fundamentum ex parte nostra*, (si propriè loqueris) conditionem ex parte nostra ad Justificationem requisitam intelligis. Quippe omne *jus* fundatur in *titulo*, & titulus est *fundamentum juris.* Hunc juris titulum, sive fundamentum, Theologi in hâc quæstione *conditionem* appellant. Quod vocabulum à *Jurisconsultis* quoque usurpatur, atque ità ab ipsis definitur; *Conditio est dispositionis suspensio ex eventu incerto futuro, ei appositio.* Ais itaque, cùm multæ sint Fœderis Evangelici conditiones, unicam tamen Justificationis esse conditionem, nempe Fidem. Huic tuæ thesi, veluti antithesin, hanc assertionem oppono; *Una eadémque est conditio propriè dicta Fœderis & Justificationis Evangelicæ.*

§. 3. Hîc autem quædam præmittenda, ad statum quæstionis definiendum necessaria. Primò observandum, per *conditionem* Evangelii intelligi hîc, non quicquid in Evangelio præcipitur, sed id solùm, quod sub periculo animæ requiritur; hoc est, ex quo vita hominis & salus æterna ità suspenditur, ut, eo præstito, salutem homo assecuturus sit, aliàs nequaquam. Scilicet id propriè JC^tis conditio dicitur, (utì modò notavi) ex quo dispositio suspenditur. Præcipitur in Evangelio, ut ab omni peccato, ὅσον δύναμις, quantum fieri potest, abstineamus; Atqui hoc non requiritur sub periculo animæ, sive sub pœna mortis (ut loquuntur Scholastici) irrevocabili; tum enim vel pauci admodum, vel reverà nulli salutem assequerentur. De tali conditione quæstionem intelligi debere, hinc apparet, quòd controversia movetur de *Fide* & *Pœnitentia*, quorum utrumque *sub periculo animæ requiri* omnes fatentur. 2°. Notandum est, aliquid requiri posse ut necessarium ad salutem duplici ratione, nempe, vel *absolutè*, vel *ex hypothesi.* Absolutè requiruntur Fides & Pœnitentia, & quæcunque ad harum essentiam necessariò pertinent; hoc est, virtutes Christianæ omnes, in quibus ἡ θεία φύσις, sive cœlestis nativitas, sita est, quæque sub istis duobus nominibus

in

in S. Scriptura comprehenduntur. Quippe sine his nemo unquam Salutem assecutus est, nemo in æternum assecuturus. Fidei verò & Pœnitentiæ fructus digni (qui omnes *bonæ vitæ*, sive *sanctæ conversationis* nomine significari solent) requiruntur ex hypothesi, nempe, si Deus vitam atque opportunitatem concesserit. His præmissis, duas Theses, (quæ totidem Argumenta pro sententia nostra continent, eáque validissima) demonstrandas propono.

§. 4. Thesis prima: *Nihil in Fœdere Evangelico sub periculo animæ absolutè requiritur, quod non ad Justificationem requiritur.* Propositionem hanc certissimæ veritatis esse, hâc ratione evidenter demonstro. Si quid in Fœdere Evangelico sub periculo animæ absolutè requireretur, quod non in eodem Fœdere ad Justificationem quoque requisitum sit, tum fieri posset, ut quis omnia ad Justificationem requisita præstiterit, adeóque Justificatus fuerit, qui nondum omnia præstiterit, quæ in Fœdere Evangelico sub periculo animæ absolutè requiruntur. Hinc verò sequeretur, hominem Justificatum, dum justificatus est, æternâ salute posse destitui, adeóque in sempiternum damnari. Hanc autem conclusionem quis Christianus non toto animo aversatur? Res certè clara & manifesta est, neque ulteriori explicatione indiget.

§. 5. Thesis secunda: *Nihil in Fœdere Evangelico sub periculo animæ ex hypothesi requiritur, quod non eatenùs ad Justificationem etiam requiritur.* Bonorum Operum tractus ille & πολιτεία (de qua sæpiùs dixi) sub periculo animæ requiritur ex hypothesi, nempe, si Deus vitam atque opportunitatem concesserit; atque ex eadem hypothesi ad Justificationem etiam requiritur. Qui, gratiâ Dei in Christo per Fidem ac Pœnitentiam adeptâ, non deinceps in continuo bene operandi cursu progreditur, sed peccatis conscientiam vastantibus se polluit, is à jure suo ad Salutem excidit, & proinde à Justificatione sua. Nisi verò statueris, hominem in statu Justificationis adhuc manentem, à jure Salutis posse excidere, quod absurdissimum esse modò ostendi, & per se liquet. Vide quæ diximus *Dissert. 2. cap. 12. n. 29.* & quæ ex doctissimo *Davenantio* citavimus ejusdem *Dissert. cap. 18. n. 10.* Fundamentum autem harum duarum Thesium in hac tertia situm est: *In Justificatione hominis Deus ipsi jus ad salutem confert*; quam Pro-

positionem fusè demonstravi in *Responſ. ad Animadverſ.* 4^tam. Hinc enim consequentia est radiis Solaribus descripta, Nihil in Evangelio requiri posse ad jus regni cælestis sive acquirendum, sive retinendum, quod non etiam ad Justificationem sive adipiscendam, sive conservandam pariter requiratur. Atque hactenùs de prima quæstione.

§. 6. Quæstio secunda est: *An dato, Fœderis & Justificationis Evangelicæ conditionem esse posse diversam, certum tamen non sit, Fidem & Pœnitentiam unius ejusdémque beneficii, putà Justificationis Evangelicæ, conditiones esse?* Hîc paucis agam. Fidem ad hominis Justificationem necessariò requiri fateris. Quin etiam agnoscis, Pœnitentiam in Evangelico Fœdere necessario requiri; sed ad Justificationem requiri negas. Ego verò Pœnitentiam quoque in Evangelico Fœdere, ídque ad Justificationem hominis, necessariò requiri, his argumentis probo. *Primo*, Præceptum Pœnitentiæ in lege Evangelica homini peccatori à statu gratiæ ac salutis adhuc alieno imponitur, ut officium imprimis ab eo præstandum; ut Deum sibi ob peccata iratum atque infensum, propitium habeat, sive ut Deo (quemadmodum tu loqueris) reconcilietur. Hæc est constans & perpetua Sacrarum literarum doctrina, cujus operosa probatio apud Christianos, qui in Scripturis planè hospites non sunt, supervacanea foret. Ideóque ipse in notis ad pag. 7. libri mei disertè fateris, *Pœnitentiam ad reconciliationem à Deo requisitam esse.* Hinc verò ita argumentor. Quicquid ad reconciliationem hominis cum Deo requiritur, ad Justificationem hominis requiritur. At Pœnitentia ad reconciliationem hominis cum Deo requiritur: Ergò, &c. Minoris veritatem in terminis ipse agnoscis. Major propositio ità facilè probatur. Si quicquid ad reconciliationem hominis cum Deo requiritur, ad Justificationem hominis non requireretur, tum fieri posset, ut qui omnia, quæ ad Justificationem requiruntur, præstitit, adeóque reverà Justificatus sit, nondum tamen ea præstiterit, quæ ad reconciliationem cum Deo requiruntur, proinde nondum cum Deo reconciliatus sit. Sed falsissimum est consequens, ergò & antecedens. Hominem Justificatum, eo ipso quòd justificatur, Deo reconciliatum esse, vix sanæ mentis est, qui negaverit. Hinc ipse, quanquam satìs absurdè, negas hominem Justificatum,

catum, eo ipſo quòd juſtificatur, Deo ad ſalutem acceptum haberi; agnoſcis tamen hominem juſtificatum, ídque eo ipſo quòd juſtificetur, à reatu omnium peccatorum abſolvi, juſtúmque à Deo pronuntiari; proindè iræ divinæ peccatis debitæ non ampliùs obnoxium eſſe.

§. 7. Alterum noſtrum Argumentum priori vicinum atque affine hujuſmodi eſt. Pœnitentia aut ad Juſtificationem hominis requiritur, aut non omnino requiritur. Requiri fateris. Si autem requiritur, vel ab homine juſtificando requiritur, vel ab homine jam juſtificato. Non requiri Pœnitentiam ab homine jam juſtificato, evincunt verba Domini noſtri de juſtis hominibus, dicentis (*Luc.* 15. 7.) ὅτι χρείαν οὐκ ἔχουσι μετανοίας, *quòd non indigeant pœnitentiâ*; nempe univerſali illâ, quâ totum vitæ genus mutatur, atque à ſtatu peccati ac mortis in ſtatum gratiæ & ſalutis fit migratio; de qua ſola hîc loquimur. Itaque requiritur hæc Pœnitentia ab homine juſtificando, atque in ordine ad Juſtificationem. Juſtificationem antecedit, & diſponit hominem ad Juſtificationis gratiam accipiendam. Divina enim Miſericordia (ut loquitur *Davenantius* noſter) non juſtificat ſtipites, hoc eſt, nihil agentes; neque equos & mulos, hoc eſt, recalcitrantes, & libidinibus ſuis obſtinatè adhæreſcentes: ſed homines, eoſdémque compunctos & contritos, ac Verbi Spiritûſque Divini ductum ſequentes. Certè prodigii inſtar habendum eſt, viros doctos & cordatos in tanta luce cæcutire poſſe. Tranſeo ad tertiam quæſtionem.

§. 8. Quæſtio tertia eſt: *An Remiſſio peccatorum Juſtificationis Evangelicæ notionem ipſam, ſive definitionem, ingrediatur?* Sive; *An notio Juſtificationis Evangelicæ in ſe includat peccatorum Remiſſionem?* Ego affirmo, tu negas. In qua tua ſententia Patrem doctiſſimum *T. G.* (cujus laudes, te etiam tacente, lubens prædicâſſem) ſecutum te eſſe, cognovi ex Opere ejus poſthumo & imperfecto, quod haud ità pridem (paternæ exiſtimationi malè conſulens) typis evulgâſti. Sed liceat hîc mihi (mutato nomine) verbis uti, quæ tu de *Hammondo* noſtro viro ſummo, certè patri tuo ad minimum pari, ſcripſiſti in notis ad libri mei pag. 6. *Doctiſſimus & pientiſſimus* T. G. *cujus memoriam cum honore recolo, non fuit infallibilis, & in hoc argumento ſæpe ceſpitavit.* Vidi ego fortè fortunâ codicem..

dicem MSS. in quo amicum certamen de Juſtificationis controverſia ineunt Theologorum par non ignobile. Ibi reperio Schema Juſtificationis patris tui nomen præferens, valde ingenioſum quidem (hoc eſt, Authoris ſui ſimile) & non exiguo labore delineatum; ſed tale tamen, quod, ſi rem ipſam ſpectes, utrique viro docto diſplicuiſſe comperio. Quod verò in præſenti controverſia ſenſit vir doctiſſimus, & tu defendendum ſuſcepiſti, certè mirum & novum eſt, atque à ſententia Theologorum Reformatorum penè omnium nimis alienum. Sed ad rem ipſam. In hac quæſtione eventilanda, primùm ſententiam meam adſtruere, deinde tui & patris opinionem refellere conabor. Penſum illud prius hâc methodo abſolvam: primò, ſtatum quæſtionis explicabo; tum ſententiæ meæ argumenta proferam: denique, ad objectiones tuas patríſque reſpondebo.

§. 9. Primò, ad ſtatum quæſtionis quod attinet: 1°, Notandum eſt, non affirmare nos remiſſionem peccatorum omne illud eſſe, quod eſt Juſtificatio; vel univerſam, quaquaversùs patet, Juſtificationis Evangelicæ notionem complere. *Juſtificare* (prout in hac quæſtione vocabulum uſurpatur in Scripturis N. T.) plus eſt quàm peccata remittere. Nimirum, Juſtificatio Evangelica præmii quoque Imputationem continet, ut ſuprà pluribus oſtendi. Itaque illud ſolum affirmamus, remiſſionem peccatorum notione Evangelicæ Juſtificationis includi & contineri, ſive actum aliquem eſſe Juſtificationis Evangelicæ. Tu verò ex adverſo diſertè affirmas, (in notis ad libri mei p. 18.) *Remiſſionem peccatorum actum eſſe Juſtificationi prorſus extraneum.* 2°, Obſervandum, non affirmare nos, vocabulum Juſtificationis per ſe peccatorum remiſſionem implicare. Scimus & fatemur, Juſtificationem ibi reperiri poſſe, ubi remiſſioni locus ſit nullus. In foro humano, ſi homo culpæ inſons in jus vocatur, per juſti Judicis ſententiam ex lege abſolvitur, hoc eſt, Juſtificatur; cui tamen, utpote criminis experti, nihil remittitur. Itaque fruſtrà ſudas probando id quod nemo ſanæ mentis unquam negavit. Memineris, bone vir, controverſiam moveri de *Juſtificatione Evangelica*, ſive de Juſtificatione hominis peccatoris ex Lege Evangelica. Hîc autem fidenter & abſque hæſitatione ulla pronuntiamus, Juſtificationem Evangelicam neceſſariò peccatorum

catorum remissionem in se includere, adeóque hominem peccatorem ex fœdere Evangelico justificari aliâ ratione non posse, quàm per peccati remissionem. *Grotius*, pro more suo, paucis omnia complectitur, (*lib. de Satisfact. Christi* cap. 1.) p. 38. *Justificatio*, (inquit) *ut notum est, passim in S. Literis, sed maximè in Epistolis Paulinis absolutionem significat, quæ, præsuppositò peccato, consistit in remissione peccatorum, ipso* Paulo *semet clarè explicante præsertim* Rom. 4. 2. & 6. Atque utinam vir summus ab hac maximè genuina Justificationis notione non postea ad alienam deflexisset. 3°. Apprimè notandum est, nos, cùm Remissionem peccatorum Justificationis notione includi & contineri affirmamus, *nudam* & simplicem peccatorum Remissionem non intelligere; sed ejusmodi Remissionem, quæ interveniente Satisfactione, & ex pacto sive lege aliquâ, & sub certis conditionibus conceditur. Nimirum de Justificatione Evangelica (quod sæpe cogor repetere) controversia est, proinde de ea peccatorum Remissione, quæ ex fœdere Evangelico Sanguine Christi sancito, & sub certis conditionibus in eodem fœdere præscriptis & requisitis conceditur. Qui ad hæc tria attendit, is facilè sententiæ nostræ veritatem perspiciet, atque objectiones omnes tuas patrísque in contrariam partem allatas, sine aliis adminiculis, diluere per se potis erit. Nihilominus tamen in eventilatione quæstionis secundùm Methodum propositam progrediar.

§. 10. Itaque secundo in loco argumenta sententiæ meæ proferenda sunt. Hîc autem solis Scripturæ testimoniis pugnabo. Quippe Justificatio Evangelica quid sit, optimâ & certissimâ ratione colligitur ex eis N. T. locis, in quibus ipsa describitur, ac veluti ex professo explicatur. Agmen ducet locus illustrissimus, quem in *Harmonia* allegavi, nempe, Act. 13. 38, 39. *Notum igitur sit vobis, fratres, annuntiari vobis Remissionem peccatorum per istum*; (Christum scilicet) *& ab omnibus, à quibus non potuistis per legem* Mosis *justificari, per hunc credentem quemvis justificari*: πᾶς ὁ πιστεύων δικαιοῦται. Dixi *Hammondum* nostrum meritò censuisse, ex hoc loco veram notionem vocabuli δικαιῶν in Paulinis Epistolis commodissimè posse colligi. Hæc verò *Hammondi* sententia tibi non placet. Ideóque (*in notis ad pag. libri mei 6am*) à me interrogas: *Quare, quæso, notio vocabuli ex textu illo potiùs colligi debet, quàm ex*

ipſius Pauli *ſermone prolixo, & ex inſtituto habito, ad Evangelii ſummam, in juſtitia ex Fide plurimùm conſtantem, elucidandam?*

Verùm enimverò, ſive *Hammondum* impugnandi, quo jure quâque injuriâ, ſive hypotheſin tuam temere præconceptam defendendi nimio ſtudio abreptus, non attendiſti, te hîc magni etiam *Calvini* tui (ut alios minorum gentium Theologos taceam, *Calvinum* ſecutos) ſententiam rejeciſſe. Verba ejus ad locum hæc ſunt: *Locus hic facilè demonſtrat, quid valeat alibi paſſim Juſtificandi verbum.* Ac ſanè res manifeſta eſt. Vix alius locus occurrit, in quo notio Juſtificationis Evangelicæ luculentiùs explicetur. Interrogatio autem tua vana eſt, cùm notio Juſtificationis in loco illo tradita, & ipſius *Pauli* ſit, & optimè conveniat cum ejuſdem *Pauli* ſermone prolixo, de quo loqueris. Sed locum ipſum (remotis arbitris, ſeu *Calvino*, ſive *Hammondo*) libero examine perpendamus. Dico, *ex loco illo luce clariùs apparere, Juſtificationem illam, quæ in Evangelio promulgata eſt, gratuitum Dei actum eſſe, quo propter Chriſtum verè credentes, hoc eſt, Fide formatâ præditos, abſolvit ac liberat à reatu & pœna omnium peccatorum etiam graviſſimorum*, &c. Ac ſanè ecquid hoc clarius eſſe poteſt? Dices fortaſſe, (quod & poſtea dicis, neque aliud dicendum habes) *Juſtificationem à peccatis* hoc in loco ſignificare abſolutionem non modò à reatu & pœna, ſed & ab ipſa noxa & culpa peccati, adeóque à Remiſſione peccatorum longè diſtare. Verùm hâc reſponſione (præterquam quòd manifeſtam abſurditatem defendis, nempe, hominem qui peccato ſemel implicitus eſt ab ipſa peccati culpa poſſe liberari, de quo poſtea fuſiùs) Textui ipſi apertiſſimè contradicis, in quo δικαίωσις illa, *v.* 39. diſertè exponitur per ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, hoc eſt, Remiſſionem peccatorum, *v.* 38. Nam conſentiunt Interpretes, (ſi unum fortè *Grotium* demis) & per ſe liquet, Apoſtolum idem Remiſſionis beneficium, quod *v.* 38. breviter tantùm expreſſerat, latiùs explicare *v.* 39. oſtendendo tum conditionem ejus, nempe Fidem in Chriſtum, tum præſtantiam ſuper eam, quam Lex *Moſis* indulſit, Remiſſionem: quod & in *Harmonia* jam obſervavi.

§. 11. Ab hoc loco ad alterum tranſeo haud minùs illuſtrem, *Rom.* 4. *v.* 6, 7, 8. *Sicut etiam* David *declarat beatum eum hominem cui Deus imputat juſtitiam abſque Operibus, dicens:*

Beati

Beati quorum remiſſæ ſunt iniquitates, & quorum obtecta ſunt peccata. Beatus vir cui non imputârit Dominus peccatum. Quibus verbis probat *Paulus*, *juſtitiam imputari homini*, ſive juſtificari hominem abſque Operibus, ex *Davidis* teſtimonio aſſerentis beatudinem hominis, cui Deus remittit peccata. Quæ autem vis Apoſtolici argumenti, niſi ſtatuas, Juſtificationem hominis in Remiſſione peccatorum aliqua ſaltem ex parte conſiſtere? Si *Juſtificatio & Remiſſio Peccatorum* res eſſent tam longè à ſe invicem diſſitæ & remotæ, ut tu ſentis, tum certè Apoſtolus in loco illo à baculo (quod aiunt) ad angulum argumentatus fuiſſet. Cujus adeò ἀλογίας, ſi à te arguor, præſtò eſt, quod mihi ſolamen adferat: Mallem cum B. Apoſtolo errare, quàm tecum rectè ſentire. Cæterùm vide, quàm in Expoſitione hujus loci à ſummis (inter Reformatos) Interpretibus longiùs abeas & diſcedas. *Calvin.* in loc. *His verbis docemur, Juſtitiam* Paulo *nihil eſſe quàm Remiſſionem peccatorum.* Ubi quod *Calvinus* dicit, Juſtitiam nihil eſſe quàm Remiſſionem peccatorum, ex aliis ejuſdem *Calvini* locis exponendum eſt, in quibus apertè fatetur, præter Remiſſionem peccatorum, *Juſtitiæ* etiam *imputationem* in Juſtificationis notione contineri. *Muſculus* in loc. *Tertium argumentum eſt declaratio & confirmatio ſecundi: Juſtificatio eſt Remiſſio peccatorum, ergò Juſtificatio non fit propter noſtram dignitatem & meritum.* Denique *Paræus* in Explicatione Capitis *Dub.* 5. *Quod Apoſtolus Juſtificationem in ſola Remiſſione peccatorum conſtituat, & palàm eſt ex v.* 6. *Nam pronuntiare beatum, imputare juſtitiam, remittere peccata, tegere iniquitates, non imputare peccata, Apoſtolo idem valent.* Ubi, ſi cui offendiculo ſit vox *ſola*, ſciat eandem medelam hîc præſtò eſſe, quod modò *Calvini* verbis adhibuimus.

§. 12. Tertius locus clarus & manifeſtus occurrit: *Luc.* 18. 13, 14. ubi pro æquipollentibus uſurpantur iſta duo; *eſſe Propitium peccatori*, (quod nihil aliud eſt quàm peccata remittere peccatori) & *Juſtificare peccatorem.* Quum enim Chriſtus commemorâſſet verba Publicani precantis Deum, nempe, *Propitius eſto mihi peccatori*, continenter admonet, quid illâ prece effecerit, inquiens: *Dico vobis, deſcendit ille juſtificatus*, &c. Audi quid ad hunc locum *Calvinus* ſcribat. *Hic locus*, inquit, *perſpicuè docet, quid propriè ſit Juſtificari, nem-*

pe stare coram Deo, ac si justi essemus. Neque enim Publicanus ideo justificatus dicitur, quòd novam qualitatem sibi acquisiverit, sed quia inducto reatu & abolitis peccatis gratiam adeptus est. Unde sequitur, *Justitiam in Remissione peccatorum esse positam.*

§. 13. Illustris quoque est locus *Act.* 26. 17, 18. ubi *Paulus* dicitur à Christo ad gentes missus, *Ut aperiret oculos eorum, & converteret eos à tenebris ad lucem, & à potestate Satanæ ad Deum; ut Remissionem peccatorum, & sortem inter Sanctificatos acciperent, per Fidem quæ est in eum.* Quis enim dubitat, quin *accipere Remissionem peccatorum, & sortem inter Sanctos per Fidem in Christum*, hîc idem significent quod alibi dicitur, *Justificari per Fidem in Christum?* Itaque qui justificatur, eo ipso quòd justificatur, à Deo per Christum duo hæc beneficia accipit, ἄφεσιν ἁμαρτιῶν, *Remissionem peccatorum*, & κλῆρον ἐν τοῖς ἡγιασμένοις, hoc est, *jus ad hæreditatem cœlestem cum cæteris Sanctis*; quemadmodum suprà multis argumentis ostendi. Hæc duo beneficia totam Justificationis Evangelicæ, quaquà patet, naturam ac notionem complent.

§. 14. Quintum argumentum peti potest à locis quibusdam Parallelis; nempe, Eph. 1. 7. *In quo habemus Redemptionem per Sanguinem ejus, Remissionem peccatorum secundùm divitias gratiæ ejus.* Col. 1. 14. *In quo habemus Redemptionem per Sanguinem ipsius, Remissionem peccatorum.* Rom. 3. v. 23, 24. *Omnes enim peccárunt*, &c. *justificati gratis ex gratia ipsius per Redemptionem quæ est in Christo Jesu.* Rom. 5. 9. *Justificati per Sanguinem ejus, servabimur ab ira.* Quod in locis duobus posterioribus dicitur, *justificari per Redemptionem, quæ est in Jesu Christo*, & *justificari per Sanguinem Christi*, id in prioribus dicitur, *habere Redemptionem per Sanguinem Christi.* Illud verò iisdem in locis diserte exponit *Paulus* per ἔχειν ἄφεσιν παραπτωμάτων, sive ἁμαρτιῶν, *habere Remissionem peccatorum.* Nam verba, *Remissionem peccatorum*, per appositionem connectenda sunt cum prioribus ad hunc modum: *In quo habemus Redemptionem*, i. e. *Remissionem peccatorum.* Atque in hoc omnes Interpretes consentiunt. Jam ex his locis ità inter se collatis omni luce clariùs patet, *habere Redemptionem in Christo Jesu*, sive *justificari per Redemptionem quæ est in Christo Jesu*, & *habere Remissionem in Christo Jesu*, ἰσοδυναμοῦντα esse.

§. 15. De-

§. 15 Denique ſententiam noſtram confirmant loca illa, in quibus ſumma Evangelii his duobus comprehenditur, nempe, *Pœnitentiâ,* & *Remiſſione peccatorum. Luc.*24.47. Chriſtus dicit, oportuiſſe prædicari iptius nomine *Reſipiſcentiam & Remiſſionem peccatorum apud omnes gentes.* Act.5.31. *Hunc* (Chriſtum) *principem & ſervatorem Deus exaltavit dextrâ ſuâ, ad dandum Pœnitentiam Iſraëli & Remiſſionem peccatorum.* In his locis annuntiatio Evangelii duas habet partes, *poſtulationem* & *promiſſionem.* Poſtulatur Pœnitentia, cujus nomine tota obedientia comprehenditur; promittitur Remiſſio peccatorum, in quo continetur Juſtificatio & Acceptatio hominis ad Salutem æternam. Atqui non contineretur, ſi, quemadmodum tu ſentis, Remiſſio peccatorum actus eſſet Juſtificationi planè extraneus. Verùm ut in nomine Pœnitentiæ obedientia comprehenditur, quia Pœnitentia obedientiæ ejus pars ſit præcipua; ità nomine Remiſſionis tota Juſtificatio intelligitur, quia Remiſſio peccatorum Juſtificationis noſtræ pars ſit non minima. Hinc quoque fit quòd in loco illo celebri *Heb.* 8.12. omne illud quod à Deo in novo fœdere *purè* promittitur, (ſcilicet promittitur quidem ibidem, & Sanctificatio, ſive Inſcriptio Divinæ legis in corde noſtro; verùm illa non *purè* promittitur, ſed etiam ut officium noſtrum aliqua ex parte exigitur, & ad conditionem ex parte noſtra requiſitam pertinet) his verbis continetur; *Propitius ero injuſtitiis illorum, & peccatis illorum, & iniquitatem illorum non recordabor amplius.* Cui Deus Remiſſionem peccatorum concedit, eo ipſo dat illi omnia.

His omnibus ſatis me demonſtrâſſe exiſtimo, Juſtificationem Evangelicam notione ſuâ includere peccatorum Remiſſionem; quod mihi demonſtrandum erat.

§. 16. Jam tertio in loco ad Objectiones à te & patre tuo doctiſſimo in contrariam partem allatas reſpondebo. Hîc verò Patris tui veſtigia κατὰ πόδας ſequar, quæ ab eo in Scripto illo poſthumo adversùs communem Reformatorum Theologorum ſententiam diſputantur, accurato examine perpendens. Quod pace tuâ mihi liceat facere; præſertim cùm nihil à te objiciatur, quòd à Patre non mutuatus ſis, & quædam à Patre tuo afferantur, quæ tu prætermiſiſti.

§. 17. *Object.* 1. Primum doctiſſimi viri argumentum petitur à ſtricta & maximè propria vocabuli *Juſtificationis* noti-

one, prout in Scripturis vel V. vel N. Teſtamenti accipitur. Nunquam, inquit, in libris illis *Juſtificationis* vocabulum eo ſenſu uſurpatur, quo Remiſſionem peccatorum ſignificet. Quod probat Inductione quâdam locorum, in quibus vocabulum Juſtificationis aut ejus conjugata reperiuntur. In iis omnibus, inquit, ſubſtituas loco τῦ *juſtificare*, τὸ *peccata remittere*, loco vocabuli *Juſtificatio*, *Remiſſio peccatorum*, loco τῦ *juſtificatus*, *is cui peccata remittuntur*; & videas an ſenſus ſatis aptus & idoneus loco, in quo vocabulum occurrit, tandem exurgat, annon potiùs ſenſus non modò incommodus, ſed & abſurdus planè emergat. Pro exemplis adfert non pauca Scripturæ loca. Lege, inquit, verba *Judæ* ad *Joſephum*, Gen. 44. 16. *Quomodo peccata noſtra nobiſmet condonabimus?* Lege *Moſis* verba de Judicibus, *Deut.* 25. 1. *Peccata remittent juſto, & condemnabunt improbum.* Lege *Davidis* verba ad Deum, *Pſal.* 51. 4. *Ut peccata tibi remittantur cùm loqueris*; *Jobi* ad amicos, *cap.* 27. 5. *Abſit ut vobis peccata remittam*; Chriſti de filiis Sapientiæ, *Mat.* 11. 19. *Sapientiæ peccata remittuntur à filiis ſuis*: Verba Apoſtoli de ſeipſo, 1 *Cor.* 4. 4. *Nullius rei mihi conſcius ſum, ſed non per hoc mihi peccata remittuntur*; vel de Servatore, 1 *Tim.* 4. 16. *In Spiritu Remiſſione peccatorum donatus.* Lege, inquit, ad hunc modum loca illa (ut cætera omittam) & ſenſum verbis affinxeris omnino incongruum; imò alicubi planè repugnantem ſententiæ eorum, à quibus verba prolata ſunt.

Reſp. Specioſa ſatis Objectio; ſed quæ ex eis, quæ in ſtatu quæſtionis definiendo jam poſuimus, facilè diluitur. Nam 1°. Conceſſimus vocabulum Juſtificationis non neceſſariò aut per ſe Remiſſionem peccatorum ſignificare; ſed dicimus vocabuli illius, cùm ad legem & forum Evangelicum applicatur, eum eſſe uſum, ut Remiſſionem peccatorum notione ſuâ includat. Scilicet, *juſtificare* eſt *juſtum pronuntiare*. Hoc propriè de eo dicitur, qui reverà juſtus eſt, & culpæ planè expers. Hoc modo homo peccator juſtificari omnino non poteſt. Fieri enim non poteſt ſine manifeſta contradictione, ut reverà juſtus & culpæ expers, hoc eſt, talis qui nihil unquam commiſit, à Deo pronuntietur is, qui culpâ ſemel implicitus ſit. Itaque ut vocabulum Juſtificationis, ad forum & legem Evangelicam traductum, & de Abſolutione peccatoris uſurpatum,

patum, impropriè ſumatur neceſſe eſt. Is in hoc foro & ex hac lege Juſtificatur, qui à Deo talis pronuntiatur, quem ob Juſtiſſimas rationes inducto reatu & abolitis peccatis tanquam juſtum tractare, Sapientiæ, Juſtitiæ & Bonitati ipſius viſum ſit. 2°. Nullum adfert locum vir doctiſſimus, in quo de univerſali agitur peccatoris Juſtificatione ex fœdere Evangelico (de qua ſola controverſia eſt) cui regula ipſius commodiſſimè, & ſalvo loci ſenſu genuino, non poſſit adhiberi. Itaque Inductio eſt manca & imperfecta. In iis omnibus locis, ubi de univerſali agitur peccatoris Juſtificatione ex lege Evangelica, ſi loco vocabuli *Juſtificatio*, aut ejus conjugatorum, ſubſtituas *Remiſſio peccatorum*, aut ejus vocis conjugatum aliquod, ſenſus optimus & convenientiſſimus exurget. Sic loca omnia, in quibus homo dicitur ex Fide juſtificari, commodiſſimâ ratione exponi poſſunt, adeóque exponi debent in hunc ſenſum; Per Fidem remittuntur homini peccata, & jus ipſi ad vitam & ſalutem æternam conceditur ex fœdere Evangelico: quam plenam Juſtificationis Evangelicæ notionem eſſe, jam ſat multis argumentis demonſtravi. Imò non pauca attuli Scripturæ loca, in quibus Juſtificatio Evangelica diſertè exponitur per Remiſſionem peccatorum: quibus omnibus haud æquum eſt, ut ex hac grammatica viri licèt doctiſſimi argutia præjudicium fiat.

§. 18. *Obj.* 2. Remiſſionem peccatorum & Juſtificationem res eſſe diverſas apparet. Quippe indubitatum eſt axioma, Quæ ſubjecto differunt inter ſe differunt. Remiſſionem autem peccatorum & Juſtificationem ſubjecto differre æquè manifeſtum eſt. Nam Juſtificatio ibi reperiri poteſt, ubi Remiſſioni peccatorum non eſt locus; & vice verſâ ibi eſſe poteſt Remiſſio peccatorum ubi Juſtificatio nulla eſt. Utrumque probat vir eruditus exemplis ex ipſa Scriptura deſumptis. Si quis (inquit) me injuriâ affecerit, poſſum ipſi culpam condonare, quem tamen judicio & ſententiâ meâ non Juſtifico. 2 *Sam.* 19. 23. *Col.* 3. 13. 1 *Reg.* 2. 8, 9. vice verſâ, qui injuriæ alteri factæ falsò accuſatur, Juſtificari poteſt, cui tamen nihil remittitur; utpote criminis experti, *Deut.* 25. 1. &c.

Reſp. 1. Fatemur ultrò, non pauca exempla occurrere, quæ oſtendunt Remiſſionem ibi reperiri poſſe, ubi Juſtificationi non eſt locus, & vice verſâ. Verùm ſemper memoriâ tenendum,

dum, de ſola Remiſſione & Juſtificatione Evangelica quæſtionem moveri. Certè autem hæc duo ſubjecto non differunt. Nemini Deus juxta Evangelium peccata remittit, quem non Juſtificat, & retroviciſſim, neminem Juſtificat cui peccata non remittit. Exemplum quod poſtea adducit vir doctiſſimus *Iſraëlitarum* nempe rebellium, quibus Deus dicitur condonâſſe peccata, quos tamen à Deo Juſtificatos non fuiſſe certum eſt, *Pſal.* 78. 37, 38. à candore & judicio ipſius vix expectâſſem: quippe manifeſtum eſt, ibi plenam Remiſſionem non intelligi, de qua ſola loquimur. Ideóque ipſe corrigit, ac diſertè fatetur, quod univerſalem hominis ſtatum (ut loquitur) & conditionem attinet, Deum nemini peccata remittere, quem non Juſtificat. Ut hoc argumentum (vel ipſo Judice) à propoſito alienum ſit. 2. Cùm de Remiſſione Evangelica controverſia ſit, manifeſtum eſt intelligi non *nudam* & *ſimplicem* Remiſſionem, (qualis ea eſt, cùm quis alteri, à quo injuriâ affectus ſit, ſimpliciter offenſam condonat) ſed Remiſſionem (ut ità dicam) *legitimam*, hoc eſt, quæ ex lege aliqua & ſub certis conditionibus conceditur. Nuda Remiſſio non modò non ſemper, ſed nè unquam quidem, idem eſt quod Juſtificatio. Cui peccata ſimpliciter remittuntur, is Juſtificatus nullo modo dici poteſt; ſiquidem Juſtificationem juris vocabulum eſſe conſtat. Contrà, Remiſſio legitima, ſive quæ ex lege aliqua & ſub certis conditionibus conceditur, Juſtificatio rectè dicitur, ſempérque idem eſt quod Juſtificatio perſonæ, cui remiſſio ex lege conceditur. Luculentum hujus rei exemplum etiam in rebus humanis occurrit. Rex ſubditis rebellibus & majeſtatis læſæ reis edicto publico pollicetur commiſſorum veniam ſub certis conditionibus, putà ſi intra diem præfinitum arma deponant, regi ſe dedant, ſéque ipſi juramento Fidelitatis in poſterum obſtringant. Hic ſubditus rebellis, præſtitâ conditione, delictorum veniam ex lege principis conſequitur, ſive à crimine perduellionis per eandem legem abſolvitur, hoc eſt, Juſtificatur. Talis eſt Juſtificatio peccatoris ex lege gratiæ per Evangelium promulgatæ: vide imprimis *Act.* 13. v. 38, 39.

§. 19. *Object.* 3. & ultima. Remiſſio per ſe ſimpliciter & nudè conſiderata eſt actus puræ putæ gratiæ & miſericordiæ; Juſtificatio verò propriè loquendo eſt actus Juſtitiæ, *Deut.* 25. 1.

Pſal.

*Pſal.*82. 3 : Ergò, &c. Prius Antecedentis membrum meritò pro confeſſo ſumit vir eruditus; poſterius autem multis argumentis evincit, fuséque oſtendit, Juſtificationem actum Juſtitiæ eſſe & non puræ putæ Gratiæ & Miſericordiæ ex ipſa proprietate vocabuli *Juſtificare*, quod in omni lingua, & communi ac perpetuo hominum uſu, Juſtitiæ notione accipitur.

Reſp. 1. Concedo utrumque Antecedentis membrum, nempe, Remiſſionem nudè conſideratam puræ putæ Miſericordiæ & Gratiæ actum eſſe; Juſtificationem verò procul omni dubio eſſe etiam actum Juſtitiæ. Quid verò hinc ſequitur? Illud ſolum legitimè, nempe, Juſtificationem hominis in nuda & ſimplici Remiſſione non conſiſtere. Et hoc concedo; utpote qui jam oſtenderim, ubi nuda & ſimplex Remiſſio eſt, ibi Juſtificationi nullum eſſe locum. Neque unquam certè illud negârunt Theologi Reformati, qui Juſtificationem hominis in Remiſſione peccatorum conſiſtere docuerunt. Ut vir doctiſſimus cum umbra hîc ſua dimicet! Quæſtio eſt, non utrum Juſtificatio hominis ex fœdere Evangelico conſiſtat in mera & nuda Remiſſione; (quæſtio talis contradictionem implicaret) ſed an Juſtificatio hominis ex fœdere Evangelico conſiſtat in ea Remiſſione, quæ ex eodem fœdere conceditur? Quæſtionem hanc conſtanter affirmamus; neque in hoc ſuo argumento, tam prolixè explicato, quicquam adfert in contrarium vir doctiſſimus. Nam, 2. Remiſſionis Evangelicæ, & Juſtificationis Evangelicæ idem eſt ſtatus, conditio eadem. Quatenus Juſtificatio Evangelica eſt actus Juſtitiæ, eatenus actus Juſtitiæ eſt Remiſſio Evangelica. Rursùs: quatenus Juſtificatio Evangelica eſt actus Gratiæ & Miſericordiæ, eatenùs actus Gratiæ & Miſericordiæ eſt Remiſſio Evangelica. Ad prius illud quod attinet, Juſtificationem Evangelicam eſſe actum Juſtitiæ, duobus omnino argumentis probari poteſt: 1. quòd in Satisfactione Chriſti fundatur: 2. quòd ex lege & ſecundùm legem tranſigitur. At quis non videt iiſdem argumentis conſtare, Remiſſionem Evangelicam eſſe etiam Juſtitiæ actum? Nam, quæſo te, annon Remiſſio Evangelica in Satisfactione Chriſti fundatur, æquè ac Juſtificatio Evangelica? Vide *Rom.* 5. 9. *coll. Matth.* 26. 28. *Eph.* 1. 7. *Coloſſ.* 1. 14. Annon Remiſſio Evangelica ex lege & ſecundùm legem

transigitur? Certè. Quippe ideo dicitur Remissio Evangelica, quòd ex Lege Evangelica conceditur, & sub certis conditionibus in eadem lege præscriptis. Hinc Deus, in danda homini pœnitenti Remissione peccatorum, *justus* ac *fidelis* dicitur, 1 *Joh.* 1. 7. Rursùs, Justificationem Evangelicam esse quoque, idque imprimis, actum Gratiæ & Misericordiæ (quanquam vir doctissimus periculosè admodum hîc disputet, atque omnem Gratiæ & Misericordiæ conceptum à Justificationis notione secludere videatur; qua de re mox plura) S. Scripturæ apertissimè testantur. Dicimur δικαιοῦσθαι δωρεὰν τῇ αὐτοῦ χάριτι, *justificari gratis per gratiam ejus*, nempe, Dei, *Rom.* 3. 24. Ubi insigni Pleonasmo utitur Apostolus, ut ostendat, Justificationem hominis peccatoris Dei Gratiæ & Misericordiæ tribuendam esse. Confer *Tit.* 3. 7. De Remissione peccatorum similiter S. Scriptura loquitur *Eph.* 1. 7. *In quo* (Christo scil.) *habemus Redemptionem per Sanguinem ejus, Remissionem peccatorum,* κατὰ τὸν πλοῦτον τῆς χάριτος αὐτοῦ *secundùm divitias gratiæ ipsius.* Itaque in omnem partem se vertat vir doctissimus, nihil reperiet, quod de Justificatione & Remissione Evangelica non pariter dici ac pronuntiari possit.

§. 20. Ità tandem sententiam nostram de hac Quæstione astruxi. Restat ut tui & Patris tui opinionem refellam. Quanquam enim, assertâ communi doctrinâ, vestra sententia per se corruit; è re tamen Lectoris futurum existimavi, si eam seorsim paucis explicarem & convellerem. Itaque sententia vestra (si vos capio) hujusmodi est. Statuitis hominem per Satisfactionem Christi priùs justum constitui, & non modò à peccati pœna sed & à culpa, hoc est, pœnæ merito, immunem præstari; dein consequenter peccata ipsi omnia remitti. Verba tua in Schedis ad calcem libri mei annexis (p. 6.) hæc sunt: *Deus in Justificatione peccatoris ex Fide agit ut justus judex, quando fidelem, quem Christus justum præstitit per suam obedientiam* (Rom. 5. 19.) *à peccatorum omnium reatu absolvit. Quoniam vera Remissio peccati est Justificationis comes individua, ideò Apostolus* Paulus *ex* Psalmo *probat, hominem justificari Fide sine Operibus, quia homini peccata remittuntur absque Operibus*, Rom. 4. 6, 7, 8. *Deus enim idcirco non imputat Christiano peccatum, quia Christo imputaverat peccata mundi sibi conciliati; & fideli imputat Christi Justitiam, ut Apostolus di-*

sertè

sertè docet 2 Cor. 5. 19. 21. Posteà in iisdem Schedis, paginâ eâdem affirmas, *Justificare esse à pœnæ ipso merito absolvere, & à culpa omni immunem præstare:* Atque iterum in iisdem Schedis (pag. 7.) dicis: *Qui justus & insons ob Christi propitiationem, & peccati expiationem censetur, eidem peccata omnia condonari, necessum est vi consequentiæ naturalis.*

§. 21. Dici vix potest, quot quantísque absurditatibus hæc vestra sententia laboret. Sed tria tantùm notâsse sufficiat. 1°. Hæc sententia necessariò talem Justitiæ Christi Imputationem statuit, quæ nullâ ratione defendi potest; imò quæ Scripturæ & rectæ Rationi veluti ex diametro repugnat. Fatentur Catholici omnes, solam Christi Justitiam, sive obedientiam à Christo præstitam, illud effeciſſe, ut Deus homini peccatori & pœnitentiam agenti peccata condonare voluerit; ipsúmque inducto reatu tanquam justum tractare, jus ipsi ad salutem vitámque æternam donando. Sed vos hoc non contenti affirmatis, Justitiam Christi ità nobis peccatoribus imputari, ut per ipsam reverà Justi ipsi, insontes, & ab omni non modò pœna, sed & culpa, immunes à Deo censeamur. Verùm Judicium Dei est κατ' ἀλήθειαν. Neque igitur à Deo reverà Justus, insons & peccati immunis, unquam censeri potest, qui peccato semel implicitus est. De Imputatione verò Justitiæ Christi posteà (Deo volente) commodiori loco fusiùs agemus.

§. 22. 2°. Hæc sententia manifestâ contradictione laborat: quippe statuit, homini, qui Justus jam constituitur, & ab omni culpa immunis præstatur, peccata posteà remitti & condonari. Contradictionem tam crassam quis non utrâque manu palpet? Certè ubi nulla est culpa, ibi culpæ Remissioni nullum locum esse posse manifestum est. Itaque,

§. 23. 3°. Hæc sententia omnem peccatorum Remissionem in ea Dei οἰκονομία, quâ hominem Justificat, funditùs tollit & evertit. Illud ex argumento proximè præcedente consequitur. Si ullam peccati Remissionem agnoscitis, statuatis necesse est, Remissionem istam vel ante Justificationem, vel in ipsa Justificatione, vel denique post Justificationem, concedi. At nullum horum ex sententia vestra statui potest. Ante Justificationem peccata homini remitti, nemo (opinor) sanæ mentis dixerit: In ipsa Justificatione remitti, apertè negatis: Post Justificationem remitti non posse, jam ostendi. Itaque

sententia vestra omnem peccatorum Remissionem omnino tollit. Sed non opus est ut consequentiis hîc agam. Quanquam enim de Remissione peccatorum passim loqueris; constat tamen te veri nominis Remissionem non intelligere. Verba tua in Schedis ad calcem libri mei subjectis (pag. 6.) diserta sunt: *Qui à crimine Justificatur, ei nihil remittitur. Remissioni peccati cum Justificatione non convenit.* Verè dico: Horret animus dogma hoc novum, ac periculosum, legens. Hîc ipsa doctrinæ Evangelicæ fundamenta convellis, quæ gratuitum illud Dei beneficium, quæ ἄφεσις ἁμαρτιῶν, *Remissio peccatorum*, dicitur, ubique prædicat, & miris laudibus effert atque extollit. Habent jam impii è *Socini* Schola Hæretici, quo ex ore Theologi, qui ὀρθοδοξίας titulo gloriatur, nefandam suam thesin comprobent; nempe *positâ Christi Satisfactione, Remissionem peccatorum non esse gratuitam.* Quippe statuis, positâ Christi Satisfactione, Remissionem peccatorum non modò gratuitam non esse, sed planè nullam esse. Sentio tandem, quam non temerè dudum pronuntiaverit vir longè doctissimus, *Satisfeciſſe Christum pro hominum peccatis, doctrinam esse veram & Catholicam; sed mirè à* Calvini *discipulis depravatam, ità ut eorum error errore* Socini *in hac re sit periculosior.* Qui autem venenatæ huic doctrinæ præsentissimam antidotum cupit, adeat *Grotii* librum (ab eruditis omnibus & Catholicis approbatum, ac veluti pro clypeo quodam adversùs ictus *Socini* & tela omnia meritò habitum) *de Satisfactione Christi* cap. 6. Ubi multis & perspicuè ostendit vir maximus, tantum abesse ut Remissio cum antecedente satisfactione pugnet, ut contrà *omnis Satisfactio, (hoc est, solutio recusabilis) ideo admittatur ut Remissioni sit locus.* Idem in eodem capite contra *Socinum* demonstrat, τὸ χαρίζεσθαι, *non pugnare omnino cum Satisfactione quavis; neque enim pugnare cum ea quæ & liberè admittitur, cùm posset repudiari, & ad quam is, qui beneficio afficitur, nihil ipse contribuit: quorum utrumque accidit in Christi pro nobis Satisfactione.* Et paulò pòst: *Condonari quemadmodum & remitti aliquid rectè dicitur, etiam ubi solutio accedit, sed talis, quæ sine actu voluntatis vim non habeat parienda liberationis. Nam & principes, cùm capitalium criminum reis veniam concedunt, solent & mulctæ aliquid, & publicam quandam culpæ deprecationem illis indicere. Neque tamen*

pag. 118, 119, 120, 121, 122, 123, 124. *Edit. Oxon.* 1636. p. 128. p. 129.

cò

eò minùs condonare dicuntur crimina. Quantò ergo Justiùs ea vox hîc usurpari poterit, ubi requisita Satisfactio à nobis non procedit, sed liberatio contingit planè gratis quoad nos, etsi non gratis absolutè: quod Scriptura indicat, cùm Justificatos nos dicit gratìs, & confestim addit διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως τῆς ἐν Χριστῷ Ἰησοῦ, Rom. 3. 24.

§. 24. His pro sigillo addam illustrissimum testimonium *Clementis Romani* Viri Apostolici, & tantùm non Θεοπνεύστου, in Epistola ad *Corinthios*, quæ ab eruditis omnibus pro genuina habetur: Ἀτενίζωμεν εἰς τὸ αἷμα τοῦ Χριστοῦ, καὶ ἴδωμεν ὡς ὂν τίμιον τῷ Θεῷ αἷμα αὐτοῦ, ὅτι διὰ τὴν ἡμετέραν σωτηρίαν ἐκχυθὲν, παντὶ τῷ κόσμῳ μετανοίας χάριν ὑπήνεγκεν. i.e. *Sanguinem Christi intentis oculis intueamur, & quàm pretiosus Deo sit ejus Sanguis, consideremus, qui propter nostram salutem effusus, toti mundo pœnitentiæ gratiam obtulit.* Digna mihi semper visa sunt hæc verba, quæ aureis literis exarentur, atque à veræ Theologiæ studiosis æternæ memoriæ mandentur; utpote quæ maximè genuinam Satisfactionis Christi notionem ab Apostolorum συμφύτῳ explicatam contineant. In præsenti non vacat mihi ostendere, quàm hoc viri Apostolici testimonium omnem controversiam paucis verbis dirimat de Satisfactione Christi, adversùs tum impios Sociniastas, tum alios, qui *Socini Charybdim* vitantes, in *Scyllam* haud certè minùs periculosam inciderunt. Prudens lector illud per se intelligere potìs erit. Duo tantùm indè colligo, quæ ad propositum nostrum quàm maximè spectant. 1. Satisfactionem Christi neminem ipso facto liberare, sed illud tantùm efficere, ut quivis sub conditione & lege Pœnitentiæ, à peccati reatu liberari possit. 2. Non obstante Satisfactione Christi, Gratiæ & Misericordiæ Dei deputandum esse, quòd homini peccatori Pœnitentiæ copiam largiatur; vel (ut mox se explicat *Clemens*) μετανοίας τόπον concedat, hoc est, credentem, & de peccatis pœnitentiam agentem, Remissione peccatorum beare velit. Ideo scil. μετανοίας χάριν dixit, ut gratuitum Dei actum in hoc negotio exprimeret. Hoc verò illud ipsum est, quod dicimus, positâ Satisfactione Christi, Remissionem peccatorum esse gratuitam.

Atque hactenus de tertia Quæstione, *An notio Justificationis Evangelicæ in se includat Remissionem peccatorum?* Cujus explicationi ideo diutiùs immorati sumus, cùm quòd per se

quæstio magni momenti sit, tum imprimis quòd passim in *Animadversionibus* tuis mihi exprobres perperàm intellectam Justificationis Evangelicæ notionem, idque mihi πρῶτον ψεῦδος, & variorum errorum fontem ac scaturiginem fuisse affirmes. Sed uter nostrûm Justificationis Evangelicæ notionem rectiùs acceperit, jam penès æquum Lectorem esto arbitrium.

§. 25. Restat Quæstio quarta atque ultima, nempe, *An dato Remissionem peccatorum in Justificationis Evangelicæ notione non necessariò includi, certum tamen non sit, utriusque beneficii, nempe, tum Remissionis, tum Justificationis Evangelicæ, conditionem prorsùs eandem esse?* Hanc Quæstionem uno verbo expediam. Fateris ipse, Remissionem peccatorum ex Justificatione vi naturalis consequentiæ (ut loqueris) procedere. Quicquid autem ad illud requiritur, quod Justificationem necessariò consequitur, idem ad ipsam Justificationem requiratur necesse est. Te obtestor, an seriò existimas, aliquid ad Remissionem peccatorum necessarium esse, quod non sit etiam ad Justificationem necessarium? Ipse notas, (ut modò vidimus) quòd Remissio peccatorum sit Justificationis comes individua, ideo Apostolum *Paulum* ex *Psalmo* rectè probâsse, hominem justificari Fide sine Operibus, quia peccata homini remittuntur absque Operibus, *Rom.* 4. 6, &c. Annon igitur licuit mihi Apostoli authoritate freto ità argumentari: Homini absque Pœnitentia peccata non remittuntur; ergò homo absque Pœnitentia non justificatur? Quippe rationem consequentiæ ipse adfers; Remissio peccati est Justificationis comes individua. Itaque si hoc tibi concederem, Remissionem peccatorum in ipsa Justificationis Evangelicæ notione non contineri, (quod falsissimum esse jam demonstravi) nihil illud aut emolumenti causæ tuæ, aut detrimenti meæ importaret. Ut manifestum sit, fruſtrà te hîc operam tuam omnem impendisse.

ANI-

ANIMADVERSIO VIII.

ad Diſſert. 1. cap. 2. n. 8. pag. 14.

Hìc eos, qui Fidem unicum eſſe Juſtificationis inſtrumentum docent, dilemmate quodam urgeo; cujus prius membrum elucidans, ipſos interrogo: *Quomodo etiam Pœnitentiæ opera neceſſaria ſtatuuntur ei, qui Fide ſolâ jam antè Juſtificatus fuerit?* Tu ad hæc. *Agè monſtra unum locum, ſi poſſis, ubi Spiritus Sanctus ſtatuit Pœnitentiæ opera ad Juſtificationem requiri. Scio hoc fieri non poſſe, imò contrarium poſſe. Interim novi & fateor, Pœnitentiæ opera nomine alio & multiplici Deum exigere à nobis. Fieri poteſt, ut homo Fidei juſtitiam apiſcatur, qui Pœnitentiæ fructus ferendi opportunitate deſtituitur, morte præreptus.*

RESPONSIO ad Animadverſionem VIII.

Loca quædam ibidem monſtravi ſatìs diſerta, in quibus Spiritus Sanctus ſtatuit, Pœnitentiæ opera ad Remiſſionem peccatorum neceſſariò requiri: quibus infinita alia in proclivi fuiſſet adjeciſſe. Remiſſionem verò peccatorum & Juſtificationem ἰσοδυναμοῦντα eſſe, modò apertiſſimum feci. Quando dicis fieri poſſe, ut homo Fidei Juſtitiam apiſcatur, qui Pœnitentiæ fructus ferendi opportunitate deſtituitur, morte præreptus; egregiè Sophiſtam agis. Pœnitentiæ opera duplicia ſunt, vel interna, quæ interiùs, ſive intra ipſa animi penetralia, peraguntur, qualia ſunt, dolere de peccato, deteſtari peccatum, humiliter ſe Deo ſubjicere, ad Dei Miſericordiam confugere, Deum in Chriſto ſuper omnia amare & expetere, novæ vitæ propoſitum inire, & ſimilia: Vel externa, hoc eſt, quæ externo etiam opere complentur; cujuſmodi Reſtitutio, Eleemoſyna, *&c.* Opera Pœnitentiæ prioris generis ſola ad Juſtificationis primæ adeptionem abſolutè neceſſaria ſunt; cætera verò ad Juſtificationis adeptæ continuationem, ſi Deus homini ea exercendi opportunitatem dederit. Et hæc tamen,

tamen voto ſaltem ab homine juſtificando præſtari debent; quod votum ſub novæ vitæ propoſito comprehenditur. Hæc quidem in loco quem carpis non dico, de utriuſque generis operibus promiſcuè differens: ſed tibi ſi vel mica candoris fuiſſet, facilè agnoviſſes, me illud alibi in *Diſſertationibus* meis diſertis verbis monuiſſe. Sub finem *Diſſertationis* ſecundæ (cap. 18.) quædam ex profeſſo Lectorem moneo, quæ animo ipſius penitùs infigenda velim, nè vel noſtras *Diſſertationes* minùs rectè intelligeret, vel in hac maximi momenti Quæſtione ſalutis ſuæ periculo à vero aberraret. Ibidem verò (§. 8.) hæc verba mea legas: *Statuendum omnino eſt, ad primam Juſtificationem opera tantùm interna, Fidei, Pœnitentiæ, Spei, Charitatis, &c. eſſe abſolutè neceſſaria; cætera verò externa opera, quæ in factis externis, ſive in actuali ſingularum virtutum, quas modò enumeravimus, exercitio conſpiciuntur, ſigna tantùm eſſe fructúſque pietatis internæ, & Juſtificatione poſteriora, eâque demum lege præſtanda, ſi non deſit opportunitas.* Vide & *Diſſert. 2. cap. 2. §. 8.* Qui autem dicit, fieri poſſe, ut homo Fidei Juſtitiam apiſcatur, qui hæc interna Pœnitentiæ opera non præſtiterit, morte præreptus, is in os contradicit Domino noſtro, omnibus Pœnitentiam non agentibus ſempiternum & ineluctabilem interitum palàm denuntianti, *Luc. 13. v. 3. & 5.*

ANIMADVERSIO IX.

ad Diſſert. 1. Cap. 2. Sect. 9. pag. 19.

Hic dico, quod jactant nonnulli de inſtrumentalitate Fidei in Juſtificationis negotio, nihil quàm meram & inanem ſubtilitatem redolere, *&c.* Ad hæc in margine notas: *Abſque jactantia cum Spiritu Sancto in Scriptura Sacra ſentimus & loquimur, peccatorem per meram in Chriſto miſericordiam, à Deo Chriſti obedientiam pro nobis præſtitam intuente, juſtificari Fide, ex Fide, & per Fidem, & Fidem in Chriſti ſanguinem officium peculiare præſtare ad Juſtitiam Dei apiſcendam; quod bonis Operibus*

ribus non modò nullibi tribuit, ſed diſertè detrahit Scriptura. Utrùm hæc influentia ad Juſtitiam apiſcendam ex Dei inſtituto vocanda ſit inſtrumentalitas litigatio, eſt mera λογομαχία. Res de qua quæritur eſt, utrùm bona Opera in eodem loco & pari honore ſint ac poteſtate, ut per & propter ea, perindè ac per & propter Fidem, Deus nos Juſtificet? Hoc ego nego cum Apoſtolo, & Apoſtolus probat: Tu ais & non probas.

RESPONSIO ad Animadverſionem IX.

§. 1. Qui jactant Fidei peculiarem Inſtrumentalitatem in Juſtificationis negotio, cum Spiritu Sancto in Scripturis non loquuntur. Te enim obteſtor, ut locum monſtres (ſi poteris) ubi Spiritus Sanctus dicit, Fidem eſſe unicum Juſtificationis Inſtrumentum, qui modus loquendi ſolus hîc à me rejicitur. Atqui (inquis) etſi non idem dicit Spiritus Sanctus, tantundem tamen dicit, cùm Juſtificari hominem Fide, ex Fide, & per Fidem, ubique pronuntiet; contrà, nullibi Juſtificationem Operibus tribuat, ſed diſertè detrahat. Hinc enim ſatis liquet, Fidem peculiare officium præſtare ad Juſtitiam Dei aſſequendam, quod ſolum voluerunt, qui Fidem unicum Juſtificationis Inſtrumentum dixerunt. Hîc *Achillem* tuum videre videor; ſed propiùs accedens merum μορμολύκειον eſſe ſentio. Falſum illud omne eſt quod præſumis, nempe Juſtificationem in Sacris Scripturis ubique Fidei tribui, nullibi Operibus. Contrà affirmo, Juſtificationem non Fidei ſoli, ſed & aliis Virtutibus tribui; imò aliis Virtutibus tribui ſæpiùs quàm Fidei.

§. 2. Ut hoc manifeſtum fiat, (ſimúlque os tuum in poſterum obturetur eandem ubique cantilenam mihi occinentis) velim, ut Lector ſequentes Obſervationes mecum accuratiùs expendat. 1°, Meminerit ſuprà à me hæc duo oſtenſa eſſe: 1. Juſtificari hominem ex Fide ſine Operibus, à nemine Scriptore Θεοπνεύστῳ, in terminis, præterquam ab uno *Paulo*, doceri; 2. Juſtificari hominem ex Fide ſine Operibus, nuſquam ab ipſo *Paulo* in terminis doceri, niſi ἀγωνιστικῶς, & in certamine quod iniit cum Judæis aliiſque Evangelii hoſtibus. 2°, Obſervet Lector ſtudioſus, apud alios N. Teſtamenti Scriptores Juſtificationem peccatoris, ipſo nomine, ſeu vocabulo, Juſtifica-

tionis admodum rarò exprimi; nempe, in tribus tantùm (nisi me fallit memoria) locis, *Luc.* 18. 13, 14. *Matth.* 12. 37. & apud *Jacobum* Epistolæ ipsius cap. 2. ubi contra *Pauli* doctrinam perperàm intelligentes ex professo disputat. 3°, Notandum est, quod *Paulus Justificationem* appellat, ab aliis sacris Scriptoribus plerumque *Remissionem peccatorum* indigitari. Hoc satis liquet ex iis quæ in Responf. ad septimam *Animadversionem* (Sect. 8, 9, 10, &c.) disseruimus, & abundè patebit SS. Scripturas perscrutanti. 4°, Observandum est, ubicunque in Scripturis, extra Paulinas Epistolas & dictum illud *Pauli*, *Act.* 13. 39. Justificatio peccatoris ipso Justificationis nomine expressa occurrit, ipsam non Fidei, vel non Fidei soli, sed & aliis Virtutibus tribui. Sic *Luc.* 18. 13, 14. humili peccatoris pœnitentis & supplicantis Confessioni tribuitur. Sic *Matth.* 12. 37. verbis hominum tribuitur, nempe, ut internæ pietatis & puritatis ipsorum indiciis. A *Jacobo* verò constanter non Fidei soli, sed Operibus ex Fide profectis, & cum Fide conjunctis adscribitur. Cujus testimonium instar omnium esse debet, cùm is eo consilio Epistolam scripserit, ut Dissertationibus Paulinis abutentibus occurreret: quod jam sæpiùs monui. Ut mirari satis nequeam confidentiam tuam adserentis, nullibi in Scripturis Justificationem Operibus tribui. 5°, Denique apprimè notandum est, in iis Scripturæ locis, ubi Justificatio hominis per *Remissionem peccatorum* exprimitur, (quæ propè infinita sunt tam in V. quàm in N. Testamento) ipsam ferè constanter Pœnitentiæ tribui, vel ῥητῶς, vel περιφράσει, & circumlocutione aliquâ Pœnitentiam describente. Pœnitentia & Remissio peccatorum συζυγία est in Scripturis notissima & perquàm familiaris. Imò his duobus nominibus summa Evangelii, sive eorum quæ Deus in Evangelio, vel nobis pollicetur, vel à nobis postulat, comprehenditur, ut ex *Luc.* 3. v. 3. & 24. v. 47. & *Act.* 5. 31. apparet. Cœcitatis tuæ (liceat tua tibi verba regerere) spontaneæ me miseret, qui hæc tam manifesta videre nolis.

§. 3. Ex his autem observationibus in proclivi est colligere, peculiarem fuisse *Paulo* rationem, tum quare Absolutionem hominis in disputationibus suis nomine *Justificationis* tam penè constanter indigitaverit, quam cæteri sacri Scriptores per *Remissionem peccatorum* ferè solent exprimere; tum

quare

quare conditionem ejusdem Absolutionis vocabulo *Fidei* significare maluerit, quam alii Scriptores Θεόπνευσται nomine Pœnitentiæ pleniùs expresserunt. De posteriori, cur *Paulus* integram Evangelii conditionem vocabulo *Fidei* soleat exprimere, rationes luculentissimas jam attuli *Harm. Apost. Dissert.* 2. *cap.* 5. per totum. Istis & hanc rationem adjicias. *Paulus* Evangelii hostes oppugnat, Judæos imprimis, qui legi *Mosaicæ* pertinaciter adhærescentes, Fidem Evangelicæ doctrinæ abnuerunt. His itaque Fidem ubique inculcat, ut ἔργον ab ipsis necessariò atque inprimis præstandum, (vide *Joh.* 6. 29.) quódque adeò præstitum cætera omnia, quæ Evangelium postulat, facilè per Dei gratiam consecutura essent. Sic *Rom.* 4. 24. dicit, *Justitiam iri imputatum credentibus in eum, qui Iesum à mortuis suscitavit*; hoc est, iis qui Evangelicæ Doctrinæ, Resurrectione Christi à mortuis confirmatæ, Fidem habent. Non quòd hæc Fides per se sufficiat ad Justitiam; (quippe veram esse Christi doctrinam credunt & ipsi Diaboli & contremiscunt) sed quia hâc Fide imprimis opus habuerunt ii, quibuscum *Paulus* disputavit, & ex hac Fide posita cætera omnia (ut diximus) per Dei Gratiam consecutura essent. Confer *Act.* 8. 37. Ab hac ratione non multùm abludit observatio illa *Clementis Alexandrini*, de solenni Servatoris nostri dicto ad Judæos, quos sanaret, *Fides tua te salvum fecit.* Strom. 6. Τοῖς μὲν γὰρ κατὰ νόμον δικαίοις ἔλειπεν ἡ πίστις· διὸ καὶ τοῦτους ἰάμενος ὁ κύριος, ἔλεγεν, ἡ πίστις σου σέσωκέν σε. Τοῖς δὲ κατὰ φιλοσοφίαν δικαίοις, οὐχ ἡ πίστις μόνον ἡ εἰς τὸν Κύριον, ἀλλὰ καὶ τὸ ἀποστῆναι τῆς εἰδωλολατρείας ἔδει. Αὐτίκα ἀποκαλυφθείσης τῆς ἀληθείας, καὶ αὐτοὶ ἐπὶ τοῖς προπεπραγμένοις μεταμέλονται. i. e. *Nam iis quidem, qui erant justi ex lege, fides deerat. Et ideo cùm eos curaret Dominus, dicebat: Fides tua te salvum fecit. Iis autem qui erant justi ex philosophia, non solùm opus erat fide in Dominum, sed etiam ut discederent à cultu simulachrorum. Jam verò revelatâ eis veritate, ipsi quoque Pœnitentiâ ducti sunt propter ea, quæ priùs fecerunt.* Et posteà in eodem libro; ὥστε ὅταν p. 668.
ἀκούσωμεν, ἡ πίστις σου σέσωκέν σε, οὐχ ἁπλῶς τοὺς ὁπωσοῦν πιστεύσαντας σωθήσεσθαι λέγειν αὐτὸν ἐκδεχόμεθα, ἐὰν μὴ καὶ τὰ ἔργα ἐπακολουθήσῃ. Αὐτίκα Ἰουδαίοις μόνοις ταύτην ἔλεγε τὴν φωνὴν, τοῖς νομικοῖς καὶ ἀνεπιλήπτως βεβιωκόσιν, οἷς μόνον ἡ εἰς τὸν Κύριον ὑπελείπετο πίστις. i. e. *Quare quando audierimus, fides tua te salvum fecit, non accipimus eum dicere*

absolutè vos salvos futuros qui quomodocunque credidérint, nisi Opera quoque fuerint consecuta. Jam verò Judæis solis hanc dicebat vocem, qui legem tenebant & vixerant absque reprehensione, quibus sola Fides restabat in Dominum. Ad prius illud ζήτημα quod attinet, nempe, cur *Paulus* in disputationibus suis Absolutionem hominis peccatoris nomine Justificationis tam constanter indigitare soleat, id quoque ex scopo Apostoli colligendum esse censeo. Quippe cùm Adversarii, quibuscum *Paulo* lis intercessit, Justificationem nescio quam magis propriè sic dictam (hoc est, ut arbitror, quæ ex accurata Legis *Mosaicæ* juxta literam spectatæ, Sacrificiorum verò & Rituum in eadem lege præscriptorum imprimis observatione, penderet) defenderent, ideo necesse habuit vocabulo Justificationis inter disputandum uti, idémque adeò κατὰ κοινῦ identidem repetere, & quod legali Justitiæ detraxerat, sub eodem nomine Fidei tribuere: cùm alioqui vocabulum Remissionis (quo cæteri sacri Scriptores fèrè delectantur) de Absolutione hominis peccatoris usurpatum aptiùs inserviisset Divinæ Gratiæ & Misericordiæ in hoc negotio exprimendæ.

Vide *Mat.* 19. 20. & *Phil* 3. v. 4, 5, 6.

§. 4. Quod proximo in loco mones, quæstionem, *an Fidei influentia ad Justitiam apiscendam ex Dei instituto vocanda sit Instrumentalitas, meram esse* λογομαχίαν, meâ non refert. Viderint illi, qui Instrumentalitatem illam defendendam susceperunt, (qui sint probè nôsti) atque eam loquendi formam, quâ homo dicitur ex Fide sola justificari ut unico Justificationis instrumento, aliis obtruserunt, quos in loco, quem hâc censurâ perstringis, solos oppugno. Sed quid audio? Annon ipse λογομαχίαν istam defendis? Annon formulæ illi loquendi ipsius Spiritûs S. Authoritatem obtendis? Vix credidissem tam citò tibi memoriæ excidere potuisse verba tua in notis ad paginam libri mei proximè præcedentem, quibus seriò me hortaris ut caveam, *nè ludibrio habeam Scripturam Sacrosanctam, quæ Fidem prædicat esse unicum instrumentum, quod Christi Sanguinem pretiosum, unicum animæ* λύτρον, *amplectitur.* Quid quod mox paginâ sequenti istam phraseologiam iterum propugnas? Verba tua sunt: *Ego verò tam hebes sum, ut nullam rationem videam, quare Fides instrumentalis causa non mereatur dici.* Quo teneam nodo mutantem *Protea* vultum? Hæc inconstantia desperatæ causæ, & hominis miserè laborantis

tis atque ad incitas planè redacti, certum indicium est. Obtestor te ut tandem alicubi consistas, & pedem figas, ut habeam ubi te inveniam. Estne Fides unicum ex parte nostra Justificationis Instrumentum? si negas, habeo quod in loco illo *Dissertationum* mearum contenderim; sin affirmas, iterum te rogo, quale Instrumentum intelligas? An physicum, hoc est, propriè dictam Causam instrumentalem? At Fidei efficientiam physicam in negotio Justificationis Argumento tam evidenti (in ipsa pagina *Dissertationum* mearum, quam hæc *Animadversio* tua respicit) convello, ut tandem tam insulsi commenti te quoque pudeat. Recognosce verba tua: *Reverà non sumus tam fungi, ut dicamus, actum creaturæ physicam habere efficientiam ad Dei actionem producendam:* Num igitur id tantùm voluisti, Fidem esse unicam Justificationis conditionem in fœdere Evangelico præscriptam, quæ Instrumentum morale dici solet? Necesse est ut hoc dicas, aut nihil; cùm in hoc negotio præter Instrumentum physicum & morale, aliud nè fingi quidem possit. Itaque hîc tandem consistis. Verba tua in notis ad libri mei p. 19. hæc sunt: *Asserimus Fidem, quæ est donum Dei, habere ex ordinatione divina efficaciam realem ad Justitiam Christi impetrandam, ut justi Dei sententiâ æstimemur, & ab omni crimine absolvamur. Hoc ad Instrumentalitatem sufficit.* Quibus gemina sunt, quæ mox in notis ad pag. 20. scribis: *In re morali non aliud requiritur instrumentum, quàm rei ὁμόγενές.* Idem quoque dicis in hac ipsa *Animadversione*, cùm Fidei Instrumentalitatem exponis per *influentiam ad Justitiam apiscendam ex Dei instituto.* Ais igitur, Fidem esse unicum Justificationis Instrumentum morale, sive unicam conditionem, ex instituto atque ordinatione divina in Evangelico fœdere stabilita, ad hoc necessariò requisitam, ut quis Justificetur. Atqui Pœnitentiam, sive conversionem hominis à peccatis ad Deum ex vero Dei amore & Charitate, conditionem quoque esse, eámque primariam, juxta ordinationem Divinam in Evangelio promulgatam, ad Absolutionem hominis peccatoris necessariò requisitam, si nondum vel in *Dissertationibus* meis, vel in hoc saltem *Examine*, liquidò demonstravi, certè in posterum prorsùs desperaverim, me quicquam demonstrare posse.

§. 5. Sed tandem ad verum & genuinum scilicet contro-

verſiæ ſtatum, te duce, pervenimus. Ità enim Cenſuram tuam claudis: *Res de qua quæritur, eſt, utrùm bona Opera in eodem loco & pari honore ſint ac poteſtate, ut per & propter ea, perindè atq; per & propter Fidem, Deus nos Juſtificet? Hoc ego nego cum Apoſtolo, & Apoſtolus probat: Tu ais, & non probas.* Credo vel neminem prorsùs, vel paucos admodum ex iis, quorum cauſam tam prolixè defendendam ſuſcepiſti, huic tuæ quæſtionis explicationi ſtare velle. Solent illi ex profeſſo negare, propoſitionem illam, *ex Fide, ſive per Fidem, Juſtificamur*, ità intelligendum eſſe, quaſi propter Fidem, vel propter ipſius virtutis dignitatem, Deus hominem juſtificaret. Similiter & nos omnino negamus, hominem propter Opera, ſive propter operum dignitatem, juſtificari. Poteſt tamen ſenſu ſatis ſano dici, juſtificari hominem propter Fidem, vel propter Opera, reſpectu nimirum habito ad gratioſum Evangelii fœdus Chriſti ſanguine ſtabilitum, in quo Juſtificatio & Salus vel Fidei vel cæteris Operibus gratis promittitur. Item rectè dicitur quævis noſtra virtus in honore ac poteſtate apud Deum eſſe, ſi candidiorem (ut ità dicam) Dei æſtimationem & judicium juxta idem fœdus gratioſiſſimum reſpiciamus. Sic animus lenis ac modeſtus dicitur à *Petro* Apoſtolo ἐνώπιον τοῦ θεοῦ πολυτελὲς, i.e. *in pretio apud Deum eſſe*, 1 Pet. 3. 4. Quin hoc volueris nullus dubito. Verbis autem tuis ità explicatis, nego te verum quæſtionis ſtatum expoſuiſſe. Neque enim hîc controvertitur, Fideíne an Charitatis major ſit æſtimatio apud Deum, major efficacia in Juſtificationis negotio? (quanquam & controverſia iſta facilè dirimi poteſt, utì mox videbimus) ſed quæſtio eſt; An Fides ſola ad Juſtificationem hominis ſufficiat? An non etiam Pœnitentia ſive converſio à peccatis ad Deum, ex ſincero Dei amore profecta, ad hominis Juſtificationem requiratur? Qui primas partes in hoc negotio Fidei ſimplici virtuti tribuit, quin turpiter ipſum fallat judicium ſuum, non eſt dubium: Nemo tamen ſobrius pacíque amans ipſi hoc nomine magnopere repugnandum, aut ferram contentionis cum ipſo reciprocandam, cenſuerit, modò Pœnitentiæ quoque neceſſitatem omnimodam ad Juſtificationem hominis agnoſcat. Ubi de hoc convenit, de cæteris citra vel ſuæ, vel aliorum ſalutis periculum, bonis non eadem ſentire licet. Elegantiſſimâ ſimilitudine rem hanc illuſtravit eximius è noſtratibus Theologus.

logus. Fingas (inquit) medicos complures, ad conſilium advocatos de ægri cujuſdam ſanitate procuranda, conſenſiſſe tandem omnes, tria omnino medicamenta prorsùs neceſſaria eſſe ad ſanitatem ægri reſtituendam: hoc ſufficere ægroto deberet, quanquam de propria & ſpecifica horum medicamentorum efficacia medicis inter ſe peſſimè conveniret, adeóque tot ſententiæ eſſent, quot homines: Ità prorsùs ubi in confeſſo eſt, Fidem, Spem & Charitatem ad hominis Juſtificationem atque æternam ſalutem ſic planè neceſſaria eſſe, ut ſine horum alterutro ipſi omnino pereundum ſit; qui verò hæc tria habeat, dum habeat, ejus æterna ſalus extra periculum poſita ſit: hoc ſufficit, &c.

§. 6. Verùm, quia ità tibi viſum eſt, Quæſtionem diſcutiemus, prout à te (imprudenter admodum & tuorum ingratiis) exponitur. Certè quæcunque noſtra virtus in maximo pretio atque honore apud Deum eſt, ei Juſtificatio noſtra (ſi cuiquam noſtræ virtuti) imprimis tribuenda eſt. Quippe certiori indicio, ſive ſigno manifeſtiori, demonſtrari non poteſt, virtutem aliquam noſtram maximo in pretio apud Deum eſſe, quàm hoc, quòd virtuti illi maximum beneficium, nempe Juſtificationem, ſummæ ipſius Bonitati conferre viſum fuerit. Itaque huc tandem, per me licet, quæſtionem deducas; Utra virtus majori in pretio atque honore apud Deum ſit, Fides, an Charitas, quæ cætera bona Opera omnia profert? Audi hîc Apoſtolum *Paulum* 1 *Cor.* 13. v. 2. *Si habeam omnem Fidem, Charitatem autem non habeam, nihil ſum:* & ejuſdem Capitis commate ultimo; *Manet Fides, Spes, Charitas, tria hæc: maxima autem harum Charitas.* Itaque fruſtrà es, cùm poſtea ad pag. libri mei 21 hæc notas: *De Fidei præſtantia, quam Charitate inferiorem eſſe fatemur, non contendimus; ſed de uſu & efficacia Fidei in ordine ad Juſtificationem agimus.* Nam, 1. Tibi ipſi contradicis. Dixiſti modò nullum opus bonum pari in honore ac poteſtate apud Deum eſſe cum Fide; jam Fidem Charitate inferiorem eſſe fateris. Rurſus: Dixiſti modò, quæſtionem eſſe, An bona Opera pari in honore ac poteſtate ſint, ut propter ipſa, perinde atque propter Fidem, Deus hominem Juſtificet? Jam contrà aſſeris, de Fidei præſtantia quæſtionem non moveri. 2. Perabſurdum illud eſt & contradictione itidem laborat, quòd Fidem virtutem præſtantiſſimam

ſimam eſſe negas, & tamen peculiarem ipſi uſum atque efficaciam in ordine ad Juſtificationem concedis. Certè enim præſtantiſſima virtus (ut modò diximus) meritò cenſetur, quæ peculiarem uſum & efficaciam habet ad præſtantiſſimum Dei beneficium, Juſtificationem ſcil. obtinendum. Et quæ demum eſt præſtantia illa, quam Charitati concedis, cui omnem uſum & efficaciam in ordine ad Juſtificationem adimis? 3. Denique Apoſtolo *Paulo* veluti in os contradicis. Docet ille ſatis manifeſtè, Fidem per ſe & ſine Charitate nihil apud Deum valere; tu verò affirmas Fidem per ſe omnia apud Deum poſſe, hoc eſt, peculiarem efficaciam habere ad beneficium illud Dei obtinendum, quod cætera omnia complectitur. Vide quæ diximus in examine *Animadverſionis* ſecundæ. Sed jam me, atque (ut puto) ſobrium Lectorem ſatis tædet harum ſubtilitatum.

ANIMADVERSIO X.

ad Diſſert. 1. cap. 3. §. 3. pag. 24.

Dixeram νόμον Βασιλικὸν, *legem Chriſti regis*, aliud non eſſe quàm ipſiſſimam legem moralem, prout ipſam Chriſtus expoſuit, perfecit, ſuiſque diſcipulis ut legem ſuam impoſuit neceſſariò obſervandam. Quibus hæc verba ſubjungo: "Hoc ideo curioſiùs obſervandum, nè errorem erremus, "quem *Lutherus*, & poſt eum noſtratium Theologorum pleri-"que, in diſputationibus ſuis de Juſtificatione contra Ponti-"ficios, nimio contradicendi æſtu abrepti, in eccleſias Re-"formatas, maximo earum malo, invexerunt: Scil. Evan-"gelium ex puris putis promiſſis conſtare; Chriſtum dediſſe "mundo legem nullam, id tantùm egiſſe, ut legem priùs la-"tam exponeret, atque à peſſimis Scribarum ac Phariſæorum "commentis aſſereret; legis moralis uſum eum nunc eſſe uni-"cum, ut per ipſam homines ad Fidem Chriſti adducantur, "vel ſaltem, ut ſit arbitraria quædam vivendi regula, cui ob-"temperare ex gratitudine teneamur, nequaquam verò ſub

"pericu-

"periculo animæ, aut tanquam conditio novi fœderis ad ſa-
"lutem obſervatu neceſſaria nobis impoſita. Ex his princi-
"piis incautiùs ab iis poſitis, atque à Theologorum vulgo avidè
"arreptis, per neceſſariam conſequentiam deducta fluxe-
"runt execrabilia *Antinomorum*, *Libertinorum*, *Familiſtarum*,
"atque ejuſdem farinæ aliorum dogmata; de quibus fortaſſe
"boni illi viri nè per ſomnium quidem cogitârunt. Tu ad
hæc: *Theologis noſtratibus meram calumniam impingis. Ubi enim* Whitakerus, Perkinſus, Prideaux, Abbot, Davenant, White, *&c. Evangelium ex puris putis promiſſis conſtare, Chriſtum unicum Legiſlatorem noſtrum nullam legem dediſſe docent? Ubi hanc farraginem dogmatum ineptorum prædicant? Tu certè eximius & Theologorum vulgo excelſior vir, incautè admodum loqueris.*

RESPONSIO ad Animadverſionem X.

§. 1. Non hîc cuipiam calumniam impegi, neque incautè admodum locutus ſum, ſed conſultò; tu vero mea verba perperàm omnino accepiſti. Per *noſtrates Theologos* nequaquam volui Theologos propriè contribules noſtros ſive *Anglos*, ſed generaliùs Theologos noſtrarum partium, hoc eſt, Proteſtantes à Pontificiis diſcriminatos, quos Theologos illos noſtrates in diſputationibus ſuis præpoſtero zelo oppugnâſſe mox diſertim dico. Hîc ſatìs latinè locutus ſum, cùm *Cicero* ipſe dixerit *noſtrates Philoſophos* pro noſtræ ſectæ Philoſophis, & *noſtratia verba*, pro verbis, quæ ab iis, quæ noſtræ facultatis ſunt, uſurpantur. Quod à *Laurentio Valla* obſervatum Elegant. lib. 2. cap. 40. his verbis: *Noſtras, veſtras, & cujas non tantùm patriam nationémque innuunt, ſed etiam partes & quaſi ſectam: ut, veſtrates Philoſophi non ſunt ità populares & favorabiles, ut noſtrates, qui* Epicuri *Scholâ prodierunt. Et, cujates Philoſophi eſtis?* Stoícne? *an* Academici? *an* Peripatetici? *an noſtrates* Epicurei? Cicer. *Putaréſne unquam accidere poſſe, ut mihi verba deeſſent, non ſolùm illa veſtra & oratoria, ſed hæc levia noſtratia?* Multos autem ex Reformatis Theologis, qui contra Pontificios de Juſtificationis controverſia ſcripſerunt, iſtam farraginem dogmatum ineptorum (ut loqueris, cùm dicere debuiſſes, perniciociſſimorum) in Scriptis ſuis tradidiſſe, utinam vanus ſit, qui pronunciaverit.

Aſt (proh dolor!) nimis multa ex eorum Scriptis, iſtis (ſi id fieri poteſt) magis horrenda dudùm Chriſtiano orbi palàm expoſuerunt communes noſtri adverſarii Pontificii, ut fruſtrà planè eſſet, qui hoc ulcus operire vellet. Sanè autem monet pietas, divinæ gloriæ zelus poſtulat, ut talia, licèt noſtratium, dogmata cum Pontificiis etiam ipſi, quoties occaſio ſe offert, palàm ac liberè damnemus; tum nè iſti (ut eorum eſt ingenium) id Reformatæ ipſi Religioni vitio vertiſſe meritò videantur, in quo à privatis tantùm Doctoribus noſtris peccatum ſit; tum imprimis, nè ſacri miniſterii Candidati noſtri tam peſtiferam Theologiam (quæ paſſim in libris quibuſdam in Scholis noſtris nimiùm obtinentibus, velut anguis in herba, latet) ingenti ſuo gregíſque ſuæ curæ in poſterum committendi periculo incauti amplexentur. Equidem non ſum mihi conſcius, alio me conſilio ſterquilinium iſtud moviſſe.

§. 2. Ad: Theologo autem Eccleſiæ Anglicanæ quod attinet, verè tales non eſſent, ſi iſtam dogmatum farraginem defenderent; ſiquidem ſeptimus noſter Articulus in poſteriori ejus parte illa dogmata veluti ex profeſſo damnet. Præterea fuere ſemper Theologi noſtri, maximam partem, in veterum & Catholicorum Doctorum Scriptis ità verſati, (utpote in Eccleſia innutriti, quæ poſt ſacra Oracula Patrum monumenta ſummè veneratur) ut dogmata tam acatholica (ſi ità loqui fas ſit) non potuerint non averſari. Alioquin & exteri Theologi, qui dogmata illa periculoſa in ſcriptis ſuis tradidere, ferè contra Eccleſiarum ſuarum Confeſſiones graviter peccârunt, quæ in hoc Articulo pleræque omnes ſanæ atque orthodoxæ ſunt.

§. 3. Sed heus tu! Quid ſi luculenter oſtendam, à teipſo talia in his notis tuis doceri, ex quibus omnis iſta dogmatum ineptorum farrago per neceſſariam conſequentiam deducatur? Certè id præſtatu haud difficile eſt. Agè videamus. Loquor per totum hoc caput de Lege morali à Chriſto tradita, gratiâ Evangelicâ attemperata, & auxilio Spiritûs Divini comitata. Audiat jam Lector, quid tu de hac ipſa Lege cum aſteriſco mihi tanquam apprimè obſervandum, & notatu dignìſſimum commendes, in Cenſura proximè præcedente. *Nota bene*, inquis, *Legem moralem eſſe legem operum; ſed meminerit*,

vir, lege operum non excludi gloriationem, ſed lege Fidei, & ideo nos juſtificari Fide abſque operibus, ut gloriatio excludatur. Rom. 3. v. 27, 28. Dici haud facilè poteſt, quot abſurditatibus ſcateat hæc brevis *Animadverſio.* Sed illud tantùm nóto, quod ad propoſitum ſpectat. Si Lex moralis, quatenus à nobis hoc capite conſideratur, ſit revera Lex operum tàlis, qualis ab Apoſtolo in loco à te allegato intelligitur, quâque gloriatio non excluditur, neceſſaria eſt conſequentia, neminem Chriſtianum, fidelem nullum, ſub Legis moralis, quatenus à nobis ſpectatur, obligatione eſſe; ſiquidem nemini fidelium cum Lege operum, quæ gloriandi anſam præbet, quicquam ſit commune. Iſta verò concluſio omnem illam dogmatum ineptorum farraginem complectitur. Quin & dogmata illa ex ſententia tua de Juſtitia Imputata, & ex eo quoque quòd Legem moralem à Chriſto proponi, ut Juſtificationis noſtræ normam, diſertim negas, conſequuntur; id quod in examine *Animadverſionum ἀμέσως* ſequentium liquidò oſtendemus.

ANIMADVERSIO XI.
ad idem caput & numerum pag. 25.

DIco hîc, illud pro certo ſtatuendùm eſſe, Chriſtum in concione, à *Matthæo* capitibus 5, 6, 7. tradita, Legem moralem non tantùm expoſuiſſe, ſed etiam ut Legem ſuam poſuiſſe; ejúſque obſervationem gratiâ Evangelicâ temperatam, ab omnibus Chriſtianis tanquam conditionem fœderis ſui omnino neceſſariam poſtulare. Ad hæc (poſt alia, quæ ſuperiùs ſub examen noſtrum revocavimus) tu notas: *Nemo negat Chriſtiano duplicem eſſe Juſtitiam neceſſariam, unam Chriſti fideli imputatam, alteram à ſe præſtitam: illa Fide obtinetur, hæc operibus exercetur & oſtenditur,* Matth. 5. 16.

RESPONSIO ad Animadverſionem XI.

§. 1. Quis non videt, hanc *Animadverſionem*, ſi locus ſpectetur quem reſpicit, planè *ἀπροσδιόνυσον* eſſe? Verùm, quia

hanc diſtinctionem duplicis Juſtitiæ ubique mihi in Cenſura tua veluti *Gorgonis* caput objicias, eâque uti ſoleas, ad vim penè omnium argumentorum meorum eludendam; viſum eſt hîc ſemel (præſertim cùm in tam confuſa *Animadverſionum* tuarum mole locum alium, quo id facerem, commodiorem non potui reperire) de iſta diſtinctione paulò fuſiùs diſſerere; atque oſtendere, te & Juſtitiam imputatam non veram ſtatuere, atque omnem Juſtitiam inhærentem prorsùs tollere.

§. 2. De Juſtitia Chriſti nobis imputata primo in loco agendum eſt. Atque primùm de phraſi ipſa, quâ Juſtitia Chriſti nobis imputari dicitur, inquirendum. 1. Certum eſt, locutionem illam in Scripturis nuſquam occurrere. 2. Æquè manifeſtum eſt, ipſam in pleriſque iiſque nobiliſſimis Eccleſiarum Reformatarum Confeſſionibus omnino deſiderari. De Imputatione Juſtitiæ Chriſti nè γρῦ quidem reperias, vel in noſtra Confeſſione, vel in *Auguſtanâ*, *Argentinenſi*, *Wittenbergica*, *Bohemica*, *Belgica* &c. Qui itaque in alterutra harum Eccleſiarum vivit, is vi ſubſcriptionis ſuæ non tenetur iſtiuſmodi locutionem amplecti; ſed liberum ei eſt diſquirere, quatenus phraſis illa Scripturis & Rectæ Rationi congruat aut diſconveniat. 3. Obſervandum eſt, Phraſin illam peſſimè congruere cum locutione Scripturæ notiſſima, quâ Fides dicitur homini in Juſtitiam imputari, *Rom.* 4. v. 3, 5, 6, 22, 23, 24. Nam locutio illa ſenſu alio accipi non poteſt, quàm hoc, quòd Deus in Evangelio Fidem noſtram (nempe δι' ἀγάπης ἐνεργουμένην, ut *Paulus* ipſe ſe explicat) pro Juſtitia noſtra reputat, & præmio remunerandam cenſet. Non itaque Juſtitia Chriſti, ſed Fides noſtra, nobis imputatur in Juſtitiam. Quare? An propter rei ipſius dignitatem? Abſit: ſed propter ſolam Ieſu Chriſti Satisfactionem meritoriam, quâ à Deo impetravit, ut ſub hac conditione Juſtitiæ ac Salutis fieremus participes. Itaque juxta Scripturas Juſtitia Chriſti propriè id non eſt (N. B.) quod imputatur, ſed id propter quod imputatur nobis Fides noſtra in Juſtitiam. 4. Denique apprimè notandum, (quod dudùm obſervavit vir doctiſſimus) phraſin, quâ Chriſti Juſtitia nobis imputari dicitur, ſi rigidè accipiatur, conſiſtere non poſſe cum illa, quæ propriam & genuinam Eccleſiarum Reformatarum ſententiam exprimit,

quâ

quâ nempe Juſtitia nobis imputari dicitur propter Chriſti meritum & obedientiam. Nam ſi utrunque in rigore velimus verum eſſe, neceſſe eſt dicamus, *Juſtitiam Chriſti nobis imputari propter Juſtitiam Chriſti*; quæ locutio manifeſtam in ſe habet ἀκυρολογίαν. Sed de phraſi ſatis; de re ipſa jam videbimus.

§. 3. Catholica doctrina eſt, Fidem, Pœnitentiam, Spem, Dilectionem, cæteráſque Virtutes & bona Opera noſtra, nequaquam per ſe aut merito ſuo ad id valere ut quis Juſtificetur, hoc eſt, à peccatis ſuis priùs commiſſis abſolvatur, à Deo tanquam juſtus tractetur, ipſíque ad ſalutem vitámque æternam gratus & acceptus habeatur; ſed illud totum unicè deberi meritoriæ Ieſu Chriſti Satisfactioni, utpote quâ ſolâ gratioſum Fœdus (quod Evangelium vocatur) impetratum ac ſancitum fuerit, juxta quod ſub æquiſſimis illis conditionibus Juſtificationis ac Salutis participes fieri poſſimus. Ità Eccleſia noſtra Art. 11. *Juſti coram Deo reputamur, non propter Opera aut Merita noſtra; ſed tantùm propter Merita Domini ac Salvatoris noſtri Ieſu Chriſti*, &c. Ità Confeſſiones omnes à nobis paulò antè commemoratæ. Neque aliud voluerunt Confeſſiones (quæ pauciſſimæ ſunt) in quibus phraſis illa, *Juſtitia Chriſti nobis imputatur*, κατὰ λέξιν, reperitur. Audi *Gallicanæ* Confeſſionis verba, Art. 18. *Credimus totam Juſtitiam noſtram poſitam eſſe in peccatorum noſtrorum Remiſſione, quæ fit etiam, ut teſtatur* David, *unica noſtra felicitas. Itaque cæteras omnes rationes, quibus homines exiſtimant ſe coram Deo poſſe Juſtificari, planè repudiamus: Omníque Virtutum & Meritorum opinione abjectâ, in ſola Ieſu Chriſti obedientia prorsùs acquieſcimus; quæ quidem nobis imputatur, tum ut tegantur omnia noſtra peccata, tum etiam ut Gratiam coram Deo nanciſcamur* Ubi eatenùs tantùm Juſtitiam Chriſti nobis imputari dicunt, ut propter ipſam nos peccatorum Remiſſionem conſequamur, Deóque ad Salutem grati & accepti habeamur. Quiſquis autem per Imputationem Juſtitiæ Chriſti hoc tantùm ſe voluiſſe profeſſus fuerit, liceat ipſi per me ſuo loquendi modo liberè uti, modò ne aliis eam phraſeologiam obtrudat.

§. 4. Sed palàm eſt, te locutione illâ, quâ Chriſti Juſtitiam nobis imputari dicis, longè aliud voluiſſe. Quippe ſtatuis Juſtitiam Chriſti ità nobis imputari, ut reverâ noſtra fiat, nóſ-

que ipſam in Chriſto præſtitiſſe à Deo cenſeamur; unde ſit, ut ex illa juſtitia ipſi perfectè juſti, hoc eſt, ab omni peccati non modò pœnâ, ſed & culpâ, immunes propriè denominari poſſimus.

Hanc eſſe genuinam tuam ſententiam jam luculenter oſtendi ex ipſiſſimis tuis verbis, citatis in examine *Animadverſionis* ſeptimæ, §. 20, 23. Quin & aliis præterea in locis in eandem ſententiam loqueris. Sic in *Animadverſione* ſatìs prolixa ad calcem *Diſſertationis* noſtræ prioris ſubjecta dicis, *Deum Chriſti obedientiam fidelibus contuliſſe, ut hujus participes, & ſponſoris ſui divitiis locupletati juſtificarentur.* Similiter in notis ad pag. libri mei 279. ità ad verbum ſcribis: *Juſtitia Chriſti, quam per Chriſti Satisfactionem impetramus nobis à Deo collatam & imputatam, & acceptatam, quaſi noſtra eſſet Legis impletio, ità nobis communicatur, ut nos ſimus* Dei Juſtitia in Chriſto, 2 Cor. 5. 21. *Itaque & hoc δικαίωμα in nobis eſſe non minùs verè dicitur, quàm ipſa ſanctitas in nobis eſſe dicitur. Sed diverſi ſunt ineſſendi modi; aliter ineſt qualitas, aliter relatio.* Neſcio autem an hâc tuâ ſententiâ dari poſſit alia magìs noxia & periculoſa. Certè hîc ipſiſſima fundamenta jacis peſtilentiſſimæ hæreſeos *Antinomorum:* hoc eſt illud φρῶτον ψεῦδος, ex quo peſſimi *Libertini* horrenda ſua dogmata per neceſſariam conſequentiam deducunt. Legas Scripta eorum qui in nupera Eccleſiæ noſtræ ἀκαταστασίᾳ (nunquam ſine lachrymis cogitanda) *Antinomiſmum* γυμνῇ κεφαλῇ propugnârunt; imprimis Conciones *Tobiæ Criſpi* Theologiæ Doctoratu, in opprobrium Sacroſanctæ Facultatis, inſigniti. Pudet me coram exteris dicere, quot *Criſpus* ille Chriſtianis auribus abominandas conſequentias ex hac aſſertione tua eliciat, ídque collectione tam evidenti, ut fatear me non poſſe ſcripta ejus ex hypotheſi tua refellere; quid tu poſſis, neſcio. Sed miſſis his hominum monſtris, probatu haud difficile eſt, iſtam Juſtitiæ Chriſti Imputationem, quam defendis, conſequenter ipſiſſima Evangelii fundamenta convellere, atque univerſam Dei οἰκονομίαν, quæ in novo Fœdere revelata eſt, penitùs evertere. Nam,

§. 5. Primò Imputatio illa conſiſtere non poteſt cum Remiſſione peccatorum ex parte Dei. Illud ſuprà ſatìs luculenter oſtendi (de alia quæſtione agens) in examine *Animadver-*

madverſionis ſeptimæ, §. 22, 23. Nihilò minùs operæ fortaſſe pretium erit, quæ ibi diximus recolere, atque ad præſentem quæſtionem ſpeciatim accommodare. Si ullam peccatorum Remiſſionem agnoſcis, ſtatuas neceſſe eſt, Remiſſionem illam, vel ante Imputationem Juſtitiæ Chriſti, vel in ipſa Imputatione, vel denique poſt ipſam, concedi: ſed neutrum horum congruenter ſententiæ tuæ ſtatui poteſt. Ante Imputationem, Juſtitiæ Chriſti peccata homini remitti, vix ſanæ mentis eſt qui affirmaverit, cùm apud omnes Orthodoxos in confeſſo ſit, peccata non remitti niſi propter Juſtitiam & Satisfactionem Ieſu Chriſti meritoriam. In ipſa Imputatione peccata non remitti juxta ſententiam tuam manifeſtum quoque eſt; ſiquidem Imputatio quam ſtatuis, cum Remiſſione peccatorum omnino eſt ἀσύστατος. Qui Juſtitiâ omnibus numeris perfectâ & abſolutâ præditus, adeóque culpæ planè expers à Deo cenſetur, ei hoc ipſo Dei actu nihil remitti, omni luce clarius eſt. Denique, poſt iſtam Juſtitiæ Chriſti Imputationem peccata homini remitti, dici non poteſt ſine manifeſta contradictione. Qui enim jam perfectè juſtus & culpæ expers à Deo cenſetur, is neque peccatorum Remiſſione indiget, neque ejus capax eſt; cùm Remiſſio omnis culpam præſupponat. Itaque Imputatio illa Juſtitiæ Chriſti, quam defendis, peccatorum Remiſſionem (quæ eſt Evangelii pars maxima) tollit funditùs, adeóque à piis omnibus meritò rejicienda eſt.

§. 6. Secundò, Imputatio illa cum Pœnitentiæ ex parte noſtra neceſſaria poſtulatione eſt omnino ἀσύστατον. Illud ex priore ſequitur. Nam Imputatio Juſtitiæ Chriſti, quam ſtatuis, eo ipſo quòd Remiſſionem tollat, Pœnitentiæ quoque mandatum planè irritum facit; cùm inter Pœnitentiam & Remiſſionem peccatorum connexio talis ſit, ut altero ſublato neceſſariò tollatur alterum. Præterea, quid illi opus eſt Pœnitentiâ de peccatis, qui jam Dei ſententiâ juſtus, atque omnis peccati expers cenſetur? Quid ei opus erit Juſtitiâ illâ imperfectâ, qui per Fidem neſcio quam, idque ante omnem veram Pœnitentiam, Juſtitiam legalem, hoc eſt, perfectiſſimam atque omnibus numeris abſolutam jam nactus ſit? Hinc Theologorum illud portentum *Criſpus*, quem modò commemoravi, non erubuit, non veritus eſt palàm apertéque aſſerere, (ſcil. principiis ſuis, (utinam & non tuis) conſentaneè ſatis)

tis) nullam Pœnitentiam ab homine requiri ad Remiſſionem peccatorum impetrandam; (illud ſcil. cogitatu nefas, & Satisfactioni Chriſti atrociter injurium) Pœnitentiam in Evangelio commendatam nihil aliud eſſe quàm generoſum quendam & ſpontè conceptum dolorem, quo homo electus impensè dolet, ſe Deum tam immensè bonum, qui omnia ipſius peccata in Chriſtum jam impegerit, offendiſſe; imò non licere cuipiam, Orationis Dominicæ Petitione, *Remitte nobis debita noſtra*, uti eâ intentione, ut Remiſſionem peccatorum obtineat; (hoc nimirum non eſſet ex Fide orare, quin & oratio talis abominatio eſſet Domino) ſed tantùm ut ſenſum & notitiam Abſolutionis ſuæ per Chriſti mortem jam factæ atque impetratæ animo percipiat. Horum ſcil. paradoxorum (ad quorum ſanè auditum veteris Eccleſiæ ſanctiſſimi Doctores, ſi virbii eſſent, planè exhorreſcerent, exclamaréntque, ut olim eorum unus, *Deus bone! in quæ nos tempora reſervâſti, ut iſta patiamur!*) omnium fundamentum eſt tuum, nempe, Chriſtum in Electorum perſona Juſtitiæ Divinæ ſatisfeciſſe; ut ſponſorem debita noſtra omnia jam ſolviſſe; verbo, Juſtitiam Chriſti reverà noſtram eſſe, ídque ante omnem Pœnitentiam noſtram. Si cauſeris, me ſententiam tuam diris iſtis conſequentiis immeritò atque invidiosè onerâſſe, abs te id unum efflagito, ut intelligibiliter mihi explices, quomodo Pœnitentia juxta hypotheſin tuam ad Remiſſionem peccatorum impetrandam ſit reverà neceſſaria; quod ſi feceris, illicò me habebis confitentem reum, atque pedibus tuis demiſſiſſimè advolutum videbis, culpæ veniam abs te obnixè imploraturum.

Vide *Criſp. Conc.* vol. 2. p. 282, 283, &c.

§. 7. 3. Imputatio illa omnem etiam ipſius Fidei neceſſitatem ad Juſtificationem impetrandam tollit funditùs, eâque poſitâ, prorsùs neceſſariò ſequitur, Juſtificationem hominis Fide ipſius priorem eſſe; quæ aſſertio eſt ipſiſſima *Antinomiſmi* fæx. Scio te conſequentiam abominaturum; ſed & ſcio, te ipſam non poſſe effugere, ſi tibi conſtare velis. Rem ſic explico. Abſurdè ſtatuitur, Juſtitiam Chriſti reverà noſtram fieri per Fidem. Nam ſi noſtra reverà ſit, omnino neceſſe eſt, ut noſtra fuerit antequam crederemus; Fides ad hanc rem nihil conferre poteſt. Qui Juſtitiam Chriſti reverà noſtram eſſe docent, neceſſe eſt illi cum *Antinomis* ſtatuant, nos ipſos

Dei

Dei judicio atque æſtimatione Juſtitiam perfectiſſimam in Chriſto præſtitiſſe, Juſtitiæque Divinæ haud minùs verè ſatisfeciſſe, quàm ſi in propriis perſonis illud feciſſemus; neque enim Juſtitia illa aliâ ratione reverà noſtra fieri poteſt: Hinc autem prorsùs neceſſariò ſequitur, poſitâ Chriſti Satisfactione, eos omnes, ad quos Satisfactio illa pertinet, ipſo facto (ante omnem ipſorum fidem) à peccatorum reatu liberari ac juſtos conſtitui. Itaque quæro abs te, an Juſtitia Chriſti ideo reverà noſtra ſit, quòd Dei judicio atque æſtimatione nos ipſi Juſtitiam illam in Chriſto præſtiterimus? Si affirmaveris, tum ſequetur, Juſtitiam Chriſti reverà noſtram fuiſſe antequam crederemus, nempe, ſtatim poſt conſummatum Chriſti Sacrificium. Sin aliter ſtatueris, tum manifeſtum eſt, Juſtitiam Chriſti poſtea reverà noſtram fieri non poſſe. Poteſt quidem ſalutaris Juſtitiæ & Satisfactionis Chriſti fructus atque effectus ex Fide noſtra ſuſpendi, (adeóque reverà ſuſpenditur) ità ut eum non percipiamus antequam Chriſtum verâ & vivâ Fide amplectamur: Sed ut ipſa Juſtitia Chriſti noſtra reverà fiat per Fidem, quæ noſtra non fuerit antequam crederemus, fieri omnino non poteſt. Hoc ſatìs perſpexerunt doctiores quidam inter exteros Theologos, qui eam Juſtitiæ Chriſti Imputationem docuerunt quam tu defendis, propterea que ut ſibiipſis conſentanei eſſent, palàm & apertè aſſeruerunt, Imputationem Juſtitiæ Chriſti omnem noſtram Fidem antecedere. Sic *Piſcator* in *Reſp. ad duplicat.* cap. 7. pag. 102, 103. *Homines reipſâ ſunt reconciliati Deo, antequam credant.* Sic *Bernhard. Textor diſput. de Juſtif. Theſ.* 4. pag. 130. *Remiſſio illa peccatorum, ſeu Juſtificatio, in mente Dei Fidem noſtram (quæ eſt noſtra cum Chriſto conjunctio) præcedit. Quapropter dicimus, electos fideles certò ſtatuere, à Deo Patre ſibi imputatam eſſe Satisfactionem Chriſti in Remiſſionem peccatorum; hoc eſt, Deum Patrem iis omnia peccata remiſſiſſe, antequam crederent.* Sic denique *Smoutius* in ſuo *Pater noſter*, quem inſcripſit Synodo nationali, p. 5. *Doctrinam de æterna Electione & Remiſſione peccatorum tutamur contra eos, qui iſti contradicunt, & ſtatuunt, peccata tum demum nobis remitti & tegi, cùm jam credimus & ſuo tempore per Fidem juſtificamur; idque eò magìs, quia peccata noſtra tegi & remitti oportet, antequam credere poſſimus.* Idem in ſua *Scripturali Aſſertione*, pag. 46. *Remiſ-*

sio & non-Imputatio peccatorum Dei cognitionem, Fidem, Conversionem, Regenerationem, & cordis Renovationem antecedunt, & efficiunt, quando adhuc mundari sumus, in peccatis jacemus, & sanctum Dei nomen profanamus. Annon hæc doctrina est vehementer Evangelica? Et eandem tamen haud ità pridem *Johannes Maccovius* SS. Theologiæ Professor in Academia *Franckerana* editis Scriptis (proh pudor!) strenuè propugnavit. Quin etiam ante paucos annos vir doctus apud *Belgas* seriò conquestus est, pestilentissimum illud dogma in Ecclesiis ibidem Reformatis valde crevisse.

§. 8. Quartò, Denique Imputatio illa Catholicam doctrinam, de universali Propitiatione, pro totius mundi peccatis per Christi mortem factâ penitùs evertit. Si enim Christus, pro quibus mortuus est, in eorum persona Satisfactionem præstitit, propterea que illi revera justi & peccati expertes à Deo censeantur, necessariò sequitur, Satisfactionem illam ad reprobos, quos vocant, nunquam pertinuisse. Itaque observabis, qui hanc Satisfactionis Christi Imputationem defendunt, eos omnes Satisfactionem illam pro universo genere humano factam atque oblatam fuisse, constanter negare. Atqui restrictio & limitatio Satisfactionis Iesu Christi ad certas quasdam personas repugnat, tum innumeris Sacræ Scripturæ testimoniis, iisque luculentissimis; (neque enim pro ullo Fidei nostræ Articulo allegari possunt loca clariora iis, quæ pro universali Servatoris nostri Propitiatione afferuntur) tum unanimi veterum Catholicorum Doctorum consensui; tum denique, constanti & ubique sibi consentienti Ecclesiæ nostræ doctrinæ. Quid multis? Si Christus non est pro omnibus mortuus, tum vanum est Evangelii præconium, vana quoque est Fides quæ in Evangelio omnibus præscribitur, quibus illud patefactum est. Munus enim prædicandi Evangelium Apostolis à Christo mandatum fuit his verbis; *Ite & prædicate Evangelium omni creaturæ.* Cujus mandati ea est vis eáque latitudo, ut si quis unus prædicator posset totum orbem obire, atque omnes ac singulos mortales convenire, liceret illi cuivis homini Christum offerre, & sub conditione Fidei Salutem per Christum obtinendam annuntiare & promittere. Vocatio autem seria ad credendum præsupponit objectum paratum, in quod credatur. Si enim ille vocaretur

caretur ad Fidem in Christum, pro quo Christus non est mortuus, Fides in falsum objectum, imò nullum planè, quod talem vocatum attinet, postularetur. Perindè enim se res haberet, atque si Evangelicus prædicator Dæmonem aliquem humanâ specie indutum & inter homines versantem vocaret ad Fidem in Christum, & promitteret illi, si crederet, vitam æternam. Talis vocatio erronea esset ex parte vocantis, & inanis ex parte vocati, quia is vocatur ad credendum in Christum, cui Christus ex ordinatione Dei non est applicabilis; & illi promittitur salus sub conditione, cui, etiamsi credere supponeretur, salus tamen denegatur ob defectum hostiæ & pacti ad illum pertinentis. Porrò, si Christus non est pro omnibus mortuus, tum omnes, simulatque illis innotescit doctrina Evangelii de Christo Redemptore mortem ob peccata hominum sustinente, non tenerentur eo nomine ad gratitudinem & obsequium Christo præstandum. Nulla enim est causa, cur dicamus, illos teneri ad gratitudinem, aut quævis obsequia præstanda, ratione mortis Christi, qui ab illo beneficio sunt omnibus modis exclusissimi. Neque igitur quibusvis, post patefactum illis mysterium mortis Christi, verè dici potest, quod habetur 1 *Cor.* 6. 20. *Empti estis pretio: glorificate Deum in corpore vestro & spiritu vestro:* Neque illud 2 *Cor.* 5. 15. *Pro omnibus mortuus est, ut qui vivant post hæc non sibi vivant, sed ei, qui pro ipsis mortuus est & resurrexit.* Nisi enim Christus pro omnibus mortuus intelligatur, semper erit incertum, & sæpissimè falsum illud fundamentum, cui Ministri Evangelii hujusmodi hortationes superstruunt. Semper incertum; quia hominibus constare non potest, quinam sint electi. Sæpissimè falsum, quoties nimirum adhibetur non electis, qui ex hoc titulo Redemptionis non tenerentur vivere Christo, nisi præsupponatur Christum illos verè redemisse. Denique, ipse Christus jure mortis suæ non posset (quod posse ipsum disertè testatur Apostolus, *Rom.* 14. 9.) in omnes & singulos sibi vendicare supremam dominationem, nisi pro omnibus & singulis reverà mortuus esset. Hîc verbis ferè usus sum Scriptoris è nostratibus doctissimi, qui utinam effecisse potuisset, ut ista cum alia ipsius hypothesi concordarent. Itaque summa est, sublatâ universali Propitiatione per Christi mortem factâ, simul tollitur universalis Evan-

gelii prædicatio; tollitur universalis hominum, quibus innotuit Evangelium, obligatio ad Fidem in Christum, & gratum obsequium ipsi ut Redemptori suo præstandum; denique, tollitur universale Christi Redemptionis jure in omnes homines dominium atque imperium; hoc est, totius Evangelii ima fundamenta convelluntur. Unde sententiam eorum, qui Christi Propitiationem ad omnes homines pertinere negant, meritò ut hæreticam planè in Prædestinatianis (qui vocati fuere) olim damnavit Concilium *Arelatense: Anathema illi qui dixerit, quòd Christus non pro omnibus mortuus sit, nec omnes homines salvos esse velit.* Cui *Arelatensis* Concilii anathematismo paulò post secuta Synodus *Lugdunensis* clarè consensit.

Iterùm autem dico, universalem Christi Satisfactionem consistere non posse cum ea Imputatione, quam defendis; siquidem tali Satisfactione tantùm jus omnibus commune ad Remissionem peccatorum vitámque æternam impetratur sub certa conditione; quâ conditione ab aliquo nostrûm per Gratiam Dei præstitâ, non ipsa Satisfactio, sed jus illud Satisfactione acquisitum revera nostrum fit. Quod optimè expressit vir longè doctissimus verbis illis: *Per Christi mortem & actiones impetratum est jus omnibus uti volentibus. Id jus suum facit, qui vult, prævia & comitante Christi ope &c. Satisfactionem imputari, qui dicunt, extra Scripturam loquuntur, & obscurè, & impropriè; rémque implicant magis, quàm explicant. Quid ergò fit? id quod impetratum erat omnibus, nobis aptamus. De fonte in publicum emisso bibimus: implemus conditionem, sub qua indulgentia principalis offertur.* Vel, ut verbis iterum utar viri Apostolici *Clementis, Sanguis Christi pro nostra salute effusus, ità Deo pretiosus fuit, ut propterea toti mundo Pœnitentiæ Gratiam concesserit:* hoc est, Christus per obedientiam suam usque ad mortem à Deo impetravit, ut quivis homo sub conditione Pœnitentiæ delictorum veniam, vitámque adeò ac salutem æternam consequatur: itaque conditione illâ præstitâ, non ipsa Christi obedientia, sed Remissio & Salus, per obedientiam Christi parta & acquisita, à Deo nobis donatur. Hîc facilia & plana sunt omnia, quia vera.

§. 9. Ex his autem omnibus ipse tandem (utì spero) videbis, quot quantísque absurditatibus prematur sententia tua de Imputatione Justitiæ Christi. Nihilominùs ut omnis

tibi

tibi ſcrupulus (ſi fieri id poteſt) eximatur, proximo in loco ad teſtimonia Scripturæ præcipua, ſive à te ſive ab aliis pro illa Juſtitiæ Chriſti Imputatione adducta, paulò fuſiùs reſpondebo.

Primus locus eſt *Rom.* 5. v. 19. *Sicut enim per inobedientiam unius hominis, peccatores conſtituti ſunt multi; ità per unius obedientiam juſti conſtituentur multi.* *Reſp.* De Imputatione Juſtitiæ Chriſti omnino nè χεὺ quidem hîc dicitur; nedum de ea Imputatione, quam tu defendis. Tantùm hîc dicitur, nos per unius, ſcil. Chriſti, obedientiam juſtos conſtitui, hoc eſt, propter meritum obedientiæ Chriſti juſtificari; quod qui negaverit, per me licet, Anathema ſiat. Regeres fortaſſe, dici hîc nos juſtos conſtitui per Chriſti obedientiam, planè quemadmodum peccatores conſtituimur per *Adami* inobedientiam: Atqui per *Adami* inobedientiam peccatores formaliter conſtituimur; ergò, &c. *Reſp.* 1°. Plerique Interpretes doctiſſimi in priori membro μετωνυμίαν ſtatuunt. Ἁμαρτωλοὶ κατεστάθησαν, hoc eſt, (inquiunt illi) ità tractati ſunt, quaſi peccaſſent actu, nempe, quia addicti ſunt morti. Sic vox peccatoris ſumitur 1 *Reg.* 1. 21. Ità quoque accipitur vox peccatum Chriſto attributa 2 *Cor.* 5. ult. utì mox videbimus. Hâc interpretatione admiſsâ, vim hujus argumenti planè nullam eſſe evidenti ſimè liquet. Verùm, 2°. Fruſtrà eſſet, qui ubique comparationes & ἀντιθέσεις Sacræ Scripturæ rigidè urgeret, ut ſexcentis exemplis demonſtrare facilè potuiſſem. Sufficit, ſi in ſumma rei, de qua agitur, ſive comparatio ſive oppoſitio apta ſit & conveniens, ut hîc ſe res habet: Ut per inobedientiam *Adami* morti addicimur, ità per Chriſti obedientiam à morte liberamur, atque ad ſpem vitæ immortalis reſtituimur. Quòd ſi comparationem Apoſtoli ad amuſſim exactam eſſe velis, videris ipſe, quid ad argumentum *Bellarmini* ex hoc loco reſpondendum ſit. *Habemus* (inquit ille) *Juſtificari per Chriſtum, non eſſe haberi aut pronuntiari juſtos, ſed verè fieri & conſtitui juſtos, per adeptionem inhærentis Juſtitiæ abſolutæ & perfectæ. Nam juſtificare hoc loco eſt juſtum facere, ut patet ex illo verbo, juſti conſtituentur multi; ubi declarat Apoſtolus, quid ſit juſtificari, nempe, fieri juſtum. Idem etiam colligitur ex Antitheſi* Adami *ad Chriſtum: Scribit enim Apoſtolus, ſic nos conſtitui juſtos per obedientiam Chriſti, quomodo conſtituti* De Juſtif. lib. 2. c. 3.

sumus injusti per inobedientiam Adami: *At* Adamus *injustos facit Injustitiâ inhærente*, &c. Jam verò quid ad *Huberianos* respondeas, qui ex hac collatione inter *Adæ* inobedientiam & obedientiam Christi inferunt, omnes omnino homines per Christi obedientiam in statu Salutis actu constitui; planè quemadmodum omnes per *Adami* inobedientiam in statu Mortis actu reverà constituuntur? Quomodo *Antinomos* refellas, ex eadem comparatione colligentes, omnes, ad quos Christi obedientia pertinet, hoc est, Electos, per eandem obedientiam immediatè, absolutè, & citra ullum eorum actum sive Fidei, sive Pœnitentiæ justos constitui; planè quemadmodum omnes, quos inobedientia *Adami* involvit, morti addicuntur absolutè & sine ullo respectu ad proprium aliquod ipsorum peccatum? Denique comparatio ista si ad vivum resecanda sit, quis finis erit istiusmodi argutiarum? Res est; hoc in loco nequaquam distinctè explicatur sive ratio, sive modus, quo per Christi obedientiam justificamur; (ut neque quicquam hîc dicitur de conditione Justificationis ex parte nostra requisita) sed ex aliis locis quamplurimis satìs constat, hominem per Christi obedientiam hâc ratione justificari, quòd Christum vivâ fide amplectens, Remissionem accipiat peccatorum, & jus ad vitam æternam in Sanguine ipsius. Vide quæ diximus *in Examine Animadversionis septimæ*, §. 10, 11, 12, *&c.* Idem quoque non obscurè colligitur ex hujus ipsius capitis v. 9. collat. v. 16, 20, 21. 3°. Denique, quod Apostolus in hoc capite nè cogitaverit quidem de ea Justitiæ Christi Imputatione, quam tu defendis, hinc apertissimum est, quòd de communicatione Justitiæ Christi loquitur, quæ prorsùs universalis sit, atque ad omnes omnino homines extendatur, ad quos condemnatio & mors per primum *Adamum* descenderat. Verba Apostoli, locum controversum immediatè præcedentia, diserta sunt, v. 18. *Igitur sicut per unius delictum in homines omnes condemnatio, sic & per unius Justitiam in omnes homines Justificatio vitæ.* Unde palàm est, nihil aliud hoc in loco voluisse Apostolum, quàm quòd per Christi secundi *Adami* obedientiam ac mortem, universale pactum impetratum ac sancitum fuerit, juxta quod & sub conditionibus in eo præscriptis, omnes primi *Adami* filii universim à morte & condemnatione liberari possint.

§. 10. Al-

§. 10. Alter locus iſque palmarius eſt, 2 *Cor.* 5. v. ult. ***Eum enim, qui non noverat peccatum, propter nos peccatum fecit, ut nos eſſemus in eo Juſtitia Dei.*** *Reſp.* Neque hîc dicitur, Juſtitiam Chriſti nobis imputari, nedum ità imputari, ut reverà noſtra fiat. Si exiſtimas, rem ipſam, quæ phraſi illâ ſignificatur, hoc in loco doceri, multùm falſus es. Quòd ut manifeſtum fiat, locus breviter explicandus. 1°. Certum eſt, (quod notant plerique Interpretes doctiſſimi) in utroque membro hujus ἀντιθέτως abſtractum poni pro concreto more Hebræo, *peccatum* pro *peccatore*, *juſtitia* pro *juſto*. 2°. Æquè certum eſt in priori membro ſubaudiendam eſſe particulam ὡς, aut aliquid ſimile; *fecit peccatorem*, i. e. tanquam peccatorem; hoc eſt, voluit Deus Pater Chriſtum tractari tanquam peccatorem eúmque ſceleratiſſimum, ſubeundo nempe mortem Crucis ignominioſiſſimam. Sic *Chryſoſtomus*, *Theophylactus*, *Oecumenius*, &c. Certè res ipſa omnino poſtulat, ut Elliplis, aut alia figura, in loco ſtatuatur. Nam horrenda eſſet blaſphemia dicere, Chriſtum innocentiſſimum & peccati omnis expertem, adeóque ſanctiſſimum, judicio atque æſtimatione Patris pro peccatore & ſcelerato reverà habitum fuiſſe. Sic alibi dicitur Chriſtus pro nobis κατάρα, *execratio*, factus, *Gal.* 3. 13. Ubi itidem duplex figura; nam & κατάρα pro κατάρατος, & ſubauditur ὡς. Ut ſenſus ſit, Chriſtus ità tractatus eſt, quaſi eſſet Deo κατάρατος, nihil homini peſſimo in hac vita pejus evenire poterat. Execrationem autem omnem mereretur, qui ἀεὶ εὐλογητὸν, *ſemper benedictum* Dei filium, in conſpectu Patris ſui reverà κατάρατον, *maledictum*, unquam fuiſſe doceret. 3°. Apprimè notandum, ***Juſtitiam Dei*** non hîc ſignificare Juſtitiam Chriſti. Nam vox *Dei* hoc in loco, ut alibi ſæpe, κατ' ἐξοχὴν, accipitur pro Deo Patre, & à Chriſto manifeſtè diſtinguitur. Itaque cùm, ut diximus, *juſtitia* hîc ponatur pro *juſto*, verba ***ut eſſemus juſtitia Dei in eo***, nempe, Chriſto, omnino exponenda ad hunc modum: ut eſſemus juſti coram Deo, vel, ut à Deo juſti haberemur propter Chriſtum. His poſitis, manifeſtum eſt locum ità explicandum eſſe: Ut Chriſtus propter nos peccatum ſive peccator factus fuit, ità nos Juſtitia Dei ſive juſti coram Deo facti ſumus propter Chriſtum: hoc eſt, Ut propter noſtra peccata Chriſtus tanquam peccator à Deo tractatus fuit, cùm reverà peccati expers fuit; ità nos propter

ejus

ejus Juſtitiam & Satisfactionem tanquam juſti à Deo tractamur, cùm reverà perfectè juſti non ſimus, ſcil. propter Chriſti Sacrificium remiſſis nobis pœnitentibus peccatis noſtris, conceſſóque jure ad vitam æternam. Ut locus hic Apoſtoli Catholicam quidem doctrinam de Satisfactione Chriſti egregiè confirmet; cum tua verò Imputatione nullâ ratione poſſit conſiſtere. Illud *Coronidis* loco adjiciam, tuam hujus commatis Expoſitionem omnino repugnare verbis Apoſtoli præcedentibus, *v.* 19. Ibi enim *Paulus* clarè loquitur de Reconciliatione per Chriſti mortem facta, & de non-Imputatione peccati, quæ ad mundum ſine reſtrictione pertinet; unde ſecutum eſt univerſale pactum Gratiæ ac Salutis, quod τὸν λόγον τῆς καταλλαγῆς, *verbum reconciliationis* vocat, idémque ſibi cæteríſque Apoſtolis mundo annuntiandum à Deo mandatum ſive commiſſum fuiſſe diſertè ait. Verba ſunt: *Nempe, quia Deus erat in Chriſto mundum reconcilians ſibi, non imputando eis offenſas eorum, poſuítque in nobis ſermonem illum reconciliationis.* Interpretatio enim eorum, qui κόσμου hîc de *Electis* exponunt, eſt (nè quid gravius dicam) audax ac temeraria, quæ exemplo planè careat, nullóque Scripturæ loco, ubi conſtat eo ſenſu vocem accipi, confirmari poſſit. Hic fons erroris, quòd bonis viris durum videatur, de toto mundo dici, quòd Deus cum ipſo reconciliatus fuerit, nedum quòd peccata ipſi non imputaverit. Sed ratio nullius planè eſt momenti. Nam Reconciliatio, per Chriſti mortem facta, apud hunc Apoſtolum alibi, etiam impiis & à Statu Gratiæ ac Salutis adhuc alienis diſertè tribuitur, nempe, *Rom.* 5. v. 10. Quippe Reconciliatio illa nihil aliud denotat, quàm quòd per Chriſti mortem eatenùs Divinæ ſit Juſtitiæ ſatisfactum, ut Deus jam non modò pronus ac paratus ſit, ſed & ſancito cum hominibus gratioſo Fœdere ſe obligaverit, ad Remiſſionem omnibus indulgendam, & pacem cum ipſis ineundam, qui per Fidem ac ſinceram Pœnitentiam ad ipſum redire velint: proinde ex parte Dei nihil jam obſtet, quo minùs homines cum ipſo actu reconcilientur. Actualem enim Reconciliationem hoc in loco non ſignificari, indè manifeſtum eſt, quòd de ejuſmodi mundi Reconciliatione per Chriſti mortem diſertè loquitur Apoſtolus, quæ ipſam Evangelii, ſive verbi Reconciliationis annuntiationem mundo per Apoſtolos factam, nedum

Fidem

Fidem & Converſionem mundi ad Deum anteceſſit. Neminem autem ante Fidem & Converſionem ſuam Deo actu reconciliatum, ſive juſtificatum eſſe, tot locis, ac tam diſertis pronuntiat Scriptura, ut intolerabilis cujuſdam ſive inſcitiæ, ſive pertinaciæ, ſit illud in dubium vocare. Idem de phraſi altera dicendum. Cùm enim Deus in Chriſto non imputâſſe mundo peccata dicitur, ſenſus eſt; quòd Deus, cùm jure potuiſſet toti mundo peccatis involuto parcere nolle, (quemadmodum maximæ Angelorum peccantium multitudini parcere omnino noluit) adeóque univerſum genus humanum æternâ morte punire ac perdere funditùs; (hoc ſcil. eſt ſenſu maximè proprio & ſummo gradu peccata imputare) parcere tamen voluit, adeóque, per Chriſti mortem propitius factus, pactum Gratiæ cum hominibus inire, quo credentibus veréque pœnitentibus peccatorum Remiſſio atque æterna Salus promitteretur. Ut, quod hîc Apoſtolus dicit, Deum propter Chriſti Propitiationem non imputâſſe mundo peccata, idem planè ſit, quod Apoſtoli *Symmiſta Clemens* (cujus verba placebunt etiam decies repetita) dixit, *Deum propter effuſum Chriſti Sanguinem toti mundo* μετανοίας χάριν Pœnitentiæ Gratiam obtuliſſe.

§. 11. Tertius locus eſt 1 *Cor.* 1. 30. *Sed ex ipſo vos eſtis in Chriſto Ieſu, qui factus eſt nobis Sapientia à Deo, Juſtitiáque, & Sanctificatio, & Redemptio.* *Reſp.* Acumen tuum aliorúmque mirari ſatìs nequeo, qui ex hoc loco Juſtitiam illam imputatam elicere potueritis. Argumentum veſtrum hujuſmodi eſt: Chriſtus factus eſt nobis à Deo Juſtitia; ergò Juſtitia Chriſti ità nobis imputatur, ut reverà fiat noſtra, ipſíque per ipſam perfectè juſti à Deo cenſeamur. Hanc veſtram argumentandi rationem imitati, progrediamur ad verba Apoſtoli proximè ſequentia. Chriſtus factus eſt nobis à Deo Sanctificatio; ergò Chriſti Sanctitas ità nobis imputata eſt, ut reverà noſtra fiat, pérque ipſam ſancti ipſi denominemur. Sed quis unquam vel fando inaudivit, quis unquam niſi *Antinomus* aut *Libertinus* ſomniavit de Sanctificatione imputata? Reſpiciamus ad verba antecedentia: Chriſtus factus eſt nobis à Deo Sapientia; ergò Sapientia Chriſti ità nobis imputatur, ut reverà noſtra fiat, pérque ipſam ſapientes ipſi denominemur: λῆρος. Senſus loci ſatìs manifeſtus eſt; quippe in verbis

Apoſtoli perpetua eſt Metonymia effecti poſiti pro cauſa. Chriſtus eſt nobis Sapientia, hoc eſt, per Chriſtum ſolum verâ & cœleſti Sapientiâ imbuimur: Chriſtus eſt nobis Juſtitia, hoc eſt, per Chriſtum ſolum juſtificamur: Chriſtus eſt nobis Sanctificatio, hoc eſt, per Chriſtum ſolum uberiori Spiritûs Sancti menſurâ donamur: Chriſtus eſt nobis Redemptio, hoc eſt, per Chriſtum ſolum à morte quondam vindicandi ſumus, quod ἀπολύτρωσις dicitur *Rom.* 8. 23. *Eph.* 4. 30. Nimirum ἀπολύτρωσιν hîc minùs commodè interpreteris de Satisfactione Chriſti, ſiquidem ea in verbis Apoſtoli præcedentibus, *Chriſtus factus eſt nobis Juſtitia*, ſatis intellecta fuerit. Ità locum rectè explicavit *Theophylactus*: *Chriſtus eſt nobis Sapientia, Juſtitia, Sanctificatio, & Redemptio, hoc eſt, ſapientes nos, & juſtos, & ſanctos, & liberos efficit.* Et mox: *Primùm ſapientes fecit, liberans ab errore, Deique cognitionem dans; deinde juſtos, peccatorum Remiſſione datâ: poſt ſanctificavit per Spiritum Paracletum; atque hâc ratione perfectam liberationem ab omnibus malis nobis impertiit.*

De loco ad *Philippenſes* cap. 3. v. 8, 9, 10. dixi quantum ſufficit *Harm. Apoſt. Diſſert.* 2. *cap.* 12. *n.* 6. Ex his autem, quæ de Imputatione Juſtitiæ Chriſti fuſiùs diſſerui, tandem (ut puto) abundè liquet, te Juſtitiam imputatam non veram ſtatuere.

§. 12. Reſtat ut alterum illud paucis oſtendam; nempe, te Juſtitiam omnem inhærentem prorsùs tollere. Id quoque ſatis conſtat ex ſententia tua de Juſtitia imputata; quippe talem Juſtitiæ Chriſti Imputationem ſtatuis, quæ cum neceſſitate inhærentis Juſtitiæ ſit omnino ἀσύζυγος, ut jam ſuprà oſtenſum eſt. Sed & aliâ ratione idem evinci poteſt. Dicis, te Juſtitiam inhærentem agnoſcere: verùm id tibi centies licèt affirmanti vix credam. Si dixiſſes, te Sanctitatem ſive bonam qualitatem inhærentem in omnibus juſtificatis agnoviſſe, non repugnarem: at Juſtitiam inhærentem, ſi conſentaneè loqui velis, non poteris agnoſcere. Me explico. Juſtitia inhærens Juſtitia noſtra dici non poteſt aliâ ratione, quàm quòd per eam juſti efficiamur, hoc eſt, quòd conditio ſit Juſtificationis noſtræ in Evangelico Fœdere requiſita. Sed hoc tu negas, ac proinde Juſtitiam omnem inhærentem tollis. Juſtitia omnis legem, normam, ſive regulam aliquam reſpicit,

reſpicit, ad quam exigitur; íſque juſtus eſt, qui ea præſtitit quæ Lex requirit, ad cujus normam judicandus ſit. Reſtat igitur unum illud inquirendum, per quam Legem ex Juſtitia inhærente illa juſti denominemur? Certè per Legem Gratiæ ſive Evangelium. Lex Gratiæ dicit: Qui credit & Pœnitentiam agit, hoc eſt, de peccatis ſuis ex animo dolet, ea deteſtatur ac deſerit, atque ad Deum in Chriſto ex vero amore & ſincero obedientiæ propoſito convertitur, veniam accipit peccatorum, & jus ad vitam æternam in Chriſti ſanguine: quíque deinceps, ſi vixerit, dignos Pœnitentiæ fructus ediderit, atque in Juſtitia & Sanctitate creverit, Gratiam Juſtificationis adeptam retinebit, quamdiu talis manet, adeóque, ſi in hoc ſtatu moriatur, æternùm ſalvus erit. Hæc conditio præſtita eſt Juſtitia noſtra ſecundùm Legem Evangelicam, quæ ipſam requirit; atque ex ea juſti conſtituimur per eandem Legem, hoc eſt, non rei non præſtitæ conditionis in ea Lege requiſitæ. Interim cœcus eſt, qui non videt hanc Juſtitiam noſtram ſubordinari (ut ità dicam) Juſtitiæ Chriſti, atque ex ea unicè pendere. Quippe Lex, ſeu Fœdus Evangelicum, in Chriſti Sanguine fundatum ac ſtabilitum fuit. Chriſtus à Patre impetravit, ut ex Fœdere tam gratioſo judicaremur, & Juſtitiâ atque Obedientiâ ſuâ perfectiſſimâ apud Deum effecit, ut illa noſtra, manca licèt & imperfecta, tanquam reverà Juſtitia eſſet omnibus numeris abſoluta, ad ſalutem accepta haberetur. Hæc plana ſunt atque intellectû facilia; quæ verò tu de Juſtitia tam imputata, quàm inhærente paſſim in notis tuis differis, ità intricata & perplexa ſunt, ut Lector in iis verſatus, veluti in labyrinthum quendam incidiſſe ſibi videatur, unde extricare ſeſe haud facilè poterit.

ANIMADVERSIO XII.

ad idem Caput, Sect. 4. pag. 25, 26.

POſtquam fusè egiſſem de Lege Chriſti, ad cujus normam judicandi ſunt Chriſtiani omnes, ac probâſſem Legem illam haud aliam eſſe quàm Legem Moralem, cujus obſervatio, cum Fide Chriſti conjuncta, ex Fide profecta, & Gratiâ illâ Dei & ſummâ Indulgentiâ attemperata, quæ in Evangelio revelatur, ab omnibus ut conditio ad Juſtificationem ac Salutem obtinendam neceſſaria requiritur; tandem argumentum meum indè formo contra *Antinomos*. Verba mea ſunt: *Ex his jam præmiſſis, exurgit tandem contra* Antinomos *ac* Solifidianos *argumentum (meo quidem judicio) invictiſſimum. Quiſquis à Deo per Chriſtum juſtificatur, per Legem Chriſti abſolvitur; At ſolâ Fide ſine Operibus nemo per Legem Chriſti abſolvitur: Ergò, &c. Minor ſola hujus Syllogiſmi probatione indiget; ea verò ità facilè confirmatur: Quicunque per Legem Chriſti abſolvitur, eam Legem impleat neceſſe eſt; At Fide ſolâ ſine Operibus nemo Legem Chriſti implet; Ergò Fide ſolâ ſine Operibus nemo per Legem Chriſti abſolvitur.* His tu ità occurris: *In hoc argumento, quod invictiſſimum eſſe crepas, eſt amphibologia inſignis Theologo indigna. Latet dolus in his verbis, Lex Chriſti. Lex Chriſti duo ſignificat: 1. Legem Dei Moralem, quæ à Chriſto non ſolvitur, ſed firmatur, & conſcientiis ut obedientiæ regula præſcribitur, cum obligatione ad obſequium. Sed hæc non proponitur ut noſtræ Juſtificationis norma, ut* Paulus *verbis diſertiſſimis aſſerit* Gal. 2. 16. 21. *2. Legem Fidei, ut Apoſtolus vocat rationem illam peccatorem juſtificandi, quam Deus in Evangelio per Chriſtum manifeſtavit,* Rom. 3. 27. *Tu verò hæc duo confundis. Et quia Minor prioris Syllogiſmi* Pauli *verbis è diametro adverſatur,* Rom. 3. 28. *eam probare niteris ludendo in ambiguo. Quicunque per Legem Chriſti (putà de Juſtitia Fidei) abſolvitur, eam Legem impleat neceſſe eſt: At Fide ſolâ ſine Operibus nemo Legem Chriſti (ſcil. Moralem) implet: Ergò nemo Fide ſolâ ſine Operibus per Legem Chriſti Evangelicam abſolvitur. Quis non videt homonymiam*

miam & fallaciam? Etſi Fide ſolâ ſine Operibus nemo Legem Moralem impleat, imò etſi nemo Legem Moralem abſolutè impleat, & nemo igitur ex Lege Morali Juſtitiam aſſequi poſſit; quicunque tamen credit in Deum per Chriſtum Legem Chriſti Evangelicam, de Juſtificatione per Fidem in Chriſti Sanguine implet, & à peccatorum reatu eo nomine abſolvitur. Fides vera & viva eſt conditio Juſtificationis unica ſecundùm Legem Chriſti Evangelicam. Qui poſt Pauli *diſſertationem ſeriò perlectam, hoc negat, eſt impius perinde atque veſanus.*

RESPONSIO ad Animadverſionem XII.

§. 1. Animadverſio hæc tua mera eſt atque inſignis calumnia. Candorem in Diſputationibus, præſertim Theologicis, amavi ſemper, & ſecutus ſum, ab *amphibologiis* illis, dolis & malis artibus, tum ubique, tum imprimis in iis, in quibus ſalus animarum vertitur, quàm longiſſimè abhorrens. Iſtiuſmodi artificiis cauſa tua, contra veritatem manifeſtiſſimam ſuſcepta, indigere quidem poteſt; at veritas, quam defendimus, iſtis angulis ac latibulis opus non habet. In hoc Capite illud primùm fundamenti loco ſuppono, (quod apud Reformatos omnes in confeſſo eſt) vocabulum Juſtificationis eſſe forenſe, ſive juridicum, adeóque primâ ſuâ notione juris proceſſum connotare: unde infero, in Juſtificatione noſtra, ſicut in omni juris proceſſu, prater alia, Legem imprimis aliquam ſtatuendam eſſe, ad cujus normam judicium ſit peragendum; adeóque neminem propriè juſtificari ſive abſolvi, niſi qui Legem, ad cujus normam judicatur, impleverit. His poſitis, pergo inquirere, quænam ſit illa Lex, cujus judicio nobis Chriſtianis ſtandum ſit? Diſertiſſimo teſtimonio *Jacobi* Apoſtoli oſtendo, Legem, per quam judicandi ſumus, eſſe νόμον ἐλευθερίας, *legem libertatis*, ſive, νόμον βασιλικὸν, *legem regiam*, hoc eſt, Chriſti Regis noſtri, hæc inter alia jubentem; ἀγαπήσεις τὸν πλησίον σε ὡς σεαυτόν. Tandem concludo Legem Regiam, de qua loquitur *Jacobus*, & per quam nos judicatum iri affirmat, eſſe ipſiſſimam Legem Moralem, prout ſcil. eam expoſuit ac perfecit Chriſtus ipſe, atque à Monte (*Sinai* ſuccedaneo) ut Legem ſuam Diſcipulis tradidit. Dico & probo, hujus Legis obſervantiam, Gratiâ

Evangelicâ temperatam, ab omnibus Chriſtianis, ut conditionem Fœderis ſui omnino neceſſariam, à Chriſto poſtulari. His omnibus præmiſſis ac ſtabilitis, demum contra *Antinomos*, (quorum cauſam Eccleſiæ *Anglicanæ* Theologum ſuſcepiſſe nollem) ità argumentor: Quiſquis à Deo per Chriſtum juſtificatur, *&c.* ut ſuprà. In utraque utriuſque Syllogiſmi propoſitione eandem Chriſti Legem (ſine omni ἀμφιβολογίᾳ) intelligendam volui. Tu verò quia fundamenta argumenti mei evertere non poteras, *amphibologiam* finxiſti pro libitu tuo, ut hoc ſaltem κεραυνῷ ictum teli noſtri effugeres.

§. 2. Sed crimen, mi Cenſor, in caput tuum recidit. Tu dolo malo, eóque multiplici, Lectorem tuum fallis ac decipis; aut certè ipſe falſus ac deceptus es. Nam, 1°. Duplicem Chriſti Legem ſtatuis in Evangelio propoſitam nobíſque Chriſtianis impoſitam. Atqui hactenùs putârim (denſam Theologorum turbam ſecutus) Chriſtianis unicam eſſe Legem, quemadmodum & unicum Legiſlatorem. Equidem quis ſanus Theologus unquam ſomniavit de iſta diſtinctione inter Legem Chriſti Moralem, & Legem Chriſti Evangelicam? Annon Lex Moralis, quatenus eſt Lex Chriſti, hoc eſt, à Chriſto expoſita, ſuíſque impoſita Evangelio (ſub qua χάριτι ſola ipſam in hoc Capite conſideravimus) eſt Lex Evangelica?

§. 3. 2°. Dicis, Legem Moralem à Chriſto non ſolvi, ſed firmari, & conſcientiis ut obedientiæ regulam præſcribi, cum obligatione ad obſequium; ſed qualis ſit obligatio illa, non explicas. Dic ſodes, dic apertè, utrùm ad obſequium Legis Moralis, à Chriſto firmatæ, ſub periculo animæ obligemur, an ſolo gratitudinis vinculo? Si hoc affirmaveris, peſtiferam *Antinomorum* hæreſin amplecteris; & redeunt abſurda illa Dogmata omnia, à quibus tantopere abhorrere te modò profeſſus es. Sin illud ſtatueris, fatearis neceſſe eſt, Legem illam à Chriſto proponi, ut noſtræ Juſtificationis normam; hoc eſt, Legis illius ſinceram obſervationem conditionem eſſe in Evangelio ad Juſtificationem neceſſariò requiſitam. Ratio conſequentiæ eſt: quia quatenus quid ſub periculo animæ, & ut neceſſarium ad Salutem requiritur, eatenus idem ut neceſſarium quoque ad Juſtificationem requiritur: quod ſuprà liquidò demonſtravi in examine *Animadverſionis* ſeptimæ,

Sect.

Sect. 2, 3, 4, 5. Ut verò Lector, quæ ibidem disseruimus, quomodo ad præsentem Quæstionem accommodanda sint, rectiùs dijudicet, notandum est, Legis Moralis à Christo traditæ duplicem quasi observationem statui posse; alteram, quæ voto & firmo animi proposito concipitur, atque interno saltem affectu perficitur; alteram, quæ ipso opere, sive sanctâ πολιτείᾳ completur. Prioris generis observatio ad Salutem absolutè necessaria est; proindè ad id requiritur, ut quis primæ Justificationis Gratiam obtineat. Deus enim neminem ad Salutem acceptum habet, proindè neminem justificat, qui nondum ad eam Dei & proximi dilectionem pervenit, quæ est τέλος τῆς παραγγελίας, *finis præcepti*, 1 Tim. 1. 5. (hoc est, finis, quem in Lege sua Deus intendit, quóque utcunque consecuto acquiescit) vel, ut B. *Pauli* verbis iterum utar, qui nondum præditus est *Fide per Charitatem perfectâ*. Altera verò illa Legis observatio, ad Salutem requiritur ex hypothesi, si Deus vitam dederit, proindè ad Justificationis Gratiam retinendam & conservandam requiritur.

Verbo dicam, qui Christo Regi se devovet, & νόμῳ βασιλικῷ obedientiam per Gratiam Christi præstandam firmo animi proposito spondet, is ex Fœdere Evangelico jus habet ad Salutem; sed jus pendens, datum sub conditione præstandi actu obedientiam, quam voto suscepit, si modò Deus vitam prorogaverit. Unde manifestum fit, observationem Legis Moralis à Christo traditæ, quatenus ad Salutem requiritur, eatenus etiam ad Justificationem requiri. Requiritur prima illa Legis observatio, ut quis per Gratiam Dei in Christo jus ad Salutem acquirat, hoc est, justificetur; altera verò requiritur, nè quis jure suo ad Salutem excidat, hoc est, Justificationis Gratiam jam adeptam amittat. Itaque in omnem partem te vertas necesse est, ut hîc vel argumento meo cedas, vel in castra *Antinomorum* (quod absit) fecedas.

§. 4. 3°. Pessimâ fide à te adducitur hypothesi tuæ probandæ locus Apostoli, *Gal.* 2. 16, 21. Nam Apostolus ibi non agit de Lege Morali à Christo firmatâ, cujus sincera observatio cum Fide Christi conjuncta, & ex Fide profecta, ut conditio Salutis obtinendæ necessaria in Evangelio requiritur; sed vel de Lege Rituali, cujus observationem Judaizantes Pseudo-apostoli docuerunt, cum Fide Christi necessa-

riò

riò conjungendam fuiſſe, ſi quis ſalvus eſſe vellet; vel de *Moſaico* Fœdere integro à Chriſto Mediatore & Fide in ipſum divulſo. Piget me hæc tam clara & manifeſta, jámque tam fusè probata toties repetere.

§ 5. 4°. Periculosè admodum Legem Operum, de qua loquitur Apoſtolus, quámque Legi Fidei opponit, *Rom.* 3.27. de Lege Morali à Chriſto Diſcipulis tradita interpretaris. Imo neſcio ſanè, an quicquam à profligatiſſimo inter *Libertinos* hâc interpretatione tuâ magis abſurdum, magis noxium ac periculoſum dictum aut prolatum unquam fuerit. Vide quæ diximus in Examine *Animadverſionis* decimæ, Sect. 3. Unde & hæc interpretatio tua planè ſingularis eſt, neque cujuſquam probati Scriptoris, nè inter *Neotericos* quidem Theologos, authoritate defendi poteſt. Nam illi, cùm Legem Moralem Operum Legem vocant, Legem Moralem intelligunt non quatenus à Chriſto Diſcipulis ſuis, in Concione à *Matthæo* recitata, expoſita impoſitáque fuit; (nunquam ità deſipuerunt) ſed quatenus extra Chriſtum ſpectata, neſcio quam abſolutiſſimæ virtutis atque obedientiæ impoſſibilis ἀκρίβειαν ſub periculo animæ ab homine exigit poſtulátque. Verùm & illi ab Apoſtoli mente (quod pace eorum dixerim) aberrâſſe mihi videntur. Νόμος ἔργων, *Lex Operum* ſive *Factorum*, (ut optimè vetus Interpres) Apoſtolo eſt reverà nihil aliud quàm Lex *Moſaica*, carnaliter & juxta literam ſpectata, quæ multiplicia opera externa & ritualia (ἔργα magis propriè dicta) requirit; quæque, ad ipſa Moralia quod attinet, Juſtitiâ illâ, quæ in externis factis conſiſtit, contenta eſt; utpote quæ tantùm exteriùs perpetratis homicidii, adulterii, *&c.* actibus mortem denuntiet, non ipſis peccatorum internis affectibus. Verum eſſe quod dico, nempe, Legem Operum Apoſtolo eſſe Legem *Moſaicam*, carnaliter & juxta literam ſpectatam, apparet ex integro loci contextu, quæ continetur v. 27, 28, 29, 30. Verba ſunt: *Ubi eſt ergò gloriatio? Excluſa eſt. Per quam Legem? Factorum? Non: ſed per Legem Fidei. Arbitramur enim Juſtificari hominem per Fidem abſque Operibus Legis. An Judæorum Deus tantùm? Nonne & Gentium? Immo & Gentium. Quoniam quidem unus eſt Deus, qui juſtificat Circumciſionem ex Fide, & Præputium per Fidem.* Ubi hâc ratione probat Apoſtolus, non Juſtificari homi-

hominem ex Lege Operum, quòd Deus non ſit tantùm *Judæorum*, ſed & *Gentilium*, Deus, Quæ ratio manifeſtè oſtendit, cogitâſſe imprimis hoc in loco *Paulum* Legem illam Factorum, ſive Rituum, quæ ad *Judæos* tantùm pertineret, ac veluti intergerinus paries (*Eph.* 2. 14.) ipſos à *Gentibus* divideret.

Neque nova eſt hæc interpretatio; ſiquidem locum ità expoſuit (ut alios Veteres omittam) antiquus Author Commentariorum, qui *Ambroſio* tribuuntur, tum ubi in ipſum locum ſcribit, tum alibi. Clara ſunt imprimis verba ejus in ipſo initio procœmii in Epiſtolam ad *Galatas*. *Omnis* (inquit) *credens in Chriſtum, & obſervans Legem Factorum, malè intelligit Chriſtum. Sicut &* Symmachiani, *qui ex Phariſæis originem trahunt, qui ſervatâ omni Lege Chriſtianos ſe dicunt*, &c. *Si enim Deum intelligerent Chriſtum, nihil de Lege Factorum ſperarent, id eſt, de Neomeniis, Sabbato, Circumcifione, & diſcretione Eſcarum*, &c. Cui gemina ſunt, quæ idem Author ſcribit in Epiſt. ad *Galat.* cap. 3. v. 19. *Lex Factorum*, (inquit) *id eſt*, Moyſi *poſita eſt in medio inter cœptam promiſſionem, & ſemen cui facta promiſſio eſt, hoc eſt, inter* Abrahamum *& Salvatorem. Ideo longè data poſt factam promiſſionem, ut ipsâ diſtinctione aliud promiſſio videretur; ut populum Dei à* Gentibus *ſegregatum erudiret ſub Dei timore; ut dignus fieret ad excipiendam promiſſionem, quæ eſt Chriſtus. Lex tamen Factorum ideo dicitur, quia docet, quæ Deo jubente corporaliter fiant de Sacrificiis, de Primogenitis, de Decimis, & de cæteris talibus.* Hæc autem Lex Factorum gloriationem non excludebat, ob duplicem rationem. Primùm, quidam erant ex *Judæis*, qui hujus externæ Legis accuratam obſervationem, tam Moralia quàm Ceremonialia quod attinet, non falsò prætenderent. Talis erat *Paulus*, qui dicit ſe, quod Juſtitiam illam Legis externam attinet, planè ἄμεμπτον, *irreprehenſum*, fuiſſe. Talis juvenis ille, qui, Moralia quòd ſpectat, totum Decalogum ab ipſis ferè incunabulis ſe obſervâſſe gloriatus eſt, *Matth.* 19. 20. Si itaque iſta Legis Factorum obſervatio, ſi externa illa Juſtitia, ad Salutem ſuffeciſſet, fuiſſent, qui Remiſſione peccatorum ac Redemptoris Sacrificio non indiguiſſent. Deinde, ad hanc externam Juſtitiam ſufficiebat ferè humanum arbitrium, neque tam neceſſaria erat ſpecialis illa Spiritûs Sancti Gratia, quæ Vide *Gal.* 2. *ult.*

in Evangelio Spiritualem Juſtitiam exigente promittitur. Illud obiter monuiſſe viſum eſt, quòd obſervatio haud parvi momenti ſit. Pergamus.

§. 6. 5°. In eo certè graviter erras, quòd exiſtimas, *Legem Fidei* ideo hoc nomine ab Apoſtolo appellatam eſſe, quòd nihil requirit præter Fidem, ſive quòd per meram Fidem ſimplicem virtutem, impleatur. Lex Fidei non ſolam Fidem requirit, ſed Fidem δι' ἀγάπης ἐνεργουμένην, ipſo Apoſtolo teſte, *Gal.* 5. 6. *In Chriſto Ieſu neque Circumciſio quicquam valet, neque Præputium, ſed Fides per Charitatem perfecta.* Quid verò ſit Fides illa per Charitatem perfecta, idem Apoſtolus alibi liquidò explicat, nempe, 1 *Cor.* 7. v. 19. *Circumciſio nihil eſt, & Præputium nihil eſt, ſed obſervatio mandatorum Dei.* Ex quibus locis inter ſe collatis manifeſtum eſt, τήρησιν ἐντολῶν Θεοῦ, hoc eſt, ſinceram obſervationem præceptorum Dei, (eorum ſcil. quæ univerſalis ac perpetui juris ſunt) ab Apoſtolo ſub Lege Fidei comprehendi. Hinc in Eccleſia Chriſti, quæ Apoſtolicam ætatem proximè ſecuta eſt, pro Catholico atque Orthodoxo habebatur, qui doceret, hominem per moralia Legis præcepta Juſtificari, perindè atque is qui diceret, hominem per Fidem Juſtificari: & duæ iſtæ locutiones neutiquam ſecum pugnare judicabantur. Teſtis locupletiſſimus eſt *Irenæus*, *Polycarpi* viri Apoſtolici Diſcipulus, qui lib. 4. cap. 27. in ipſo initio ſic ſcribit: *Dominus naturalia Legis, per quæ homo juſtificatur, quæ etiam ante Legiſdationem cuſtodiebant, qui Fide juſtificabantur, & placebant Deo, non diſſolvit, ſed extendit, ſed & implevit.* Totum Caput lectu digniſſimum eſt. Quid igitur? Lex Evangelica, ideo *Lex Fidei* appellatur, quòd obedientia illa omnis, quam requirit, tum ex Fide in Chriſtum proficiſcitur, & tanquam ex radice ſua germinat; (unde & obedientia Fidei diſertè dicitur, *Rom.* 16. v. 26. & alibi) tum Gratiâ Spiritûs Sancti, quam Fides impetrat, perficitur; tum denique, ſolâ vi promiſſionis in Chriſti Sanguine factæ ac ſtabilitæ, quam Fides amplectitur, non ſuo merito, ad Salutem valet: Unde ad Salutem valet, quanquam imperfecta ſit. Vide *Harm. Apoſt. Diſſert.* 2. *cap.* 5. per totum.

§. 7. 6°. Quod dicis, à nemine Legem Moralem impleri, ſi de perfecta & omnibus numeris abſoluta Legis impletione loqueris, (de qua loqui te palàm eſt.) ut verum illud ſit, certè

certè ad rem non eſt. Argumentum meum aliis fundamentis nititur, nempe, his duobus. 1. Eſſe aliquam Legis obſervationem à nobis requiſitam ſub periculo animæ, atque ut conditionem Salutis obtinendæ omnino neceſſariam. 2. Quæ Legis obſervatio ad Salutem requiritur, ipſam quoque ad Juſtificationem pariter requiri; poſterius illud fundamentum quàm firmum ſit, jam ſæpiùs oſtendi. Priorem Propoſitionem nemo, niſi qui ſit ex fœce *Libertinorum*, negare auſit: & qui negaverit, diſertiſſimis ipſius Domini noſtri verbis refellitur, *Mat.* 5. v. 19, 20. & 7. v. 21, 24, 25, 26, 27. Summa Legis ab ipſo Chriſto his duobus comprehenditur, nempe, ut diligamus Deum ſuper omnia, & proximum ut noſmetipſos. Hæc autem duo præſtari non modò poſſe, ſed & debere, ab omnibus qui ſalvi eſſe velint, certum eſt. Inſignis eſt *Irenæi* locus, (qui licèt *Marcionitas* imprimis feriat, nimis aptè tamen *Antinomis* quoque noſtris accommodari poteſt) *lib.* 4. *cap.* 26. in ipſo initio: *In Lege igitur & in Evangelio cùm ſit primum & maximum præceptum, diligere Dominum Deum ex toto corde; dehinc ſimile illi; diligere proximum ſicut teipſum, unus & idem oſtenditur Legis & Evangelii conditor. Conſummatæ enim vitæ præcepta in utroque cum ſint eadem, eundem oſtenderunt Deum, qui particularia quidem præcepta apta utriſque præcepit; ſed eminentiora & ſumma, ſine quibus ſalvari non poteſt, in utroque eadem ſuaſit.*

Quæ Legis obſervatio ſit poſſibilis, quæque abſolutè neceſſaria ad Salutem fusè oſtenditur in appendice ad Exam. Animad. 17. Theſ. 5, 6, & 7.

§. 8. 7°. Quod dicis, *Fidem veram & vivam conditionem eſſe Juſtificationis unicam ſecundùm Legem Chriſti Evangelicam*, veriſſimum eſſe agnoſco, modò Fides viva (ut par eſt) definiatur juxta Apoſtolum, *Fides per Charitatem perfecta*. Nam talis Fides (ut dixi) univerſam Chriſti Legem, de qua loquor, implet. Poſtremò, convitia quæ mihi facis, impium me & veſanum appellitans, non moror. Ad iſtiuſmodi maledicta, toties iiſdem exercitatus, jam penè occallui; optimâ nimirum conſcientiâ fretus, quæ mihi ahenei inſtar muri eſt ad calumnias omnes inimicorum meorum facilè propellendas. Siſtendi ſunt olim mecum ferocientes adverſarii coram Chriſti Judicis Tribunali, ad quod Tribunal ego (alioquin peccatorum maximus) in hac certè cauſa (de ſumma

rei loquor) lubens & lætus appello. Interim tu, mi Cenſor, dicti memor eſto Domini noſtri, *Mat.* 12. 37. *Verbis tuis juſtificaberis, & verbis tuis condemnaberis.*

ANIMADVERSIO XIII.

ad Diſſert. 1. cap. 4. §. 4. pag. 29.

IN hoc Capite tres Fidei actus à Theologis vulgò aſſignatos (Notitiam, ſcil. Aſſenſum, & Fiduciam) expendens, luculenter oſtendo, nullum ex iis eſſe, cui per ſe ſpectato, Juſtificatio neceſſario nexu conjuncta ſit. Duos priores Fidei actus, (utpote quibus, vel pauci admodum, vel nulli prorsùs, vim juſtificatricem tribuant) leviter perſtringere contentus ſum. Tertium verò Fidei actum, quam Fiduciam appellant, fuſiori atque accuratiori Examine perpendo. Cui Examini hæc præfatus ſum: *Reſtat itaque tertius atque ultimus Fidei actus, quam Fiduciam vocant; & in eo maximam ponunt fiduciam* Solifidiani. *In iis igitur, quæ hîc dicunt, expendendis diutiùs immorabimur. Ac primò quidem operæpretium eſſet inquirere, quid per Fiduciam iſtam velint. Res enim hæc miris verborum involucris ab iis tegitur, ut penè* Oedipo *opus ſit interprete. Ingens acumen & planè ὑπερβάλλον μέγεθος τῆς ἀγχνοίας ei lubens detulerim, qui eorum hac de re locutiones intelligibiliter explicare, atque inter ſe conciliare, valeat. Experiatur qui dubitat, ac verum eſſe quod dicimus, vel invitus fatebitur.* Ad hæc tu in margine ſcribis: *Etſi opus ſit arduum, rei cujuſlibet definitionem accuratam edere, & Gratiæ Spiritualis, quæ ſenſus fugit, & intellectum animalem ſuperat, definitio ſit longè difficillima; non tamen impoſſibile eſt, Fidei ſalvificæ naturam (ut ità loquar) ſive rationem formalem, & actum Fidei juſtificantem intelligibiliter explicare. Quid non ſit, facilius quidem eſt eloqui, quàm quid ſit. Sed & hoc non eſt* ἄῤῥητον. *Fidem in aſſenſu mentis Evangelio præbito, eóque firmiſſimo, non conſtare, probatur; quia Diabolus incarnatus poteſt hâc Fide imbui, perindè atque Diaboli ipſi tum Deum eſſe, tum Ieſum eſſe Chriſtum, credunt.*

credunt. Simon Magus *convictus de Evangelici verbi veritate, ob Operum Apoſtolicorum virtutes, credidit. Hæc verò* πληροφορία πίστως, *ſive aſſenſus intellectûs, licèt prævia ſit ad Fidem ſalvificam animi diſpoſitio, eſt tamen Fide vivaci citerior. Idem ſentiendum eſt de Fiducia conditionata, quæ ſæpe inefficax eſt, prævalente carnis à Chriſti jugo averſione.* Quibus & illa addis paginâ proximè ſequenti: *Sine me pro noſtra ingenii tenuitate deſcribere, quòd intùs experiri plus erit ſolatii, quàm extrà proloqui. Fides Electorum ſalvifica eſt voluntatis, ab intellectu irradiato jam lumine Evangelii directæ, & Spiritu Sancto motæ, inclinatio vivax ad fidendum in Deo per Chriſtum,* 1 Pet. 1. 21. *ſive in Chriſto Mediatore, de ſalute æterna, ſive de venia & vita per Miſericordiam Dei & Merita Chriſti apiſcenda. Actus formalis Fidei vivæ eſt, poſt abjectam ſpem omnem ſalutis in mundo & ſeſe, Fiduciam corde integro reponere in Deo & Chriſto de promiſſionum in Evangelio oblatarum aſſecutione, propter & per Dei bonitatem, veritatem ac potentiam. Hâc Fide ſive Fiduciâ* Abraham *Deo gloriam dedit.* Neque his contentus, jubes me reſpicere ad paginam vacivam (ut loqueris) libri fronti præfixam, ubi ſententiam tuam de Fiducia juſtificatrici prolixè explicas his verbis: " Agimus de Fidei ſalvificæ notione pro-
" pria, & actu illo peculiari, quem Scriptura exprimit per
" τὸ πιστεύειν εἰς, vel ὅτι, τὸν Θεὸν, ſive χριστὸν, & ὅτι, ſive εἰς, ὄνομα, &
" ἐν ὀνόματι Κυρίου. Interpretes Græci V. T. ſæpiſſimè utuntur
" vocabulo ἐλπίζειν εἰς τὸν Θεόν, pro eodem, quod Scriptores
" Novi Teſtamenti dicunt, πιστεύειν εἰς Θεόν, & εἰς χριστόν. Fidei
" autem actum primarium, & rationem (ut ità loquar) formalem, eſſe concipio confidentiam in Deo ſive Chriſto de ſalute
" omnimoda, quam Deus per Chriſtum nobis ſpondet. Et
" hæc Fiducia, quâ homo in Deo recumbit, acquieſcit, &
" onus omne, curámque omnem in Deum revolvit, in Deo
" unico ſuam ſpem repoſitam ſtatuens, & tanquam ad rupem
" ad Deum refugiens, & ſuper illo, tanquam ſuper rupe, ſe-
" ipſum ædificans, eſt diſtincta à credendo, item ab agendo;
" & longiùs, ſcil. duobus gradibus, diſſita à perſuaſione illa
" de favore Dei in peccatorum Remiſſione; quam πληροφορίαν
" eſſe Fidem juſtificantem, quidam perperàm volunt, & tu,
" Vir clariſſime, ſolidè refellis. Hominem juſtum eſſe oportet, priuſquam juſtificari ſe nôrit. At homo eſt ex Fide

" juſtus, ideoque Fides, per & propter quam quivis juſtifica-
" tur, præcedit ſuam Juſtificationis ſuæ certitudinem. Hæc
" perſuaſio præſupponit ipſius Fidei noſtræ notitiam, & reſul-
" tat per modum Syllogiſmi ex propoſitione Evangelii gene-
" rali, & aſſumptione, ſive reflexivâ ſtatûs noſtri in Fide ap-
" prehenſione; undè Chriſtianus ſe conditionem Evangelii
" implêſſe gnarus, de ſua venia & cum Deo conciliatione ſta-
" tuit. Hæc memoro, ut ſcias tecum me lubenter ſentire,
" neque niſi veritatis vi victum à te diſſentire. Fidei verò
" juſtificantis actum proprium medium eſſe ſtatuo inter Fidu-
" ciam illam conditionatam, quâ homini perſuaſum eſt,
" ſe ſalvum fore, ſi Dei conditioni ſe ſubmiſerit, *&c.* & Fi-
" dei fructum, ſcil. obedientiam. Τὰ ἐναντία παρὰλληλα μᾶλλον
" γνώριμα, verè dixit Philoſophus. Caro corrupta eſt non
" modò incredulitatis rea, quia verbum Dei non Fide & fir-
" mo aſſenſu excipit, ſed aſpernatur; ſed etiam infidelitate
" ſive potiùs diffidentiâ laborat, & peccator non audet in
" Dei Bonitate ac Potentia ſecurus inniti, & Dei promiſſis fi-
" dere. Hæc verò cordis infidelis pravitas eſt ἀπιστίας ma-
" ter. Non eſt opus prolixè referre Iſraëlitarum in eremo
" rebellionem, & Magnatis *Samaritani* tibi nota exempla.
" Perpendenti rem liquebit, vitium diffidentiæ incredulitati
" eſſe malum ſuperadditum. Ex parte jam altera conſtat,
" animam Gratiâ Divinâ tactam, & Spiritûs Sancti vi ſuâvi
" flexam, ad Deum converſam eſſe, & propenſione voluntа-
" riâ Deum reſpicere; & non modò veritati promiſſionum
" aſſentiri, & quaſi velis plenis ad earum amplexum ferri;
" ſed etiam in Deo Fiduciam ponere, & Deo arctiſſimè adhæ-
" rere, ut Sanctus *Job* cap. 13. 15. profitetur ſe fiſurum in
" Deo, etſi ipſum occiderit. Hæc verò Fiducia parit obedi-
" entiæ promptitudinem. Viator, qui in duce gnaro & Fide
" confidit, in via ſibi ignota ducem ſecurè ſequitur. *Abra-*
" *ham* Dei Providentiæ gratioſæ innixus, Deum in terram
" incognitam cœca cum obedientia, ſed prudentiſſima, ſe-
" cutus eſt. Æger, qui medici peritiam & benevolentiam no-
" vit, ſi fidere auſit, (nam hæc Fiducia creditionem ſequitur
" contingenter) medici præſcriptis parebit. Sic peccato
" laborans, ſi in Miſericordia Dei & Chriſti Meritis, ſalutem
" omnem ſuam ſitam crediderit, & in Deum Chriſtúmque
" credi-

" crediderit, *i. e.* Fiduciâ recubuerit, Christo lubentissimè ob-
" sequetur. Interim radix, etsi fructuum ferax si opportu-
" nitas exigat & ferat, distinguenda est ab ipso germine. Vi
" promissi; Qui crediderit in ipso, qui ædificaverit super lapide
" illo pretioso, electo, salvus erit, *Rom.* 10. 11. *Esai.* 28. 16.
" *Justus ex Fide vivet* etsi proximo momento moriatur, ut
" latro fidelis. Fides igitur justificans est Fiducia. Nam li-
" quidò constat hæc distinctio; verbum veritatis credimus,
" rem promissam speramus, & in promissore fideli ac potente
" confidimus. Hujus Confidentiæ præcepta passim occur-
" runt, *Psal.* 37. 3, 5. *Esa.* 26. 4. Huic annexa habemus
" promissione divinâ beneficia plurima, *Psal.* 2. 12. & 32. 10.
" & 37. 40. Hujus exempla splendida nobis proponuntur,
" *Psal.* 22. 4. 2 *Chron.* 13. 18. Ejusdem est qualitatis actus,
" quo in Deo fidimus de protectione externa in hoc seculo, &
" de salute æterna in altero. Est enim ratio Fidei commu-
" nis, quâ servus Dei in Divina misericordia, veritate ac po-
" tentiâ, Fiduciam ponit, de quovis beneficio promisso apiscen-
" do certissimè securus. Ejusdem igitur est generis Fides il-
" la, quâ *David* de victoria & de venia confisus est in Deo;
" imo quâ Christus ipse veniâ non indigus confidit in Deo;
" (*Mat.* 27. 43.) illa, inquam, Fiducia, πεποίθησις, est ejusdem
" generis cum Fiducia Christiani, quâ confidit in Deo & Chri-
" sto de liberatione à peccatis. Unicum adjiciam argumen-
" tum, cujus robur expendas velim. Petam à lege oppositio-
" rum. Quando virtuti opponitur vitium, in quo peccatur
" eo quòd affectus malè collocatur, tunc actus utrobique est
" idem in genere suo. Quando homini interdicitur aut vi-
" tio vertitur, in sese, ac suo vel ingenio, vel robore, fidere,
" *Prov.* 3. 5. in divitiis & mammona incerto niti, ut *Isa.* 52.
" 7. 1 *Tim.* 6. 17. in principibus mortalibus, *Psal.* 118. 8, 9.
" & 146. 3. in brachio carneo, *Jer.* 17. 5, 7. denique, in ipsa
" iniquitate & rapina fidere, *Psal.* 62. 10. *Esa.* 47. 10. id
" quod in vitio notatur, est nihil aliud præter Fiduciam. Ne-
" que enim quisquam dicitur credere auro, sed confidere in
" divitiis, quando opes suas securitatis turrim, & felicitatis
" statumen reputat, & rebus externis innititur. Pari rati-
" one Fides in Deum & Christum est propriè Fiducia, (vide
" *Jer.* 17. 7.) quâ in Dei ac Christi Misericordia ac Meritis

" confi-

" confidimus. Et quamvis varia ſint Fidei exercitia, per " quam Chriſtianus vivit & ambulat, ratio tamen eſt com- " munis omnium actuum Fidei, licèt objecta ſint varia. Si- " cut ejuſdem generis viſu *Iſraëlita* & arenam vidit nihil " profuturam, & Serpentem æneum in Palo erectum, cujus " intuitu ſalutem obtinuit: Sic Chriſtianus pari oculo Fidei " Chriſtum reſpicit Redemptorem, & Deum Protectorem; & " eâdem confidentiâ innititur in Dei benignis pollicitis de " proviſione ac viatico ſufficienti, & de venia ac vita æterna. " Et hanc Fidem in hoc ſenſu ſumptam Chriſtus & Apoſtoli " eſſe Juſtificationis conditionem apertiſſimè docent. Ecce " jam quàm non inextricabilis ſit difficultas recumbentiæ, " ſive Fiduciæ in Deo, notionem concipere & explicare, ſi " animum adverterimus ad phraſes Spiritûs Sancti varias, " *&c.*

RESPONSIO ad Animadverſionem XIII.

§. 1. In hac Animadverſione verba mea, quæ refutare voluiſti, illuſtri ſanè ſpecimine veriſſima eſſe comprobâſti. Dixi ab iis, qui Fiduciam Juſtificæ Fidei formalem actum ſtatuunt, cùm ad explicationem ſententiæ ſuæ ventum eſt, rem miris verborum involucris tegi, ut penè *Oedipo* opus ſit interprete. Sanè autem hoc ſermone tuo quid unquam perplexius? Conabor ad ea omnia, quæ intelligam, candidè, & quâ fieri poteſt perſpicuitate, reſpondere; de cæteris verò quaſi divinâſſe ſufficiat.

§. 2. Primùm, permirum mihi videtur, quòd apertè fatearis, opus eſſe tam arduum & longè difficillimum, notionem illam Fidei Juſtificæ, quam amplecteris, intelligibiliter explicare. Sanè hoc certiſſimo argumento eſt, notionem illam tuam genuinam non eſſe, ſed ſpuriam ac falſam prorsùs. Etenim cui ſano perſuaſeris, unicum hominis officium, quo ipſius Juſtificatio æternáque Salus divinâ voluntate ſuſpenditur, explicatu eſſe tam difficile? Semper quidem exiſtimavi, eſſe quædam doctrinæ Evangelicæ myſteria, Fide credenda, quæ ad captum imbecillis noſtri intellectûs plenè explicari vix, ac nè vix quidem, poſſunt; at ipſam Fidem, quæ nobis ut officium noſtrum præſcribitur, tantum eſſe myſterium antehac nunquam

nunquam ſomniaverim. Curator es animarum, & gregem Chriſtianam paſcis; miror autem, quid cum plebe tua agas. Habes dubio procul (aut cæteris fratribus tuis longè es fælicior) inter auditores tuos quoſdam, qui tardioris ſint ingenii. Quomodo homunciones intelligere potis erunt, quod ipſi Doctori ſuo non inerudito intelligibiliter, vel doctis explicare, tam ſit difficile? Patere, quæſo, ut quod res eſt dicam. A plana veritatis ſemita in avia & abrupta deflexiſti, ſenticetis & dumetis implicitus: itaque viam rectam comiter monſtranti nè iraſcaris. Reſpice Scripturæ loca, in quibus ea Fides, quæ ad Juſtificationem ac Salutem valeat, quaſi ex profeſſo explicatur, imprimis Textus jam ſæpiùs allegatos, *Gal.* 5. 6. & 6. 15. coll. 1 *Cor.* 7. 19. Videbis (niſi videre nolis) Fidem, cui ex Evangelico Fœdere Juſtificatio ac Salus conceditur, nequaquam eſſe ſimplicem virtutem, ſed vocem omnino accipi ſenſu complexo; Fidémque adeò Juſtificam nihil aliud eſſe, quàm firmum Evangelio aſſenſum in intellectu per verum Dei & proximi amorem in voluntate efficacem; ſive ejuſmodi Evangelio aſſenſum, quem comitatur totius hominis renovatio, animi ſcil. & actionum, vel eorum, quæ in Evangelio præcipiuntur, ſincera obſervatio.

§. 3. Obſervandum eſt, definitionem tuam Fidei Juſtificæ, ubi propriis verbis traditur, valde mancam atque imperfectam eſſe; ideóque te mox in pleniorem ejus explicationem multis uti verbis, ſed metaphoricis quidem iſtis, quæ de rei definitione cùm agitur, imperitè adhibentur. Ais, Fidei ſalvificæ rationem formalem eſſe, *Confidentiam in Deo, ſive Chriſto, de Salute omnimoda, quam Deus per Chriſtum nobis ſpondet.* At quis non videt, hanc definitionem nullam exprimere eſſentialem differentiam, quâ Fides ſalvifica à Fide hypocritarum diſcernatur? Quippe certiſſimum eſt, nimiùm multos in animo ſuo concipere Confidentiam de Salute per Chriſtum obtinenda, qui à ſtatu Juſtificationis ac Salutis abſunt quàm longiſſimè. Hujus rei ipſe, ut videtur, gnarus, in umbra locutionum metaphoricarum perfugium quæris. *Hæc Fiducia*, inquis, *quâ homo in Deum recumbit, acquieſcit, & onus omne, curámque omnem in Deum revolvit, tanquam ad rupem ad Deum refugiens*, &c. Scio, ex Metaphoris iſtis quaſdam etiam in Scripturis reperiri; ſed & ſcio eaſdem ad rem, de qua quæ-

ritur, illustrandam non adhiberi: siquidem in locis ubi occurrunt, non agitur *de Fiducia justificante*, sed *de Fiducia hominis justi*, utì mox patebit. Prætereà cùm illud, quod ex parte nostra ad Justificationem requiritur, passim in Sacris Oraculis verbis maximè propriis exprimatur, cur, iis relictis, figuratis locutionibus imprimis gaudeas? Ratio in promptu est. Definitio illa tua (utpote macra, jejuna & squallida nimis) primo aspectu Lectori displiceret, si nativis tantùm coloribus exhiberetur; ideóque cerussâ Metaphorarum dealbanda erat, ut fucum ipsi faceret.

§. 4. Notatu dignum est, inter Metaphoras, quibus uteris ad explicandam Fidei salvificæ formalem rationem, quasdam esse, quæ in proprium sensum resolutæ, ipsam illam Charitatem, sive sincerum Obedientiæ propositum, apertè significant, quod Fidei verè Justificæ complementum ac perfectionem esse, ipse lubentissimus agnosco. Ità Confidentiam tuam Justificatricem descripturus, ais, *Animam Gratiâ Divinâ tactam, & Spiritûs Sancti vi suavi flexam, ad Deum conversam esse, & propensione voluntariâ Deum respicere, quin & Deo arctissimè adhærere.* Certè Conversio animæ ad Deum in Scripturis denotat Resipiscentiam, quæ integram Salutis conditionem ex parte nostra in novo Fœdere requisitam complectitur, ut satìs notum est. Jam verò illa animæ arctissima Deo adhæsio quid aliud significare potest, quàm divinam Charitatis virtutem, quâ quis super omnia Dei favorem desiderat, ejúsque ambit amicitiam; certus, ut amicitiam illam acquirat & conservet, contra omnes Mundi, Carnis & Diaboli tentationes, divinis obsequi præceptis, atque in eo obsequio per Dei Gratiam ad mortem usque perseverare? Si istis Metaphoris dum uteris hoc non vis, dic, obsecro, apertè, quid velis.

Ità planè impossibile est, Fiduciam aliquam in Deo, salutarem Justificationis effectum secum trahentem, intelligibiliter explicare, quæ non ità explicata verum Dei amorem, ac sincerum Obedientiæ propositum, notione suâ includat.

§. 5. Fiduciam, quam primarium Fidei Justificantis actum esse statuis, *longiùs, scil. duobus gradibus, dissitam esse* affirmas à πληροφορία, *seu persuasione, de favore Dei in peccatorum Remissione.* Atqui Fiduciam illam ità describis, ut nè uno quidem

gradu

gradu à πληροφορίᾳ illa distare videatur. Nam primò Fiduciam illam *Confidentiam* appellas. Sed vox illa (præterquam quòd à probatis Scriptoribus plerumque in malam partem accipiatur) persuasionem de re aliqua certam atque indubitatam designat. Deinde Metaphoræ, quibus uteris, eandem πληροφορίαν innuunt. Nam *hominem in Deo recumbere & acquiescere, omnem curam* (salutis nempe æternæ obtinendæ) *in Deum revolvere, tanquam rupem ad Deum refugere, & super illo tanquam super rupe ædificare seipsum*; hæ, inquam, locutiones tuæ quandam animi securitatem de Salute obtinenda omnino significant. Quid, quòd ejusmodi securitatem disertis verbis defendis? Quippe ais postea, *rationem Fidei communem esse, quâ servus Dei in Divina Misericordia, Veritate ac Potentia Fiduciam ponit, de quovis promisso beneficio apiscendo certissimè securus.* Dic mihi, quid differat hæc certissima Securitas, quam defendis, à πληροφορίᾳ illa, quam rejicis? Si dixeris, certissimam illam Securitatem respicere tantùm Veritatem ac Potentiam Dei in promissis præstandis, quâ nempe persuasum habemus, Deum promissis suis constiturum, si modò nos conditionem eorundem præstiterimus, manifestè tergiversaris. Nam conditionatam istam Fiduciam ipse distinguis à Confidentia illa, cui Justificatio tribuenda sit: & manifestum quoque est, Fiduciam istam per se ad Justificationem non sufficere. Obiter autem noto, te in verbis proximè à me citatis loqui de Fiducia *servi Dei* de beneficio promisso apiscendo. Sed meminisse te oportet (mi Censor) Quæstionem moveri non de Fiducia hominis, qui servus Dei jam factus sit; (quippe ejusmodi hominem magnam Confidentiam de promissis Dei apiscendis jure posse in animo suo concipere, non negamus:) Sed de Fiducia peccatoris è servitio peccati sese nitentis extricare, atque ad Dei liberam servitutem aspirantis. Imò tu disertè loqueris de Fiducia, quæ omnem hominis Obedientiam, adeóque Obedientiæ promptitudinem antecedit, eique Fiduciæ Justificationem tribuis.

At qualis, quæso, est servus ille Dei, qui nondum Deo servivit, imò qui nondum ad obsequium Dei se voto obstrinxit? Jam verò quam Fiduciam potest homo ejusmodi in animo suo concipere, de promissis Dei apiscendis, præter conditionatam illam, quâ persuasum habet, se promissa beneficia assecuturum,

rum ſi conditionem præſtiterit, hoc eſt, modò *ſervus Dei* reverà fiat?

§. 6. In Diſſertationibus meis diſtinctione uſus ſum de duplici Fiducia; alterâ abſolutâ, quâ quis nullâ conditione ſuſpenſus credit, peccata ſibi actu remiſſa eſſe, ſéque Deo ad Salutem acceptum haberi; conditionatâ alterâ, quâ quis confidit in promiſſo Evangelico, ſe Remiſſionem peccatorum, adeóque Salutem æternam, per Chriſtum conſecuturum, ſi modò conditionem obtinendæ Remiſſionis in Evangelio præſcriptam præſtiterit. Harum utram Fiduciam maluerit accipere, cui Juſtificationem hominis tribueret, adverſario permiſi; certus, neutri Juſtificationem tribui poſſe ſine manifeſta abſurditate. Tu verò utramque iſtam Fiduciam à Juſtificatione rejicis, & Fiduciam tamen eſſe quandam, quæ ſit Fidei Juſtificantis actus primarius, & veluti formalis ratio, pertinaciter defendis. Quippe fateris, me ſolidè refutâſſe ſententiam eorum, qui Fidem Juſtificantem eſſe abſolutam Fiduciam de Remiſſione peccatorum jam obtenta ſtatuunt; & nihilominùs Juſtificationem attribuis Fiduciæ, quæ à conditionata diverſa ſit. Miror acumen tuum, qui primus Philoſophorum inter duo contradictoria medium aliquod inveneris. Eſtne (quæſo te) Fiducia aliqua, quæ neque conditione ſuſpenditur, neque non ſuſpenditur? Si effugium quæſiveris dicendo, Fiduciam juſtificatricem, quam defendis, eſſe quidem conditionatam, ſed tamen aliam planè à conditionata illa quam ipſe deſcripſerim; fruſtrà omnino eris. Nam, 1°. In æternum non poteris explicatam nobis dare Fiduciam aliquam conditionatam, quæ, nempe, mera ſit Fiducia, quæ non eadem planè ſit cum Fiducia illa conditionata, quam ipſe deſcripſerim. Quicquid deſcriptioni iſti adjeceris, apparebit tandem illud non Fidei aut Fiduciæ, ſed Charitatis, actum eſſe. Illud ipſum in hoc Diſſertationum mearum Capite monueram his verbis: *Certum eſt, conditionatam hanc Fiduciam ad Juſtificationem ac Salutem hominis nihil quicquam valere poſſe, niſi ſtatuas eam in voluntatem atque affectus agere, actum aliquem Charitatis ex animo eliciendo, atque adeò totum hominem fortiter extimulando, ad quærenda bona illa Evangelii, quæ & eſſe credit, & ſe conſecuturum confidit.* Æquum eſt quod poſtulo: proferas tandem aliquando iſtiuſmodi Fiduciæ Juſtificatricis deſcriptionem,

onem, (non metaphoricis, pro more tuo, sed propriis vocabulis conceptam) atque herbam tibi me illicò porrecturum spondeo. 2°. Affirmari non potest, conditionatam illam Fiduciam, qualiscunque demum ea sit, aut quâviscunque ratione eam descripseris, ad Justificationem ac Salutem hominis per se sufficere, sine apertissima contradictione. Nam eo ipso quòd Fiducia illâ conditione suspenditur, manifestum fit, nihil ipsam valere quicquam ad Justificationem ac Salutem hominis, nisi conditione præstitâ; alioquin ipsi illi Fiduciæ falsum subesset. E. G. Confido, promisso Evangelii innixus, me Remissionem peccatorum adeóque Salutem æternam consecuturum, si modò à peccatis ex animo resipuerim, méque Christo Domino sanctæque vitæ juxta Evangelium ejus instituendæ dicaverim, neque me aliter veniam ac salutem posse consequi. Si jam hæc Fiducia per se, nondum præstitâ Resipiscentiæ conditione, Justificationis effectum contingeret, tum falsa planè esset ipsa illa Fiducia, quâ nempe persuasum habuerim, me Remissionem peccatorum sub conditione Pœnitentiæ, neque aliter, consecuturum; proindè per falsam persuasionem homo Justificationem ac Salutem adipiscereturi.

§. 7. Sed fortasse effugium hîc quæsiveris in eorum sententia, qui tenent, Fiduciam, quâ justificamur, esse Fiduciam (ut loquuntur) *specialis misericordiæ, quâ nempe quis credit, atque apud se statuit, Salvatorem nostrum Iesum Christum pro peccatis ipsius plenissimè satisfeciſſe, & per consequens non solùm aliis, sed & sibi quoque Remissionem peccatorum, Justitiam & Vitam æternam oblatam esse, idque gratis ex Dei misericordia propter unius Christi meritum.* Ità disertis verbis statuunt ex Reformatis Scriptoribus nonnulli viri, cæteroquin doctissimi; qui etiam docent, hanc Fiduciam planè aliam esse à conditionata illa, quam ego descripsi; neque tamen eandem esse cum Fiducia absoluta, quâ nempe quis credit, peccata sibi actu remissa esse. Nam iidem illi Doctores expressè definiunt, *actum Fidei Salvificæ, qui est causa instrumentalis Justificationis, non esse Fiduciam Veniæ aut Remissionis peccatorum impetratæ, sed Fiduciam Veniæ impetrandæ.* Vide *Baronium* nostrum *Philos. Theolog. Ancill. exercit.* 3. *de Fide*, &c. *Art.* 19. *n.* 2. *&* *Art.* 20. *n.* 1, 2, 3, 5. Si de mente tua ex tam confusa & perplexa disputatione judicium

Vide & Paræum lib. 1. *de Justificatione, cap.* 13.

dicium fieri poſſet, exiſtimarem, Doctores illos tuam planè & plenè ſententiam expreſſiſſe. Sed ut ex hoc quoque labyrintho facilem Lectori exitum oſtendam, accuratè obſervandum eſt, Fiduciam illam, quâ quis ſtatuit non ſolùm aliis, ſed & ſibi, Remiſſionem, Juſtitiam ac Salutem in Chriſto oblatam eſſe, niti, vel, 1. Fide promiſſi generalis in Evangelio facti; vel, 2. Perſuaſione de particulari & abſoluta ſua Electione ad Salutem, in abſcondito pectoris ac decreti Divini facta, ſibíque per immediatam quandam revelationem patefacta. Si prius velint Doctores illi, ultrò fatemur quemvis hominem, cui innotuit Evangelium, non modò poſſe, ſed & debere, credere ſibi in particulari Remiſſionem, Juſtitiam, adeóque vitam æternam, in Chriſto ſeriò oblatam eſſe, ſéque Remiſſionem, Juſtitiam, Salutem certò conſecuturum, ſi viam in Evangelio oſtenſam inſiſtit; ſiquidem promiſſio univerſalis eſt. Sed,

1. Hæc Fiducia perperàm dicitur *ſpecialis Miſericordiæ*, niſi per ſpecialem Miſericordiam, cum *Auguſtana* Confeſſione, intelligas, *Miſericordiam iſtam, quæ ſpecialis purus putus indebitúſque favor eſt, & opponitur dignitati contritionis, aut aliorum operum ſeu præcedentium, ſeu ſequentium.* 2. Hæc Fiducia alia eſſe non poteſt à conditionata illa Fiducia, quâ quis confidit ſe Remiſſionem, Juſtitiam atque æternam Salutem, per & propter Chriſtum conſecuturum, ſi à peccatis ex animo reſipuerit, atque in poſterum Chriſti præceptis obſecutus fuerit. Nam promiſſio univerſalis ſub hac lege facta eſt; neque igitur poteſt homo peccator nondum Juſtificatus vi promiſſi in animo ſuo concipere Fiduciam de Remiſſione ac Salute obtinenda, aliam à conditionata illa quam ipſe deſcripſerim. Res manifeſta eſt. Sin poſterius illud velint, nempe, Fiduciam ſpecialis Miſericordiæ, quâ quis credit ſibi in particulari Remiſſionem ac Salutem in Chriſto oblatam eſſe, niti perſuaſione de particulari & abſoluta ſua Electione ſibi immediatè per Spiritum revelata, tum in abſurditates craſſiſſimas impingant neceſſe eſt. Nam (ut cætera taceam) primò, hæc ſententia Fidem Chriſtianam in merum Enthuſiaſmum convertit, quo nihil periculoſius. Deinde, hæc ſententia rectum ordinem à ſanioribus Theologis omnibus agnitum receptúmque planè invertit. Nolo hîc de Prædeſtinatione diſpu-

diſputationem ingredi, quam æternùm ſopitam eſſe ex animo optaverim; quanquam non deſunt Theologi longè doctiſſimi, qui acriter contendant per dogma Electionis, quale à multis docetur, omnem hominis in foro divino Juſtificationem, quæ in tempore fit, everti funditùs. Sed argumentabor ex utrinque conceſſis. Fatentur Theologi omnes ſaniores tum qui decretum Electionis abſolutum & irreſpectivum eſſe docent, tum qui decretum illud in Chriſto fundari, proinde homines in Chriſto per vivam & perſeverantem Fidem inſitos reſpicere contendunt) notitiam & quaſi ſenſum Electionis noſtræ, (qui in hac mortali vita haberi poteſt) Fidem, Charitatem, Pœnitentiam, adeóque diutinam Mortificationem noſtram conſequi, neque aliter percipi poſſe quàm ex his πικμηρίοις. Contrà, juxta hanc ſententiam Fiducia & perſuaſio de Electione noſtra, quaſi primus gradus in ſcala Salutis ſtatuitur, docentúrque homines nondum Juſtificati ante omnem Obedientiam ſuam hanc Fiduciam concipere. Sententia tam inepta & abſurda, ut refutatione prorsùs indigna ſit; tam verò impia & periculoſa, ut omni odio & quovis anathemate ſit digniſſima. Neque igitur audiendi ſunt, qui hanc eſſe Eccleſiarum omnium Reformatarum ſententiam, veluti in earundem contumeliam, non dubitârunt aſſerere. Falſum hoc eſſe liquet. Nam 1°. Certum eſt, Eccleſias pleraſque omnes quæ *Auguſtanam* Confeſſionem ſequuntur, hoc eſt, *Lutheranas*, (quæ numeroſiſſimæ ſunt) dogma de abſoluta & irreſpectiva Electione non tantùm non admittere, ſed ut planè fictitium reſpuere. Itaque fieri non poteſt, ut ex harum Eccleſiarum ſententia, objectum Fiduciæ Juſtificatricis ſtatuatur ſpecialis illa Miſericordia, quæ in abſoluta Electione fundetur. 2°. *Auguſtana* ipſa Confeſſio, quæ inter Reformatas Confeſſiones omnium prima & nobiliſſima eſt, ſpecialem iſtam Prædeſtinationis Miſericordiam ſaltem ad objectum Fidei non pertinere, apertè docet in Capite de Fide. Ibi enim *Auguſtani* Fidei objectum faciunt *promiſſionem Miſericordiæ, quæ nobis propter Chriſtum liberatorem contingit*; quam & univerſalem eſſe diſertè docent. Verba eorum ſunt: *Sicut univerſalis eſt Pœnitentiæ prædicatio, ità & promiſſio Gratiæ eſt univerſalis, & omnes credere jubet & accipere beneficium Chriſti.* Imò, ut ſpecialem

alem iſtam Electionis Miſericordiam à ſe non intelligi oſtendant, expreſsè addunt: *Non eſt hîc opus diſputationibus de Prædeſtinatione; nam promiſſio eſt univerſalis.* 3°. Denique, Eccleſia noſtra *Anglicana*, *Art.* 17. expreſsè docet, conſiderationem & perceptionem æternæ Electionis (quam & in Chriſto fieri diſertè ſtatuit) competere ſolummodò *verè piis, & eis, qui ſentiunt in ſe vim Spiritûs Chriſti, facta carnis & membra, quæ adhuc ſunt ſuper terram, mortificantem, animúmque ad cæleſtia & ſuperna rapientem.* Atque in fine Articuli homines à curioſis iſtis ſpeculationibus de Prædeſtinatione revocat, & (cum Confeſſionis *Auguſtanæ* conditoribus) ad promiſſionem Evangelii univerſalem amandat his verbis: *Deinde promiſſiones divinas ſic amplecti oportet, ut nobis in ſacris literis generaliter propoſitæ ſunt; & Dei voluntas in actionibus noſtris ea ſequenda eſt, quam in verbo Dei habemus diſertè revelatam.* Atque hæc (ὡς ἐν παρόδῳ) de Fiducia ſpecialis Miſericordiæ, ut tibi effugium omne præcluderem, dicenda exiſtimavi. Jam pergo in Examine eorum, quæ in hac Animadverſione ſequuntur.

§. 8. *Fidei Juſtificantis actum proprium medium eſſe* ſtatuis *inter Fiduciam illam conditionatam, quâ homini perſuaſum eſt ſe ſalvum fore ſi Dei conditioni ſe ſubmiſerit*, &c. *& Fidei fructum, ſcil. Obedientiam.* Si hîc per *Obedientiam* intelligis tractum ſeriémque Obedientiæ conſpicuæ, fatemur, illud per quod primam Juſtificationem adipiſcimur, (quocunque nomine id ipſum appellaveris) medium quiddam eſſe inter conditionatam Fiduciam & ejuſmodi Obedientiam. Sed palàm eſt, te per Obedientiam voluiſſe ipſam Obedientiæ promptitudinem, ſive ſincerum obediendi propoſitum. Ità enim mox loqueris: *Hæc Fiducia parit obedientiæ promptitudinem*, &c. *interim radix, etſi fructuum ferax ſi opportunitas exigat & ferat, diſtinguenda eſt ab ipſo germine. Vi promiſſi qui crediderit in ipſo, qui ædificaverit ſuper lapide illo pretioſo, electo, ſalvus erit*, &c. *Juſtus ex Fide vivet, etſi proximo momento moriatur, ut latro fidelis. Fides igitur Juſtificæ eſt Fiducia.* Itaque ſtatuis, Fiduciam eſſe quandam Juſtificatricem, quæ conditionatâ illâ Fiduciâ ſit poſterior, & omnem tamen Obedientiam, quin & Obedientiæ promptitudinem antecedat. Sed hoc, quod ſtatuis, eſt tum valdè abſurdum, tum periculoſiſſimum. Argumenta

menta autem & exempla, ſive ſimilia, quibus miram hanc aſſertionem probare atque explicare niteris, futilia ſunt & frivola; imò, ſi accuratiùs expendantur, contra teipſum apertè militant.

§. 9. Ità argumentaris: τὰ ἐναντία παρὰλληλα μᾶλλον γνώριμα, *ut verè dixit Philoſophus. Caro corrupta eſt non modò incredulitatis rea,* &c. *ſed etiam infidelitate, ſive diffidentiâ, laborat,* &c. *perpendenti rem liquebit, vitium diffidentiæ eſſe incredulitati malum ſuperadditum. Ex parte jam altera conſtat,* &c. Reſpondeo, 1. Demus diffidentiam eſſe incredulitati malum ſuperadditum, quid indè ex regula oppoſitorum ſequetur? nempe, hoc ſolum legitimè, Fiduciam eſſe credulitati, ſive aſſenſui, virtutem ſuperadditam. Sed quid tum? An indè efficitur, (quòd tibi probandum incumbebat) eſſe aliquam Fiduciam Juſtificatricem, quæ media ſit inter Fiduciam conditionatam & obedientiam, ſive obedientiæ promptitudinem? Nugæ. 2. Sed & falſum eſt, diffidentiam (ſi ipſam à cordis ἀπειθείᾳ, ut par eſt, diſtinxeris) eſſe malum incredulitati ſuperadditum. Diffidentia & incredulitas idem ſunt, ſi modò ad idem objectum, ſcil. promiſſum divinum, referantur. Non credit, ſive aſſenſum non præbet, aliquis promiſſioni divinæ de beneficio aliquo apiſcendo? Hoc ipſo quòd promiſſioni divinæ non credit, ipſi diffidit; neque hîc inter incredulitatem & diffidentiam diſcrimen aliquod, niſi fruſtrà, quæſiveris. Satìs hoc patet è notiſſimis, quæ in tranſcurſu commemoras, *Iſraëlitarum* ſcil. in Eremo rebellium, & Magnatis *Samaritani* exemplis. Non crediderunt, ſive aſſenſum non præbuerunt iſti, hoc eſt, non confiſi ſunt promiſſis divinis ſibi factis; ut eadem planè fuerit incredulitas & diffidentia ipſorum. Ex hac verò mentis incredulitate ſecuta eſt in ipſis cordis ἀπείθεια, ſive inobedientia, verbis factíſque conſentaneis ſe prodens. Ità prorsùs ex altera parte, Credulitas, ſive Aſſenſus, & Fiducia idem ſunt, ſi idem objectum, nempe promiſſum divinum, reſpiciatur. Credo, ſive aſſenſum præbeo, promiſſioni divinæ de Salute æterna, mihi per & propter Chriſtum ſub certis quibuſdam conditionibus donanda; hoc eſt, confido Deo mihi ſub iſtis conditionibus Salutem promittenti. Quis hîc non videt, Fidem, ſive Aſſenſum meum, & Fiduciam res eſſe planè eaſdem, nullâ ratione

tione diſtinguendas? Ex hoc autem mentis Aſſenſu ſive Fiducia (ſi per Dei Gratiam efficax fiat) ſequitur cordis (ut ità dicam) εὐπειθεια, ſive prona obedientia, & firmum animi decretum quo quis ſtatuit, ſe Dei conditioni (ut ipſe loqueris) ſubmiſſurum, ut promiſſi beneficii fiat particeps. Hæc cordis εὐπειθεια eſt (ſi propriè loquimur) Fiduciæ effectus, non ipſa Fiducia; quemadmodum contrà cordis ἀπειθεια eſt effectus diffidentiæ, non ipſa propriè dicta diffidentia. Hinc verò liquet, inter diffidentiam quâ quis non credit, ſive non confidit, promiſſo Dei in Evangelio de Salute ipſi ſub certis conditionibus per ac propter Chriſtum donanda, & illam cordis ἀπειθειαν, quâ quis ſtatuit ſe conditionibus Evangelii non ſubmiſſurum, ſed in peccatis ſuis perrecturum, nullam eſſe mediam diffidentiam: Atque ex altera parte, inter Fiduciam conditionatam, quâ quis eidem promiſſo divino credit, ſive confidit, & cordis εὐπειθειαν quâ quis ſeriò animum applicat ad conditionem promiſſi præſtandam, mediam Fiduciam eſſe nullam.

§. 10. Similia, de ægri in medico, & viatoris in ὁδηγῷ ſuo Fiducia, quibus ſententiam tuam probare atque explicare voluiſti, à propoſito tuo planè aliena ſunt; quin & noſtræ ſententiæ elucidandæ aptiſſimè inſerviunt. Viator homini fido & viæ gnaro, ſeipſi in ὁδηγὸν offerenti, credit, hoc eſt, confidit; proinde ſi metam itineris ſeriò velit attingere, ducem in via ſibi ignota ſecurè ſequitur. Hîc manifeſtum eſt, 1. Credere, & confidere ὁδηγῷ, planè idem eſſe. 2. Nullam eſſe mediam Fiduciam inter Fiduciam illam, quâ viator credit & confidit ſe ad metam itineris perventurum ſi viam ab ὁδηγῷ monſtratam acceperit, atque illud animi decretum, quo ſtatuit ſe ejuſdem veſtigia perſecuturum. Quomodo hæc ad propoſitum accommodanda ſint, nemo eſt qui non videat. Itidem æger medico, quem artis ſuæ peritum & probum eſſe novit, ſanitatem ipſi pollicenti credit, hoc eſt, confidit; atque hinc (ſi nihil contrarium ſuadeat) medici præſcriptis paret. Hîc rursùs Creditio (ut loqueris) & Fiducia idem ſunt; tantum à vero abeſt quod dicis, Fiduciam ſequi Creditionem contingenter. Satis quoque hîc liquet, inter Fiduciam illam conditionatam, quâ æger credit & confidit ſe ſanitatem ſuam recuperaturum ſi præſcriptis à medico

dico remediis utatur, & illud animi decretum, quo ſtatuit ſe medici præſcriptis obſecuturum, mediam fiduciam eſſe nullam.

Falliſſimum verò eſt quod abſolutè affirmas, ægrotum, qui medico confidit, præſcriptis ipſius parere. Non ſemper paret, qui confidit. Fieri enim poteſt, ut medicus abſtinentiam in cibo & potu neceſſariam judicet, adeóque præſcribat, quam ægrotus, contrariæ conſuetudini inveteratæ mancipatus, ferre non poſſit, vel certè non velit. Vel, fieri poteſt, ut ægri ſtomachus malè affectus præſcriptum remedium (quod alioquin validum fore non dubitat) nauſeet. Denique fieri poteſt, ut tam deſperatum ſit remedium, tantóque cum cruciatu conjunctum, (e. g. ſi membrum amputandum ſit, nè pars ſincera trahatur) ut æger delicatus, licèt medici conſilio nequaquam diffidat, mortem tamen mallet quàm remedium. Neſcio, an in rebus humanis exemplum aliud dari poſſit, quod propoſito noſtro ſit magis accommodum. Lethali peccati morbo laboramus omnes. En medicum cœlitùs miſſum, Ieſum Chriſtum Servatorem noſtrum. *Is* nobis Salutem eámque æternam gratis pollicetur, ſi modò ipſius ſaluberrimo conſilio obtemperare, ac præſcriptis in Evangelio remediis uti, non abnuerimus. Qui Chriſto pollicenti credit, ſive aſſenſum præbet, is eo ipſo Chriſto confidit; ut diſcrimen hîc inter Aſſenſum ac Fiduciam, vel mediam aliquam Fiduciam inter hanc ipſam, & firmum illud propoſitum quo quis apud animum ſuum ſtatuit, ſe viam Salutis obtinendæ à Chriſto monſtratam ingreſſurum, ínque ea ad finem vitæ progreſſurum, fruſtrà quæſiveris. Fieri autem poteſt, & ſæpiſſimè (proh dolor) fit, ut qui Chriſto Salutem pollicenti credit & confidit, nondum tamen animum ſuum eò induxerit, ut viam Salutis obtinendæ à Chriſto oſtenſam inſiſtere velit. Hoc nimis verum eſſe clamat triſtis experientia, & clarè teſtatur Sacra Scriptura, quæ expreſsè narrat fuiſſe multos, qui Chriſto ejúſque Evangelio credidere, proinde promiſſis ejus, promulgati ab ipſo Evangelii parti non minimæ, confiſi fuerunt; quos tamen metus periculi aut infamiæ inter homines à Chriſti confeſſione, proinde à ſalute, abſtinuit, *Joh.* 2. 23, 24. & 12. 42. *Paulus* quoque Apoſtolus apertiſſimè docet, fieri poſſe ut quis habeat πᾶσαν πίστιν, i. e. *omnem fidem*, (quæ proculdubiò firmiſſimum toti Evangelio Aſſen-

sum, adeóque certissimam in promissis Evangelicis Fiduciam, complectitur) & à Charitate tamen, proinde à Salute, planè alienus sit, 1 *Cor.* 13. 2. confer *Mat.* 7. 21, 22, 23. Ut tuo ipsius exemplo, ægri in medico Fiduciam ponentis, adhuc insistam, sæpe fit, ut qui medico animarum Christo confidit, præscriptam spiritualis medicinæ rationem ut carni ingratissimam averserur. Postulat Christus, si salvi esse velimus, ut ab inolita peccati consuetudine desistamus, quod ægrè à nobis impetramus. Vitiatum est animi palatum, neque sapit Spiritualia magìs quàm ægrotus pilulam amarissimam. Denique, (quod est omnium difficillimum) dextræ hîc manus amputandæ, oculi eruendi, nè totus homo æternùm pereat, *Mat.* 5. 29, 30.

§. 11. Exemplum fidelis Latronis quomodo ad propositum tuum pertineat, non video. Censésne Latronem istum Justificationem ac Salutem adeptum fuisse per meram Fiduciam sine omni Obedientia, sive externa sive interna, imò sine omni Obedientiæ promptitudine? Erras graviter. Audi *Davenantium* nostrum, qui, (*de Justit. Act. cap.* 30.) postquam necessitatem bonorum Operum ad Justificationem fusè probâsset, argumentis suis hoc ipsum fidelis Latronis exemplum subjungit his verbis: *Ad extremum, argumenta hæc nostra exemplo notissimo illustremus & muniamus. Si quis unquam justificatus caruisset prorsùs omnibus Operibus boni, hoc potissimùm evenisset in illo latrone, qui in ultimo vitæ suæ actu conversus est. At si Evangelistam* Lucam *consulamus, inveniemus illum multis & magnis Operibus boni floruisse. Ad externa opera quod attinet, peccatum suum humiliter confitetur, socium suum ad Dei timorem & pœnitentiam provocat, Christum in Cruce pendentem, desertum à suis, derisum ab hostibus, regni cœlestis donatorem agnoscit. Hæc erant externa Opera, quæ ab illo tum fieri potuerunt, optima & pulcherrima. Si verò ad interna Opera respiciamus, proculdubiò de anteactæ vitæ flagitiis verè & ex animo doluit & pœnituit, socio etiam suo (quod specimen fuit Charitatis) resipiscentiam & salutem optavit, in Christum Redemptorem firmiter credidit, timorem denique ac amorem erga Deum testatus est.*

§. 12. Dicis, *liquidò constare hanc distinctionem; verbum veritatis credimus, rem promissam speramus, & in promissore fideli ac potenti confidimus.* Quid tum? An indè sequitur, esse aliquam

aliquam Fiduciam quæ neque abſoluta ſit, neque conditionata illa quam ipſe deſcripſerim? Hanc concluſionem ex diſtinctione illa nè per decimam quidem conſequentiam deduxeris. Sed & in hac liquida diſtinctione quædam ſunt, quæ obelum & veru merentur. Primò, malè poſtremo in loco collocatur Fiducia in promiſſore fideli ac potente, quæ primo in loco poni debuit. Nam omnis Aſſenſus noſter, ſive Fiducia quam promiſſo alicui habemus, eſt Fiduciâ illâ, quâ in promiſſore fideli ac potente confidimus, poſterior, eíque innititur. Ideo ſcil. promiſſis Dei confido, hoc eſt, perſuaſum habeo, Deum promiſſorum ſuorum Fidem liberaturum, ſive promiſſa ſua præſtiturum; quia in ipſo Deo fideli ac potenti confido, ſive de Fidelitate ac Potentia Dei mihi perſuaſiſſimum eſt. Hoc manifeſtum eſt ab exemplis à te adductis. Ideo ægrotus medici promiſſo de ſanitate ipſi reddenda, ſi præſcriptis utatur remediis, confidit, quia in ipſo medico, ut probo atque artis ſuæ perito, Fiduciam ponit, *&c.* In re perſpicua pluribus non eſt opus. Itaque cùm Fiduciam in Deo, ſive Chriſto, promiſſore fideli ac potente, tanquam Fidei Juſtificantis τελειότητα, ultimo in loco collocas, mirum in modum ineptis. Nam hanc Fiduciam in Deo, ſive Chriſto, promiſſore fideli ac potenti, habet, quicunque verbo Dei, ſive Chriſti, Aſſenſum præbet, cùm hic Aſſenſus ſine Fiducia iſta conſiſtere non poſſit. At hunc Aſſenſum habere poſſe hominem improbum, atque à ſtatu Juſtificationis adhuc alienum, & ipſe fateris, & ſuprà liquidò probavimus. Deinde, peſſimè & periculoſiſſimè ſpem rei promiſſæ refers ad Fiduciam Juſtificatricem, ſive ad Fiduciam illam, quæ Juſtificationem hominis antecedit. Spes enim nihil aliud eſt quàm expectatio futuri boni, & Spes Theologica, expectatio futuri boni, hoc eſt, Salutis æternæ à Deo aut Chriſto obtinendæ. Hæc expectatio nititur perſuaſione animi, quâ quis perſuaſum habet ſe vel æternam Salutem conſecuturum, vel certè conſequi poſſe. Te per Spem hîc non intellexiſſe ejuſmodi Salutis expectationem, quæ eâ animi perſuaſione nititur, quâ quis tantummodò credit ſe æternam Salutem conſequi poſſe, hinc manifeſtum eſt, quòd hæc perſuaſio idem planè ſit quod Fiducia illa conditionata, quam tanquam ad Juſtificationem hominis non ſufficientem ipſe rejicis. Ita-

que neceſſe eſt, ut per ſpem hîc volueris ejuſmodi Salutis æternæ expectationem, quæ indè oritur quòd quis perſuaſum habet ſe æternam Salutem conſecuturum; quæ quidem expectatio (ut in *Diſſertationibus* meis obſervavi) Spes magis propriè dicitur in Sacris Literis. Atqui hæc Spes, ſive expectatio, præſtationem noſtram conditionis ad Juſtificationem requiſitæ, adeóque ipſam Juſtificationem noſtram, conſequitur. Quo enim jure expectet aliquis æternam Salutem, qui ea omnia, quæ ad Juſtificationem (ſine qua nulla Salus eſſe poteſt) requiruntur, nondum præſtiterit? Vides jam (utì ſpero) errores atque hallucinationes tuas in diſtinctione hac, quam liquidam appellas. Nihilominùs ut res adhuc clariùs eluceſcat, veram ac liquidiſſimam diſtinctionem variorum actuum Fidei, Fiduciæ, ac Spei Chriſtianæ hîc ponam. Ordo talis eſt. Primùm credimus, Ieſum noſtrum eſſe Chriſtum Deíque Filium veraciſſimum ac potentiſſimum, *Joh.* 9. 35. & 20. 21. *Act.* 8. 37. 1 *Joh.* 4. 15. & 5. 5. Hinc toti ejus Evangelio credimus, ac promiſſis ejus imprimis confidimus. Tum (ſi Fides & Fiducia iſta in nobis fiat per Dei Gratiam efficax) animum ſerìò applicamus ad conditionem earundem promiſſionum præſtandam, agendo ſcil. Pœnitentiam de peccatis noſtris, concipiendo firmum Obedientiæ propoſitum, Chriſtóque ut Regi noſtro noſmet ipſos devovendo. Denique, præſtando conditionem rem promiſſam ſperamus, quæ Spes perfectior, aut imperfectior, fit pro ratione ac modo Obedientiæ noſtræ, ſive prout nobis magis minúſve liquidò conſtiterit, nos conditionem præſtitiſſe. Hîc clara ſunt omnia. Vin' autem me hæc exemplo quoque à te adducto illuſtrare & confirmare? Ægro perſuaſum eſt, medicum ſuum probum eſſe atque artis peritum. Hinc pollicitationi ejus de Salute ipſi reddenda, ſi paruerit præſcriptis, confidit. Tum (ſi, ut prudentem decet, propriæ ſaluti conſulit) ſe medici conſiliis regendum tradit, ſtatuens, omnia remedia etiam ingratiſſima tentaturum ſeſe ut morbo liberetur. Denique, præſcriptis parendo, de ſanitate recuperanda bene ſperat. Stultus autem atque inſanus eſſet (proinde non niſi ad *Anticyras* relegandus) æger, qui à medico ſanitatem ſperaret, ipſius conſiliis obtemperare, ac præſcriptis remediis uti, nolens. Nimirum hoc tibi πρῶτον ψεῦδος, hic fons errorum fuit, quòd Spem boni

boni promissi, quæ Christiani hominis officium consequitur, à Fiducia promissionis, quæ Justificationem quidem antecedit sed ad ipsam sola non sufficit, haud satis accuratè distinxeris.

§ 13. Fiduciæ passim in Scripturis occurrentia præcepta, præceptis annexa maxima promissa, denique ejusdem splendida exempla quæ adducis, nihil quicquam vel tuam causam juvant, vel nostræ officiunt. Nam loca, in quibus præcepta, promissa, exempla ista occurrunt, præterquam quòd bona ad hanc vitam spectantia ferè respiciant, loquuntur etiam apertissimè de Fiducia hominis justi, ídque in via Justitiæ Divinâ Bonitate ac Potentiâ nitentis. Hominis autem justi privilegium esse ut possit, officium ut debeat, in rebus afflictissimis Deo optimo maximo securè confidere, ipsíque τὴν ψυχὴν αὐτῶν ἐν ἀγαθοποιΐᾳ ἀπιστεῖν, 1 *Pet.* 4. 19. (cui conferendus est locus *Psal.* 37. 3. qui citationum tuarum agmen ducit.) Huic quoque hominis justi Fiduciæ maxima promissa in Scripturis annexa esse; denique, ejusdem Fiduciæ splendida exempla in Scripturis occurrere, quis dubitat? Sed hæc ἀλογισία, sæpiùs in Censura tua se prodens, cogit me repetere meum illud, Quid tum? Nullam enim hîc video consequentiam, quæ absurdæ tuæ hypothesi quicquam faveat. Iterùm memineris, bone vir, horum alterutrum tibi probandum incumbere; vel, 1°. Hominem peccatorem ac nondum justificatum jure posse in animo suo concipere Fiduciam de æterna Salute per Christum obtinenda, aliam à conditionata illa Fiducia quam ipse toties descripserim. Vel, 2°. Conditionatam illam Fiduciam per se ad Justificationem peccatoris sufficere. Posterius illud ipse negas; prius nunquam probaveris. Certè præcepta, promissa, exempla illa Scripturæ, prout à te allegantur, οὐδὲν πρὸς Διόνυσον.

§. 14. Ad *Achillem* tuum argumentum jam venio. *Unicum*, inquis, *adjiciam argumentum, cujus robur expendas velim. Petam à lege oppositorum. Quando homini interdicitur, aut vitio vertitur*, &c. Sed hoc quoque argumentum, de cujus robore tantopere gloriaris, quisquis expenderit, planè siculneum esse verè pronuntiaverit. Nam 1°. Magno conatu nihil agis, cùm multis Scripturæ locis probare niteris, quoties homini interdicitur aliis rebus præterquam Deo fidere, id quod vitio vertitur Fiduciam esse. Quis enim, cui sinciput satis

ſatìs ſanum, negaverit *fidere* ſignificare Fiduciam? 2°. Quod ais, haud rectè dici aliquem auro, &c. credere, ſatìs ineptum eſt. Nam credere aliquando idem ſignificat quod confidere. Sic *Virgil. Nimiùm nè crede colori.* Et *Ovid. Moribus & vitæ credidit ille meæ.* Et exempla hujuſmodi apud bonos Authores paſsìm concurrunt. 3°. Cùm dicis, *pari ratione Fides in Deum eſt propriè Fiducia*, paritatem rationis malè inſtituis; quæ ità potiùs inſtituenda erat, Quando homini interdicitur in ſeſe, *&c.* fidere, id quod vitio vertitur eſt Fiducia; pari ratione, cùm præcipitur homini in Deo ſive Chriſto fidere, id quod ſub præcepto eſt itidem eſt Fiducia. Non omnis Fides in Deum ſive Chriſtum eſt Fiducia; ſed ea tantùm Fides, quæ Deum ſive Chriſtum reſpicit ut promiſſorem. Quid verò hinc elicias, quod vel ſpeciem habeat argumenti ad hypotheſin tuam probandam, nè divinatione quidem aſſequi poſſum.

§. 15. Niſi verò volueris, phraſi illâ *credere in Deum* ſive *Chriſtum*, peculiarem aliquam Fiduciam in Scripturis denotari, quæ non competat niſi ad Juſtificationem ac Salutem credentibus. Ità quidem ſtatuis ſub initium prolixioris tuæ *Animadverſionis* ſuprà recitatæ; ubi diſertis verbis affirmas, *Fidei Salvificæ notionem propriam, & actum illum peculiarem, Scripturam exprimere per* τὸ πιστεύειν εἰς, *vel* ὅτι, τὸν Θεὸν, *ſive* Χριστὸν, *&* ὅτι, *ſive* εἰς, ὄνομα, *&* ἐν ὀνόματι Κυρίου. Sed hic Criticiſmus tuus inanis eſt & falſus; cùm certum ſit πιστεύειν εἰς Χριστὸν de iis in Scripturis dici, qui ad Juſtificationem ac Salutem nondum crediderant. Vide loca diſertiſſima, *Joh.* 2. 23, 24. *&* 12. 42, 43. Phraſis πιστεύειν εἰς τινὰ apud Græcos Scriptores prophanos nuſquam (quod ſciam) occurrit; ſed eſt idiotiſmus linguæ *Hebrææ*, quem imitati ſunt Sacri Scriptores Novi Teſtamenti. Obſervandum autem eſt apud *Hebræos* duplicem eſſe phraſin, *credere alicui*, & *credere in aliquem*; in quibus verborum potiùs diſcrimen eſt, quàm rerum. Sic *Gen.* 45. 26. לא־האמין להם, *Non credidit eis. Exod.* 4. 8. אם לא יאמינו לך והאמינו לקול האת האחרון, *Si non crediderint tibi, at credent voci ſigni poſterioris. Deut.* 9. 23. ולא האמנתם לו, *Et non credidiſtis ipſi. Exod.* 14. 31. ויאמינו ביהוה ובמשה עבדו, *Et crediderunt in Dominum & Moſen ejus ſervum.* Et Cap. 19. 9. וגם־בך יאמינו, *Etiam in te credent.* His exemplis conſtat, Hebraicè phraſes *credere alicui*, & *credere*

in

in aliquem, promiſcuè uſurpari tam de Deo, quàm de creaturis. Imò tantum abeſt ut phraſis, *credere in Deum*, Fiduciam Juſtificatricem per ſe ſignificet, ut aliquando Fiduciam nè omninò quidem ſignificet. Sic de *Ninevitis*, *Jonæ* credentibus urbis excidium Dei nomine ipſis denuntianti, dicitur ויאמינו אנשי נינוה באלהים, *Et crediderunt viri Ninive in Deum*, Jon. 3. 5. Ubi manifeſtum eſt per τὸ *credere in Deum* Fiduciam non ſignificari. Nam Fiducia promiſſum aliquod ſemper reſpicit; cùm hoc in loco aſſenſus exprimatur, quem comminationi divinæ, de urbis interitu per *Jonam* promulgatæ, *Ninivitæ* præbuerunt. Haud me fugit, *Auguſtinum* alicubi ſubtiliter (pro more ſuo) diſtinxiſſe hæc tria, *credere Deo*, *credere Deum*, & *credere in Deum*. Sed huic diſtinctioni Pater optimus ſenſum Catholicum & ſanum adhibet, quem ſi tu admitteres, nulla mihi tecum de cætero lis aut controverſia intercederet. Nam *Auguſtino* credere in Deum, nihil aliud eſt quàm *amare Deum*. Ait enim *Tractat.* 29. in *Johan.* *Non continuò qui credit Deo, credit in Deum: Nam & Dæmones credebant ei, & non credebant in eum. Et de Apoſtolis ipſis poſſumus dicere, credimus* Paulo, *ſed non credimus in* Paulum. Et ſubjungit: *Quid eſt ergò credere in Deum? credendo amare, credendo diligere, credendo in eum ire, & ejus membris incorporari.* Denique Fidem, quâ in Deum creditur, exponens dicit, *Eam non qualemcunque eſſe, ſed quæ per dilectionem operatur.* Similia ſunt apud *Auguſtinum* in *Expoſit. Pſal.* 77. & *Serm.* 6. *de verbis Domini*, & *Pſal.* 130. *Hoc eſt credere in Chriſtum, diligere Chriſtum.*

§. 16. Ità tandem *Animadverſionem* tuam ſatìs prolixam Reſponſione quoque prolixâ refutavi. Ex quibus omnibus cordati facilè judicare poſſunt, quàm falsò concluſeris, *Fidem in hoc ſenſu ſumptam*, (nempe, pro ſimplici Fiducia) *Chriſtum & Apoſtolos eſſe Juſtificationis conditionem*, (unicam ſcil.) *apertiſſimè docere.* Ex his quoque abundè liquet, quàm vanus ſis, cùm, veluti ovans ac triumphum agens, diſputationem tuam his verbis claudis: *Ecce jam quàm non inextricabilis ſit difficultas Recumbentiæ, ſive Fiduciæ in Deo*, (quæ ſcil. per ſe atque ante omnem Obedientiam noſtram juſtificet) *notionem concipere atque explicare!* Dixerim egomet verùs: Ecce jam, quàm planè irritus ſit eorum conatus, qui Fiduciam aliquam

propriè sic dictam nobis explicatam dare voluerunt, quæ necessario nexu salutarem Justificationis effectum secum trahat.

§. 17. *Coronidis* loco Conclusiones aliquot Lectori proponam, quæ (meo quidem judicio) veram Doctrinam de Fide & Fiducia Christiana dilucidè ac succinctè complectantur.

Conclusio prima, *Fides & Fiducia Christiana, propriè loquendo, differunt tantùm ut generale & particulare: ut Fides sit assensus toti Evangelio, quaquaversùm patet; Fiducia verò appelletur assensus ille, quatenus promissa in Evangelio facta respicit.* Conclusionem hanc suprà probavi, (Sect. 9, 10.) quæ & per se satis manifesta est. Fiducia non ad omnia refertur, quæ in Evangelio traduntur, (neque enim vel minis, vel narrationibus rerum præteritarum, &c. propriè dicimur confidere) sed ad bona tantùm illa, quæ à Deo in Evangelio promittuntur. At Fides Evangelii etiam in minis & aliis quibuscunque assertionibus, sive de rebus futuris, sive de præsentibus aut præteritis, atque ad nos etiam nihil pertinentibus; non minùs quàm in promissis, versatur.

§. 18. Conclusio secunda: *Cùm Fiducia Christiana promissiones Dei in Evangelio respiciat, promissiones verò illæ bona maxima & summè desiderabilia ab homine sub certis quibusdam conditionibus obtinenda proponant; fieríque adeò non possit, ut quis promissis Evangelicis assensum præbeat, hoc est, confidat, nisi quâ desiderium indè aliquale rerum promissarum in animo suo concipiat: Hinc Fiducia Christiana aliquando (voce Fiduciæ latiùs sumptâ) definitur: Assensus Evangelicis promissionibus cum bonorum promissorum desiderio conjunctus.*

Hæc Fiduciæ definitio in Scriptis Theologorum, qui res Theologicas accuratiùs tractare solent, passim occurrit. Inter alios consule *Robertum Baronium, Philos. Theol. ancill. exercit. 3. de Fide*, &c. *artic. 19. n. 3.* ubi vir doctus, de quæstione, *An Fiducia sit actus intellectûs*, &c. agens, ità loquitur: *Uterque actus* (nempe tam assensus intellectûs, quàm desiderium voluntatis) *ad Fiduciam requiritur. Nemo enim dici potest confidere, seu Fiduciam habere, de bono obtinendo, nisi & firmam habeat persuasionem in intellectu, & desiderium vel amorem istius boni in voluntate.* Quod egregiè explicat Tilenus

Syntag.

Syntag. par. 2. diſp. 38. Theſ. 18. dicens, *Objectum Fidei eſſe Veritatem Divinam, non ſolùm quà aliquid narrat, ſed cumprimis quà aliquid promittit. Ubi non ſatis eſt aſſentiri narrationi ut veræ; ſed neceſſe eſt rem oblatam amplecti, quod utique ad voluntatem pertinet.* Nihilominùs idem vir doctus Fiduciam in intellectu formaliter ſitam eſſe ſtatuit. Nam continuò ſubjicit: *Prior actus eſt ipſa eſſentia ſeu formalis ratio Fiduciæ; poſterior verò eſt tantùm actus ei annexus & concomitans: & proinde Fiducia eſt formaliter in intellectu, licèt annexum habeat deſiderium voluntatis. Probatur hæc aſſertio, primò, quia oppoſitum Fiduciæ, videlicèt diffidentia, eſt in intellectu: Ergò ipſa Fiducia eſt in intellectu. Ratio antecedentis eſt, quia diffidentia, quà aliquis dicitur diffidere ſibi, aut ſuis rebus, non ſignificat odium aut averſationem voluntatis; ſed aut dubitationem de viribus ſuis, aut perſuaſionem de imbecillitate ſua, quæ proculdubiò ad intellectum pertinent. Secundò, quia ſi Fiducia eſſet formaliter actus voluntatis, nihil aliud eſſet quàm deſiderium, aut amor objecti. Sed hoc eſt quotidianæ experientiæ contrarium; multi enim ardenter expetunt & deſiderant objectum aliquod, qui non habent Fiduciam de eo obtinendo.* Hæc nobis largitur vir doctus, qui alioquin tuæ hypotheſi nimis favet. Verùm his utrinque conceſſis, ad alia atque ulteriora progrediamur.

§. 19. Concluſio tertia: *Uterque actus Fiduciæ latiùs ſumptæ, nempe, tum aſſenſus promiſſionibus Evangelicis, tum deſiderium bonorum promiſſorum, poteſt in hominem cadere, ſive competere, qui ad ſtatum Gratiæ ac Salutis nondum pervenit.*

Probatur hæc Concluſio ex prioribus. Quicunque aſſenſum ſuum præbet toti Evangelio (quod fieri poſſe ab homine adhuc carnali & irregenito, ſuprà demonſtravi, & ipſe quoque fateris) aſſentitur eo ipſo, ſive confidit promiſſionibus in Evangelio contentis. Ex Aſſenſu autem ſive Fiducia illa, neceſſariò fluit deſiderium aliquale rerum promiſſarum; id quod in explicatione Concluſionis ſecundæ demonſtravi. Sed quid opus eſt ratiunculis noſtris? Ipſa Veritas docet, multos eſſe qui quærunt portam Salutis intrare, neque tamen poterunt, *Luc.* 13. 24. Ubi τὸ ζητεῖν, ſive *quærere*, ſaltem hæc duo complectitur; 1. Fiduciam, ſive perſuaſionem, de Salute æterna per Chriſtum impetrata, & in Chriſto nobis ſeriò oblata: 2. Deſiderium Fælicitatis obtinendæ. Quin & conà-

tum aliqualem vox denotat. Hi tamen ζητοῦντες deſideratâ fœlicitate tandem excident, quia non ἀγωνίζονται, quævox magnam & conſtantem animi contentionem deſignat. Quærunt Regnum Dei, ſed non πρῶτον, *Mat.* 6. 33. Immortalitatis cupiditate tenentur, ſed ea non eſt ipſis tanti, ut propterea carere velint hujus ævi commodis.

§. 20. Concluſio quarta: *Itaque illa tantùm Fiducia in promiſſis Evangelicis, ſive in Chriſto promiſſore, hominem, juxta Fœdus Evangelicum, in ſtatu Gratiæ ac Salutis ponit; quæ annexum & conjunctum ſibi habeat maximorum bonorum à Chriſto in Evangelio promiſſorum deſiderium, non qualecunque, ſed vehemens & ardens, quódque omnia alia ipſius deſideria vincat ſuperétque, atque in animo bene meditatum, rebus omnibus expenſis, propoſitum gignat quidvis agendi patiendive ut bona promiſſa tandem aſſequatur.*

Veritas hujus Concluſionis ex prioribus liquidò conſtat; & confirmatur ampliùs ex locis Scripturæ illuſtriſſimis atque omni conſideratione dignis, *Mat.* 10. 37, 38. *Luc.* 14. à v. 25. ad v. 33. incluſivè. Hæc verò Fiducia, quæ nempè annexum ſibi habeat vehemens atque ardens illud deſiderium, eſt dubio procul πίστις δι' ἀγάπης ἐνεργουμένη, cui Juſtificationem *Paulus Gal.* 5. 6. tribuit, & nemo Chriſtianus detraxerit. Habes veram ſententiam de Fiducia Chriſtiana liquidiſſimè explicatam.

ANIMADVERSIO XIV.

ad Diſſert. 1. cap. 5. pag. 35.

IN Hujus Capitis initio argumentum ordine quartum occurrit, quo hypotheſin *Jacobi* de neceſſitate bonorum Operum ad Juſtificationem ſtabilire conatus ſum. Caput ſic incipit. *Argumentum quartum eſto ſumptum ab illo Dei proceſſu, quo in hominibus judicandis uſurus eſt in die ultimi Judicii. Quomodo quiſque in futuro ſæculo à Deo judicabitur, eodem planè modo in hac vita à Deo juſtificatur; atqui ex Operibus (non Fide ſolâ) quiſque in futuro ſæculo à Deo judicabitur:*

tur: Ergò ex Operibus (non Fide ſolâ) quiſque in hac vita à Deo juſtificatur. Aut ego egregiè fallor, aut hoc argumentum inſolubile eſt. Huic argumento meo tripliciter occurris. 1. *Miror*, inquis, *hoc inſolubile tibi videri argumentum, quod tibicen malæ cauſæ eſt invalidus. Certo certius eſt, Chriſtianos in hoc ſæculo Fide à Deo Juſtificari, & in Juſtitiæ ſtatu ſecundùm Dei inſtitutum conſtitui, quia Chriſti Satisfactionis participes fiunt*, 1 Cor. 1. 30, &c. *& Fidem ſolam ſine Operibus* Abrahæ *ejúſque filiis ad Juſtitiam imputari*, Rom. 3. & 4, &c. *At non tam liquidò conſtat è Chriſti Parabolicis Sermonibus de Judicio extremo, quis futurus ſit Chriſti proceſſus in examine & ſententia ferenda. Sed dabimus Chriſtum nobis ſecundùm cujuſque Opera redditurum; hinc minimè ſequitur, Deum fidelem in conſpectu ſuo à reatu peccati abſolvere ob ſua Opera. Deus ſibi non contradicit.* 2. Poſthæc ità cavillaris de verbis meis *eodem planè modo. Si eodem planè modo*, (inquis) *tum in Minore itémque in Concluſione verba parentheſi incluſa debuerant eſſe, (abſ-Fide) & non ut hîc per fallaciam ſubſtituuntur, (non Fide ſolâ) unde ſequeretur, quòd hîc ex Operibus ſolis abſque Fide juſtificamur; quod falſiſſimum eſſe Author ipſe non negabit. Inane itaque & non inſolubile eſt hoc argumentum.*

3. Denique, paginam claudis his verbis: *Juſtificatio eſt varia, pro quæſtionis varietate. Si in jus vocetur homo de ſua innocentia, ſons an inſons fuerit, totus mundus eſt peccati reus, & ex Operibus nemo juſtificatur. Qui negat, Deum mendacem facit. Si homo de conditionibus Evangelii præſtandis in quæſtionem veniat, ex Operibus probandus eſt. Annon perſpicis majoris Propoſitionis jam nutantem ſtatum ratione verborum ambiguitatis?*

RESPONSIO ad Animadverſionem XIV.

§. 1. Argumentum hoc quartum inſolubile eſſe, non obſtat hæc tua *Animadverſio* quin etiamnùm fidenter pronuntiem. Major Propoſitio (ſi per verba *quomodo* & *eodem modo* intelligas, hominem in hac vita Juſtificari, & in futuro ſæculo Judicari ſive juſtum pronuntiari, ex iiſdem conditionibus, quod ſolum me voluiſſe prudens & candidus Lector facilè per ſe agnoſcet) manifeſtæ eſt veritatis. Minor verò (ſi de adul-

tis accipiatur, ad quos solos hanc controversiam spectare sani omnes vident) tam certa est Propositio ut quæ in universa Theologia certissima. Interim utriusque Propositionis demonstrationem petat Lector, qui de alterutra dubitat, ex Capite illo 5. *Dissertationis* prioris. Quæ verò contrà à te hîc afferuntur, ea farfari foliis sunt leviora.

§. 2. Ad primum membrum hujus *Animadversionis* tuæ respondeo, 1°. Quomodo Satisfactionis & Justitiæ Christi fiamus participes, & sub qua Lege & Conditione, suprà fusè & luculenter ostendi. Quo verò sensu *Paulus* dixerit, Fidem *Abrahami* imputatam ipsi fuisse in Justitiam sine Operibus, prolixè explicavi *Dissert.* 2. *cap.* 12. n. 14, 15, 16, 17, 18, 19, 20, 21, 22, 23, 24, 25, 26, 27. Quæ omnia, cùm ad Caput illud ventum est, tu silentio præteris, vacuum penè & pauciſſimis lituris tuis deturpatum libri marginem relinquens. Et tamen (qui tuus est in disputando candor & sinceritas) hanc de *Abrahamo* cantilenam perpetuò mihi occinis. 2°. Quanta sit hujus argumenti mei vis (utcunque in speciem id ipsum despicere & contemnere ut siculneum videaris) ipse indicio es, qui, ut ejus ictum effugeres, Articulum Fidei Christianæ maximi momenti in dubium vocare, necessum habueris. *Non*, inquis, *tam liquidò constat ex Christi Parabolico Sermone de Judicio extremo, quis sit futurus Christi processus in examine & sententia ferenda.* Itáne verò? Annon liquidò constat ex Sermone Christi *Mat.* 25. ipsum secundùm Opera unumquemque Judicaturum? Quid ergò est quod speremus tibi liquidò constare posse? Sermo, inquis, est Parabolicus; fateor, ideóque non omnia in Sermone illo esse (ut loquuntur) argumentativa, consentio. Atqui à scopo Parabolæ manifesto solidum argumentum deduci posse, nemo Theologus unquam negavit.

Quid quòd homines omnes in extremo Judicio secundùm Opera ipsorum judicatum iri, non solùm in hoc Christi Parabolico Sermone, sed & alibi in Scripturis passim Sermone proprio, claro ac diserto, adseritur? 3°. Sed tibi multùm debemus, quòd tandem per te liceat nobis, cum Scripturis & regula Fidei sentire ac dicere, Christum in futuro sæculo homines secundùm Opera ipsorum judicaturum. *Dabimus*, inquis, *Christum nobis secundùm Opera cujusque redditurum.* Bene.

Bene. Quid verò tandem illud est, mi Censor, quod nobis dare non vis? *Sed hinc*, inquis, *minimè sequitur*, *Deum fidelem in conspectu suo à reatu peccati absolvere ob sua opera.* Si in verbis *ob sua opera* causam meritoriam, imò causam omnino ullam propriè sic dictam intelligis, tum alius hyperaspistes quærendus est, qui consequentiam istam defensurus sit. Ego certè ab illa longissimè abhorreo, & (Deo laus sit) abhorrui semper. Quod contendo illud est, Christum in futuro sæculo neminem per sententiam suam misericordem à peccati reatu absoluturum, ac regno cœlesti donaturum, aliter quàm sub conditione bonorum Operum; atque hinc infero, neminem etiam in hac vita ex Lege Christi gratiosa jus ad Veniam peccatorum ac Salutem æternam acquirere, aliter quàm sub eadem conditione. Huic consequentiæ evertendæ omnes licet ingenii tui arietes & machinas adhibeas, frustrà eris.

§. 3. Pergo ad secundum membrum *Animadversionis* tuæ. *Si eodem planè modo*, inquis, *tum in Minore itémque in Conclusione verba parenthesi inclusa debuerant esse, (absque Fide) & non ut hîc per fallaciam substituuntur; (non Fide solâ) unde sequeretur, quòd hîc ex Operibus solis absque Fide justificamur.* Quis hîc *Aristarchi* nostri acumen non miretur? Seu potiùs, (ut rem seriam seriò agam) quis Censoris hujus non censurâ dignam censeat ἑτεροδοξίαν crassissimam? Ità argumentatur. Si eodem planè modo in hac vita justificamur, quo in futuro sæculo judicabimur, tum in hac vita justificamur solis Operibus absque Fide. Ratio consequentiæ est, quia (juxta Censoris nostri sententiam) in futuro sæculo ex solis Operibus absque Fide judicabimur. Sed quis sanus aut Catholicus ante ipsum ità docuit? Certè nemo. Sunt quidem inter Pontificios Scriptores qui non verentur asserere, *in externo judicio retributionem datum iri secundùm Opera, non secundùm Fidem*; sed hos operosè refellit magnus *Jacksonus* noster Comment. in *Symbol. Apostol.* lib. 11. cap. 30. pag. 3588. &c. Sanè Fides & Opera in hoc negotio non sunt disjungenda; sed potiùs statuendum, in ultimo judicio finalem Absolutionem & Præmium adjudicatum iri, (ex Lege Christi gratiosa, ac propter Christum) & Fidei & Operibus nostris, sive Fidei nostræ operatrici; hoc est, (ut cum *Paulo* loquar) Fidei δι' ἀγάπης

ἐνερ-

ἐνεργουμένη, ſive (ut *Paulinâ* rursùs locutione utar, 2 *Theſſ.* 1.8.) *obedientiæ noſtræ Evangelio præſtitæ*, quæ ſimul & Fidem Evangelii, & ea omnia quæ Fidem ſequi ſolent ac debent, complectitur. Sed fortaſſe hâc aſſertione tuâ voluiſti, extremo in judicio illud tantùm agi, ut oſtendatur & toti mundo manifeſtum fiat, quinam verâ Fide Chriſtum ejúſque Juſtitiam amplexi ſint, qui ſecùs; quod ſolis Operibus (cùm Fides ſit ipſum τὸ κεινόμενον) declarari poteſt; proinde rectè dici, homines in futuro ſæculo ex ſolis Operibus judicatum iri. Si hæc mens ac ſententia tua ſit, (quod facilè crediderim) tum in eorum veſaniam incidis, qui aſſerunt bona Opera in Salutis negotio ſpectari tantummodo ut Fidei ſigna. Iſtam verò ſententiam in hoc ipſo Capite *Harmoniæ*, quo de agitur, duobus argumentis ſanè validiſſimis jam refutavi. Primum argumentum mutuatus ſum à viro clariſſimo *Gerardo Voſſio*, (quem nemo ſanus aut orthodoxus ἑτεροδοξίας in hoc Articulo ſuſpectum unquam habuit) qui ex locis illuſtriſſimis, *Mat.* 25. 21, 23, 34, 35. *Apoc.* 7. 14, 15. 2 *Cor.* 4. 17. *Gal.* 6. 8. *Phil.* 2. 12. concludit, *non ſatìs dicere, qui bonis Operibus, tantummodo, ut Fidei ſignis, promiſſionem factam eſſe arbitrantur:* Siquidem iiſdem ex locis (quibus & alia multa in proclivi eſt adjicere) planum fiat, Opera noſtra in Salutis negotio ſpectari ut cauſam ſine qua non, ſive ut conditionem præcedaneam, quæ promiſſum vitæ æternæ individuo ſecum nexu trahat. Telum alterum arripui ex armamentario *Hugonis Grotii*, qui bona Opera non ut mera Fidei ſigna in Salutis negotio ſpectari hâc invictâ ratione probat: Quæ ut ſigna ſpectantur, ea in ſe minùs ſunt quàm res ſignificatæ; at dilectio quæ iſta præſtat Opera, ac per figuram quandam in ipſis Operibus intelligitur, plus eſt Fide, 1 *Cor.* 13. 13. Ad hæc argumenta tu (pro more tuo) ἀφωνότερος τῶν ἰχθύων. Et quis erit diſputandi finis, ſi adverſario liceat ex hypotheſi jam refutata & exploſa Theſin adhuc ſuam tueri ac defendere?

§. 4. Reſtat tertium *Animadverſionis* tuæ membrum. *Juſtificatio eſt varia, pro quæſtionis varietate. Si in jus vocetur homo de ſua innocentia*, &c. φεῦ τῆς φλυαρίας. Quàm ad propoſitum hæc prorsùs nihil faciunt! Fac Juſtificationem eſſe variam, quid tum? Certè Juſtificatio, de qua quæſtio inſtituitur, una eadémque eſt, nempe Juſtificatio Evangelica, ſive

quæ

quæ ad normam Legis & Fœderis Evangelici exigitur. Hîc conſtanter affirmamus; Hominem juxta Legem Evangelicam juſtum in hac vita conſtitui, & in futuro ſæculo juſtum declarari ex iiſdem conditionibus, nempe, tum Fidei, tum bonorum Operum, ſive Charitatis, quæ per figuram quandam, ut dixi, in ipſis Operibus intelligitur. Ad quæſtiones autem tuas quod attinet, ſi quæſtio inſtituatur de hominis innocentia, ſons an inſons fuerit, hîc debemus eſſe omnes confitentes rei. Nemo ab ea accuſatione, quâ ut peccator coram Deo arguitur, vel Fide, vel Operibus, vel utriſque ſimul, vel aliâ quâviſcunque ratione, ſive in hac vita, ſive in ſæculo futuro, liberari poteſt. Sed Chriſtus hoc meruit, ut nemo peccator, ob hoc ipſum ſolum quòd peccator ſit, & qui cæteris peccatis non etiam infidelitatis aut impœnitentiæ crimen adjecerit, æternùm periret. Atque hæc Gratia in Evangelio, quod novum Fœdus appellatur, declarata eſt & ſancita. Hoc ipſum voluit *Paulus* Apoſtolus, cùm multis probat homines omnes peccatores eſſe, atque iræ divinæ ac morti æternæ obnoxios; proinde neminem à condemnatione liberari poſſe aliter, quàm per ac propter Chriſtum, & juxta Fœdus gratioſum in Chriſto ſtabilitum. Hoc Apoſtoli argumentum latè executus ſum *Diſſert.* 2. *cap.* 8. Et toties alibi in *Harmonia* rem ipſam, quæ argumento iſto confirmatur, apertè profeſſus ſum, ut tuam vel inverecundam frontem, vel certè craſſiſſimam in legendo libro meo negligentiam, mirari ſatis nequeam, qui paſſim in *Cenſura* tua mihi objicias, quòd iſtis contraria docuerim. Atque hæc de prima tua quæſtione. Jam verò, ſi homo in quæſtionem veniat de conditionibus Evangelii præſtandis, hic juſtus tum in hac vita conſtituitur, tum in futuro ſæculo declaratur, non ex ſola Fide, ſed etiam ex Operibus, ſive πίστει δὶ ἀγάπης ἐνεργουμένη, quippe quæ integra conditio ſit in Evangelico Fœdere requiſita. Atque hoc illud ipſum eſt quod contendimus, & multis argumentis probavimus. Tu verò perpetuò τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνων oggeris, hominem ex Operibus tantummodo probari, an conditionem Juſtificationis in Evangelio requiſitam, quæ eſt ſola Fides ſimplex virtus, præſtiterit.

§. 5. Ità nondum effecerunt, quæ hactenus ad argumentum meum repoſuiſti, quin illud ipſum inſolubile eſſe etiamnum

amnum jure merito pronuntiem. Sunt, fateor, quædam aliæ Exceptiones tuæ, ad hoc Caput allatæ, contra meam ejuſdem argumenti elucidationem: ſed eæ vel extra oleas vagantur, vel cramben bis coctam Lectori reponunt. Harum tamen unam & alteram ſub Examen noſtrum revocabimus. Dicis, *Aliam eſſe rationem declarationis Juſtitiæ fidelium in extremo Judicio, quàm conſtitutionis Juſtitiæ in hac vita; quæ fieri poteſt, & revera fit, per Fidem ſolam, quam veram & vivam eſſe ante fructus ab illa productos Deus cordium ſcrutator probè novit.* Reſp. Hominem per ſolam veram & vivam Fidem Juſtificari ante fructus ab illa productos, hâc Lege concedo; ſi de Juſtificatione prima loqueris, & *vivam Fidem* intelligis (ut par eſt) πίστιν δὲ ἀγάπης ἐνεργουμένην, & *fructus*, ſeriem & tractum Operum conſpicuorum, ſive ſanctam illam πολιτείαν, de qua ſæpiùs diximus. Scil. illa Fides virtutes internas Pœnitentiæ, Charitatis, &c. comprehendit; quin & dicta & facta aliqua pia eodem momento, quo concipitur, producit. Quid verò hinc inuleris? Certè hoc ſolum legitimè, nempe, hominem credentem, Pœnitentiam de peccatis agentem, Deum amantem & in Deo ac propter Deum proximum quoque, atque hanc demùm internam ſuam pietatem dictis & factis piis, prout præſens occaſio tulerit, exprimentem, ad primam Juſtificationis Gratiam pervenire poſſe, adeóque reverà pervenire, etiam ante tractum illum Factorum conſpicuorum. Illud verò in *Diſſertationibus* non modò apertè confeſſus ſum, ſed & ſæpiùs Lectori meo inculcavi. Sed quid hoc ad Majorem argumenti mei propoſitionem enervandam? Vide quàm nihil. Fac enim hominem illum ità credentem & pœnitentem mox ante fructus illos ſanctæ πολιτείας productos ex hac mortali vita abreptum; quæro, an is in extremo Judicio ſecundùm Opera ipſius judicandus ſit? Sanè nemo cordatus illud inficias iverit, cùm de homine omni adulto, ſive qui ad bonum & malum morale operandum capax eſt, univerſalis ſit Sacræ Scripturæ enuntiatio, Deum ſcil. redditurum unicuique ſecundùm Opera ipſius, *Pſal.* 62. 12. *Mat.* 16. 27. *Rom.* 2. 6. *Apoc.* 22. 12. At ſecundùm quæ Opera judicabitur homo ejuſmodi? Certè ſecundùm interna illa Fidei, Pœnitentiæ, Charitatis, &c. Opera, quæ dictis & factis, pro data occaſione, conſentaneis expreſſerat. Secundùm

dùm hanc imperfectiorem pietatem Deus pro ſumma ſua in Chriſto Ieſu Miſericordia dabit ipſi, ἐν καιροῖς ἀναψύξεως ἄφεσιν ἁμαρτιῶν καὶ κλῆρον ἐν τοῖς ἡγιασμένοις, i. e. *in temporibus refrigerii Remiſſionem peccatorum & ſortem inter ſanctificatos*, Act. 3. 19. at Sortem illâ inferiorem, quæ jugi bonorum Operum exercitatione perfectiorem Chriſtianæ pietatis habitum aſſecutis aſſignabitur. Itaque de hoc etiam homine vera erit Major argumenti noſtri propoſitio; quòd ſcil. judicabitur à Deo in futuro ſæculo modo eodem, h. e. ſub eadem conditione quâ in hac vita à Deo juſtificatur.

§. 6. Dixeram, (Sect. 3.) cùm in hac vita Juſtificamur, nobis ex Lege Chriſti jus ad vitam æternam primùm conferri; cùm verò in futuro ſæculo judicamur, idem jus per ſolennem Judicis ſententiam definiri ac decidi, quòd tanquam fundamentum Majoris argumenti mei propoſitionis poſueram. Ad hæc tu (poſt alia multa, quæ jam prolixè refutavimus) ità reſpondes: *Sciendum eſt, diſtingui debere jus ad rem & jus in re. Jus ad hæreditatem cœleſtem* (*de qua* Petrus 1 epiſt. c. 1. v. 4.) *immediatè pendet à noſtra per Chriſtum adoptione*, Rom. 8. 17. *cujus Fides ante Obedientiam, quam omnis filius Dei præſtat, eſt* πρόξενος, Gal. 3. 26. Joh. 1. 12. *Jus autem in hæreditate capeſſenda adjudicatur ex bonis Operibus, ſive ex Charitatis* (*quæ* δικαιοσύνης *nomine venit*, Phil. 1. 11.) *fructibus.*

Reſp. 1. Diſtinctio inter jus ad rem & jus in re, prout huic quæſtioni accommodatur, frivola eſt nullóque ſubnixa fundamento. Quiſquis per Fidem ἐν ἀγάπῃ ἐνεργουμένην jus habet ex promiſſo Evangelii ad regnum cœleſte, is, ſi proximo momento moriatur, jus etiam habeat in regno neceſſe eſt, nullâ aliâ conditione ex parte hominis ipſius interveniente. Haud ſatìs ſanus eſt, qui illud in dubium vocare auſus fuerit. Atqui (inquies) ſi Deus tali homini vitam prorogaverit, requiritur ab eo jugis & pia operatio, & profectus in ſanctitate. Rectè. At quare iſtud requiritur? An ad jus aliquod novum acquirendum? Nugæ. Requiritur ad jus adeptum retinendum & conſervandum. Quippe jus ad regnum, quod in prima Juſtificatione homini conceditur, eſt (ut ſæpè diximus)

Profectus in ſanctitate preterea requiritur ad abundantiorem introitum in Chriſti regnum, de quo Petrus 2 epiſt. c. 7. v. 8. 11.

jus pendens à conditione in futurum, si Deus vitam concesserit, præstanda, proinde *revocabile*. Hæc est manifesta doctrina S. Scripturæ, Ecclesiæ Catholicæ, adeóque nostræ. Cujus rei luculentam rationem adjiciam. Nemo ad primæ Justificationis Gratiam admittitur, qui non voto saltem ac sincero proposito ad obsequium Deo in posterum secundùm præscriptum Evangelii præstandum se obstrinxerit. Jam quis non videt, Obedientiam, quæ voto necessario suscipienda erat ad Gratiam Justificationis obtinendam, non minùs necessariò ad acceptum beneficium retinendum, si Deus opportunitatem dederit, opere ipso præstandam esse?

2°. Prodis inconstantiam tuam, cùm hîc affirmes, soli Fidei adoptionem filiorum & jus ad cœlestem hæreditatem concedi. Nam suprà mihi ex multis Scripturæ disertissimis testimoniis probanti, neminem per Fidem solam simplicem virtutem absque cæteris virtutibus Deo ad Salutem acceptum haberi, indéque inferenti, neminem per solam Fidem simplicem virtutem justificari, ità respondisti, ut non negares Antecedens, neque loca ista Scripturæ, tanquam perperàm à me allegata rejiceres, consequentiam solam respuere contentus. Hîc autem audacior factus atque in pejus proficiens rotundè negas, quicquam præter Fidem necessarium esse, ut quis jus ad regnum cœleste acquirat, sive Deo ad Salutem acceptus habeatur.

3°. Quod tam fidenter affirmas, Fidei soli ante omnem Obedientiam nostram jus ad regnum cœleste concedi, falsissimum est & periculosissimum. Te obtestor, ut dicta Scripturæ loca respicias, ac tandem aliquando justâ responsione aliquâ digneris. Quòd si laboris istius tædium animum tuum subeat, saltem ad ea Scripturæ loca respondeas velim, quæ resipiscentiæ (universum hominis Christiani officium in Fœdere Evangelico præscriptum suo ambitu complectentis) necessitatem urgent, ad Remissionem peccatorum consequendam. Nam ex istis locis ità ἐλεγκτικῶς argumentamur: Nemo ex promisso Evangelii per Fidem solam absque resipiscentia jus habet ad Veniam sive Remissionem peccatorum; Ergò nemo ex Fœdere Evangelico per Fidem solam absque resipiscentia jus habet ad regnum cœleste. Consequentia est manifestissima. Nam majus quiddam est jus habere ad Regnum cœleste,

cœleste, quàm jus habere ad Veniam sive Remissionem peccatorum; & si duo ista distinguenda sunt, jus ad Veniam ordine naturæ præcedat jus ad Regnum necesse est. Antecedens tot ac tam luculentis Scripturæ testimoniis confirmatur, ut nemo, cui cordi sunt Oracula Sacra, illud in dubium vocaverit. Sed quid multis? Tute ipse (ut suprà vidimus) disertè fateris, *Pœnitentiam ad Reconciliationem à Deo requisitam esse.* Jam hoc unum abs te quæro, An quis jus ad Salutem habeat antequam Deo reconciliatur? Si affirmaveris, mirabor, *quomodo tam ineptum quicquam* (ut verbis utar *Terentianis*) *potuerit tibi in mentem venire.*

§. 7. Ità tandem *Dissertationem* nostram priorem diligenter retractatam, à tuis Objectionibus vindicavimus. Quæ enim ad Caput quintum notâsti, tam frivola sunt, & nullius planè momenti, (sanctè profiteor me verè & ex animo hæc scribere) ut pigeat istis Lectorem morari. Veritus sum quoque nè hoc *Examen* nostrum ad nimiam & non necessariam molem excresceret. *Censura* tua *Dissertationis* posterioris faciliori negotio expedienda erit. Nam ità *Animadversiones* tuas instituisti, (nescio quo casu aut consilio) ut prolixior fueris in iis censendis, quæ in parte priori *Harmoniæ* disseruimus; quin & pleraque ibi tractaveris, quæ ad posteriorem *Dissertationem* magis propriè pertineant. Religio autem mihi erit, quicquam à te animadversum (necdum à me refutatum) præterire, quod meam Apostolos conciliandi methodum cum aliqua rationis specie impugnare videatur.

ANIMADVERSIO XV.

ad Dissert. 2. Cap. 3. Sect. 4. pag. 71, 72.

HIc post tres alias *Jacobum* cum *Paulo* conciliandi rationes meritò rejectas, ultimo in loco viri doctissimi *Josuæ Placæi*, de ἐναντοφανείᾳ ista optimâ methodo concilianda,

ſententiam expendo. Verba mea ſunt: *Reſtat quarta atque ultima ſententia, quam viro docto* Joſuæ Placæo *video mirificè placuiſſe; nec ſatis ſcio, annon ſit ei propria ac peculiaris. Eam ſic explicat: Opponitur Juſtificatio accuſationi: à duobus autem accuſationibus premimur in foro divino. Primùm objicitur nos eſſe peccatores, hoc eſt, reos violatæ conditionis, quæ Fœdere Legali lata eſt. Deinde objicitur, nos eſſe infideles, h. e. non præſtitiſſe conditionem Fœderis Gratiæ, videlicet Fidem. Ab accuſatione priori ſolâ Fide juſtificamur, quâ Chriſti Gratiam ac Juſtitiam amplectimur; à poſteriori juſtificamur etiam Operibus, quatenus iis Fides oſtenditur. Ad poſteriorem accuſationem reſpiciens* Jacobus *affirmavit meritò, ex Operibus juſtificari hominem & non ex Fide tantùm.* Paulus *verò reſpiciens ad priorem, ſolâ Fide hominem juſtificari contendit. Sic ille. Sed (ut alia taceam non pauca in hac ſententia meritò culpanda) fallitur tum in Theſi, tum in Hypotheſi ſua, vir eruditus. In Theſi quidem, quòd ſtatuat, Fidem eſſe totam atque integram Fœderis Evangelici conditionem; Opera autem conſiderari ſolummodo ut Fidei ſigna atque argumenta: quod falſiſſimum eſſe jam antè liquidò probavimus. In Hypotheſi verò, quòd Opera à* Paulo *tanquam ad Juſtificationem illam poſteriorem neceſſaria, Fidem à* Jacobo *ut ad Juſtificationem priorem ſufficientem admitti; quod utrumque à vero alienum eſſe modò oſtendimus, ac de* Paulo *mox pleniſſimè demonſtraturi ſumus.* Ad hæc tu ità prolixè reſpondes: *Quod vir clariſſimus (cujus Theſes nondum obviam habui) proponit ad Apoſtolorum conciliationem, probè convenit ſententiæ Parentis mei B. M. de quo pauca me referre ſinas oro.* T. G *Londinas (cujus nomen me tacente ſatis eſt celebre) A. D. 1617. aggreſſus eſt in Concionibus* B. Jacobi *Epiſtolam explicare, quod Dei ope methodo accuratiſſimâ peregit. Demùm A. D. 1640. ferventibus circa id temporis de Juſtificatione in Templis Urbanis contentionibus importunis, vir pacis ac veritatis æquè ſtudioſus veritatem altercationibus penè amiſſam, certè paſſionum nube obſcuratam, animo tranquillo ac ſedato, ſed ratione acri, exponere annixus eſt, & lites componere. Textum ſuæ Diſſertationis multiplicis fundum elegit locum* Pauli, Rom. 3. 28. *Harum concionum rudimenta, ſive lineamenta imperfecta & impolita, penès me extant. Utinam illis ultimam manum adhibendi ſuppetiſſet illi copia. Pauliſper ante obitum chartas ſparſas recolligit, & Ser-*

mones

mones ad incudem revocare cœpit. Sed morbo prægreditus, & morte mox præreptus, opus & vitam (paucis ſeptimanis demptis octogenarius) depoſuit. In utriuſque Apoſtoli Expoſitione unam viam inſtitit. Poſt varia variorum excogitata parùm ſolida, vel parùm appoſita, repudiata, (ſed ratione redditâ repudii) adhæſit illi ſententiæ, quam Placæo *placuiſſe video. Hanc ex ipſius Commentario breviter recenſebo. Neque mihi dedecori erit ex ejus ſapere Commentario. Fatetur Apoſtolum utrumque in* Abrahæ *Juſtificatione proponenda eandem voluiſſe Fidem, veram ſcil. vivam & ſalvificam. Juſtificationem etiam ejuſdem generis intelligendam eſſe. Hanc verò eſſe à crimine intento, vel à culpæ inſimulatione, liberationem ſive abſolutionem. Curiam etiam variam, in qua Deus cum Chriſtianis agit, non neceſſum duxit fabricari. De iiſdem Operibus utrumque Apoſtolum loqui, probavit ex* Abrahæ *exemplo, quem* Paulus *producit ad Opera ejus ab Juſtificatione ſecludenda, &* Jacobus *inducit ad Opera ejus ad Juſtificationem facientia oſtendenda. Tandem verò τὸ κρινόμενον diſtinxit, & ſtatum controverſiæ eſſe in duobus Apoſtolis diverſum obſervavit. In* B. Paulo *ſtatus controverſiæ, aut cauſa de qua quæritur, eſt generalis de perſonæ (pone* Abrahamum *patrem & exemplar fidelium) reatu peccati: 1°. Utrùm Lege Dei Divinæ Juſtitiæ ſit obnoxius? Et quandoquidem nulla caro ſit coram Deo juſta; 2°. An & quomodo juſtificari poſſit? Reſpondet* Paulus, *hominem manifeſtò ſontem non poſſe aliter à crimine ipſi intento liberari, ab aſperſione culpæ purgari, h. e. juſtificari, niſi per Obedientiam & Sanguinem Chriſti, & Fidem in Chriſti Sanguinem, quæ ſponſoris noſtri Juſtitiam noſtram facit. Opera verò optima non poſſe allegari ad Juſtitiam aſſequendam, neque ad peccati noxam diluendam valere. At alter eſt ſtatus controverſiæ de homine qui peccati cujuſpiam accuſatur particularis, ſive ea ſit perfidia adverſus hominem, ſive hypocriſis coram Deo. Homini jam ſuam integritatem defendere fas eſt, & etiam coram Deo tutari, ſi malè conſcius non ſit fraudis, & Operibus ſuis ſuam probari ac tueri innocentiam: Et ex Operibus juſtificabitur. Sic in* Jacobo *res ſe habet cum* Abrahamo, *cujus virtutum ſinceritas ità Deo probata fuit.* Poſt explicatam Patris tui ſententiam, Fiduciæ plenus ità ſatis faſtuosè loqueris; *Optimam conciliandi methodum deſpicatui habes, quia parùm intelligis.*

RESPON-

RESPONSIO ad Animadverſionem XV.

§. 1. Sententiam *Placæi*, quam video jam ipſi non fuiſſe peculiarem, ſed cum Patre tuo communem, putavi me paucis verbis ſatis refutâſſe, in loco quem hæc *Cenſura* tua reſpicit. Dico ſententiam iſtam falſam eſſe tam in Theſi quàm in Hypotheſi. Quod ad Theſin attinet, vir doctus manifeſtè ſtatuit, Fidem eſſe totam atque integram Fœderis Evangelici conditionem, Opera autem conſiderari ſolummodo ut Fidei ſigna atque argumenta; quod falſiſſimum eſſe tum in *Harmonia*, tum in hoc *Examine* multis iſque invictis rationibus atque argumentis oſtendi. Hypotheſin quod attinet, Statuit *Placæus*, Opera à *Paulo* tanquam ad Juſtificationem, per quam ab accuſatione illa quâ objicitur nos infideles eſſe, & non præſtitiſſe conditionem Fœderis Gratiæ, neceſſaria; Fidem à *Jacobo*, ut ad Juſtificationem ab accuſatione illa, quâ objicitur nos reos eſſe violatæ conditionis in Fœdere Legali latæ, ſufficientem admitti: quod utrumque à vero alienum eſt. Nam Opera, de quibus agit *Paulus*, ab omni Juſtificatione noſtra ab ipſo excluduntur. Quippe non agit *Paulus* de Operibus ex Fide profectis, & quibus tanquam argumentis atque indiciis Fides noſtra probari poſſit; ſed de *Operibus Legis*, hoc eſt, de Operibus ſive Ritualibus, ſive aliis quibuſcunque à Fide & Gratia Evangelii ſejunctis. Hinc Legem, contra quam diſputat, diſertè opponit Legi Fidei, *Rom.* 3. 27. Dico quoque, Fidem, de qua agit *Jacobus*, tanquam ad Juſtificationem priorem (per quam nempe liberamur ab accuſatione illa, quâ objicitur nos reos eſſe violatæ conditionis in Fœdere legali latæ) ſufficientem ab ipſo non admitti. Nam Fidem per ſe, ut rem vanam ac prorsùs inutilem, rejicit ille penitùs. Vana autem atque inutilis non eſſet Fides illa, ſi ad Juſtificationem illam priorem ſufficeret. His rationibus innixus merito jure pronuntiavi, neque *Placæi* ſententiam quicquam conferre ad nodi ſolutionem. Sed tu, his non obſtantibus, (pro more, quo concluſioni tuæ contra omnia argumenta pertinaciter adhærere ſoles) affirmas, me optimam conciliandi methodum deſpicatui habuiſſe, quia parùm intellexerim.

§. 2. Age

§. 2. Age itaque, optimam illam conciliandi methodum, à *Placæo* quidem succinctè & paucis, à te verò ex Patris tui commentario fusiùs, (at nihilo certè clariùs) explicatam, accuratiori examine perpendamus. Atque hîc rursùs sententiam vestram, de duplici accusatione atque ei oppositâ Justificatione hominis in conspectu Dei, considerabimus, primò in Theti ac seorsim à præsenti controversia; deinde in Hypothesi, & quatenus à vobis *Jacobo* & *Paulo* inter se conciliandis adhibetur. Ad Thesin quod attinet, primò notandum est, causas & quæstiones in negotio Justificationis humanæ varias (de quibus loquimini) haud satis accuratè ac distinctè à vobis explicari. Rectum est index sui & obliqui. Itaque ipsissimam rei veritatem Lectori paucis exponam, quâ cognitâ atque intellectâ, facillimum ipsi erit errorem & fallaciam vestræ explicationis discernere. Cùm de Justificatione aut accusatione hominis in conspectu Dei agitur, triplex quæstio institui potest. 1°. Quæritur, an homo sit peccator, atque ob peccata morti æternæ obnoxius? Hîc nemo se, coram Deo, ut *non reum* potest defendere, quod passìm docet Apostolus *Paulus*. 2°. Quæri potest, an homo peccator *necessariò* condemnandus & morte æternâ plectendus sit? Respondetur, nequaquam. Hîc Satisfactio Domini nostri Iesu Christi succurrit, quâ effectum est, ut Deus non modò salvâ Justitiâ suâ possit, sed & velit, hominem peccatorem à morte liberare, vitâque ac salute æternâ donare, sub certis conditionibus ab homine per Gratiam Dei præstandis. 3°. Denique, tertia quæstio potest institui, nempe, an homo peccator conditiones præstiterit, à quibus salutaris Satisfactionis Christi fructus & effectus, tum Dei Patris, tum Christi ipsius voluntate suspenditur; ac proinde juxta pactum initum inter Filium satisfacientem & Patrem Satisfactionem acceptantem, (cujus ὑπογραφον habemus in Fœdere Evangelico) à morte liberandus vitâque æternâ donandus, h. e. justificandus sit? In tenebris plusquam Cimmeriis versatur, qui hîc non videt, salutarem Satisfactionis Christi fructum ex sola Fide simplici virtute non suspendi. Quippe ex innumeris Scripturæ testimoniis (quod suprà à nobis semel, atque iterùm, iterúmque ostensum est) liquidò constat, Remissionem peccatorum (quæ primarius Satisfactionis Christi fructus & effectus est, quæque

cætera omnia ſecum trahit) ſuſpendi à conditione non modò Fidei, ſed etiam (ídque imprimis) Pœnitentiæ. Quid multis? Spiritus Sanctus diſertè docet, quòd Filius Dei διὰ παθημάτων τελειωθεὶς, *perpeſſionibus conſummatus*, ἐγένετο τοῖς ὑπακούσιν αὐτῷ πᾶσιν αἴτιος σωτηρίας αἰωνίου, i. e. *factus eſt Author æternæ Salutis iis omnibus qui ipſi obediunt*, Heb. 5. v. 8, 9. hoc eſt, iis omnibus, iíſque ſolis, Juſtificationem ac Salutem morte ſuâ impetravit. Itaque ſi homo accuſatur non præſtitæ conditionis, ex qua ſalutaris Satisfactionis Chriſti fructus & effectus Dei & Chriſti voluntate, in Evangelio revelatâ, ſuſpenditur, palàm eſt, non poſſe ipſum ab hac accuſatione liberari per ſolam Fidem. Eſt aliud præterea ab ipſo afferendum ad ſuam δικαίωσιν.

§. 3. Qui hæc tenet, is facilè videbit; 1°. Falsò à vobis doceri, hominem à priori accuſatione, quâ ſcil. objicitur, ipſum peccatorem eſſe, & reum violatæ conditionis in Fœdere Legali latæ, juſtificari. Nam ab hac accuſatione juſtificari homo neutiquam poteſt. In æternum manebit verum, peccâſſe hominem, & Fœderis Legalis conditionem violâſſe. Satisfactio Chriſti non eſt ejuſdem quod in debito erat Solutio; illud quippe erat perſonalis (ut loquuntur) pœna delinquentis: neque igitur per Satisfactionem Chriſti fit Legis executio. 2°. Fidem à vobis non ſuo loco atque ordine collocari. Ipſam ſcil. quaſi conſociatis cum Juſtitia & Satisfactione Ieſu Chriſti ad id, ut homo à priori illa accuſatione, quâ nempe objicitur, ipſum peccatorem eſſe, & reum violatæ conditionis in Fœdere Legali latæ, juſtificetur. Sic *Placæus: Ab accuſatione priori ſolâ Fide juſtificamur, quâ Chriſti Gratiam ac Juſtitiam amplectimur.* Similiter & tu affirmas, *Hominem à crimine intento liberari per Obedientiam, ſive Sanguinem Chriſti, & Fidem in Chriſti Sanguinem, quæ Sponſoris noſtri Juſtitiam noſtram facit.* N. B. Per Obedientiam Chriſti & Fidem noſtram. Ità Juſtificationem quandam Legalem Fidei aſcribitis. Sed rei myſterium hîc latet. Exiſtimatis per Fidem, ut per inſtrumentum, noſtram reverà fieri Juſtitiam ac Satisfactionem Chriſti, quâ ex rigore Legis & perfectè juſti ipſi conſtituamur. Verùm hîc tergemino errore implicamini. Nam, 1. neque Juſtitia Chriſti fit reverà noſtra; 2. neque ſi noſtra fieret, per Fidem noſtra fieri potuiſſet;

3. ne-

3. nedum Fides per modum inſtrumenti poteſt efficere, ut Juſtitia Chriſti noſtra reverà fiat: quorum ſingula ſuprà à nobis demonſtrata ſunt. Quid igitur? Tum demum Fides proprium ſuum locum obtinet, quando adducitur in Juſtificationem noſtram à poſtrema illa accuſatione, quâ nempe objicitur, nos non præſtitiſſe conditionem Fœderis Gratiæ. Ab hac autem accuſatione Fides hominem ex parte tantùm juſtificat, hoc eſt, Fides eſt pars quidem conditionis, ſed non tota atque integra conditio, à qua juxta Pactum Evangelicum Juſtificatio noſtra, ſive Remiſſio peccatorum noſtrorum, in Chriſti Sanguine ſuſpenditur.

§. 4. Alterum, quod Lectori obſervandum propono, illud eſt; Juxta ſententiam veſtram ſtatui Juſtificationem quandam hominis, ídque *in conſpectu Dei*, ab hypocriſi, ſive ab accuſatione non præſtitæ conditionis in Fœdere Evangelico requiſitæ, nempe Fidei, per indicia atque argumenta ejus, ſcil. bona Opera. Dico hanc Juſtificationem à vobis non modò abſque neceſſitate ulla, ſed etiam abſurdè ſtatui. Nimirum, Deus immediatâ (ut ità dicam) intuitione videt, & penitùs perſpectam habet Fidem noſtram ejúſque ſinceritatem; neque opus habet ſignis, argumentis, aut indiciis ullis, ut de ea certò judicare poſſit. A Theſi jam ad Hypotheſin tranſeo.

§. 5. Sanè ſententia, quæ in Theſi tam falſa atque abſurda eſt, vera non erit in Hypotheſi, neque conciliandis inter ſe Apoſtolis, niſi ut σίφον φάρμακον adhiberi poteſt. Nihilominùs ut veritas clariùs eluceſcat, paucis oſtendam, hanc conciliandi methodum, quam optimam vocas, prorsùs inanem eſſe. De quali Juſtificatione loquatur *Paulus*, quæſtio non movetur; lis & controverſia tota eſt, cujuſmodi Juſtificatio in Sermone B. *Jacobi* cap. 2. intelligenda ſit. Atque hîc fatemini vos ipſi, de Juſtificatione apud *Jacobum* agi, quæ coram Dei Tribunali peragatur; ſed Juſtificationem iſtam haud aliam eſſe vultis, quàm quâ ſinceritas Fidei noſtræ ex Operibus coram Deo approbetur, ſive quâ ab accuſatione non præſtitæ conditionis Evangelicæ, nempe Fidei, ad Dei Tribunal liberemur. Dico hanc veſtram interpretationem in Sermonem *Jacobi* nullo modo quadrare. Nam, 1°. Apoſtolus ejuſdem generis Juſtificationem & Operibus & Fidei ſatis

apertè tribuit, & quaſi bigas Fidem & Opera conjungit ad eandem Juſtificationem ſecum trahendam. Verba diſerta ſunt *Jac.* 2. v. 22. *Videtis ex Operibus hominem Juſtificari, & non ex Fide tantùm.* Unde liquet etſi non ex Fide tantùm, tamen ex Fide etiam, & non ex ſolis Operibus, hominem juſtificari eâ Juſtificatione, de qua Apoſtolus loquitur. Atqui Fidei alia Juſtificatio tribui non poteſt, quàm quâ homo propter Chriſtum à Condemnatione æterna liberatur, atque ad Salutem habetur acceptus; Ergò de hac Juſtificatione ſola in utroque membro propoſitionis *Jacobus* intelligendus eſt. In quamcunque partem te vertas, ictum hujus argumenti evitare nunquam poteris. 2°. Hæc interpretatio Sermonem Apoſtoli craſſiſſimo Soloeciſmo conſpurcat. Si enim *Jacobus* de ea Juſtificatione agit, quâ Fidei noſtræ ſinceritas coram Deo probatur, tum concluſio ejus, *Videtis ex Operibus hominem juſtificari, & non ex Fide tantùm*, ſic exponenda eſſet, *Videtis ex Operibus Fidei, hominis ſinceritatem coram Deo probari, & non ex Fide tantùm.* Quis verò ſanus non indignetur, ſapientiſſimo Apoſtolo Sermonem tam inſulſum affingi? 3°. Huic etiam interpretationi manifeſtè repugnant verba, v. 14. *Quid proderit, fratres mei, ſi Fidem quis dicat ſe habere, Opera autem non habeat? nunquid poterit Fides ſalvare eum?* Nam hinc certè luce clarius eſt, de ea Juſtificatione Apoſtolum agere, non quâ à crimine hypocriſis liberamur, (ut tu loqueris & ſentis) ſed quà liberamur ab æterna Condemnatione, & jus ad Salutem acquirimus; & juxta Apoſtolum Fidem egere Operibus, (hoc eſt, Charitate quæ Opera omnia bona profert) non modò ut ipſius ſinceritas coram Deo probetur, ſed etiam ut profit ipſa ad Salutem hominis. His argumentis uſus fueram, *Diſſert.* 2. *cap.* 1. §. 7. ad deſtruendam eorum Hypotheſin, qui Juſtificationem apud *Jacobum*, Juſtitiæ declarationem coram hominibus intelligunt. Vides quàm æquè inſerviant tuæ conciliandi methodo (quam tantùm non deperiiſti) funditùs evertendæ; quemadmodum & cætera, quæ ibidem ſequuntur.

§. 6. Jam conferatur hæc veſtra optima conciliandi methodus cum noſtra, quam in *Diſſertatione* poſteriori latiùs deductam, hîc ſummatim proponam, liberum Lectori arbitrium relinquens, utra ſit præferenda. Juxtà vobiſcum fatemur,

mur, ſtatum controverſiæ in duobus Apoſtolis planè diverſum eſſe; ſed diverſitatem iſtam longè aliter, quàm à vobis fit, explicandam eſſe contendimus. *Paulus* in ſuis Diſputationibus litem habuit cum adverſariis, qui non omnes ejuſdem generis fuere. Aliquando enim diſputat adverſus profeſſos Evangelii hoſtes, nempe, tum *Gentiles*, tum imprimis *Judæos* à Fide Chriſti alienos, quorum illi Legi naturæ, hi Pædagogiæ *Moſaicæ* confiſi ſunt, ſpreto Chriſti Evangelio. Adversùs hos pluribus oſtendit Apoſtolus, neutram illam Legem ſufficere ad hominem peccatorem juſtificandum, atque ad Salutem perducendum; ſolum id poſſe Evangelium Chriſti. Cujus ſuæ aſſertionis duo imprimis argumenta adfert. 1. Quòd, cùm homines omnes peccatores ſint, atque ob peccata iræ divinæ obnoxii, per neutram illam Legem certa aliqua ratio obtinendæ Remiſſionis oſtendatur. De Lege Naturæ res manifeſta eſt, quippe quæ promiſſo omni divino careat; unde *Gentiles* ab Apoſtolo dicti ξένοι τῶν διαθηκῶν τῆς ἐπαγγελίας, ἐλπίδα μὴ ἔχοντες, *Eph.* 2. 12. Ad Legem *Moſaicam* in Monte *Sinai* traditam quod attinet, oſtendit Apoſtolus, per Legem illam, ſi carnaliter & ſecundùm literam ſpectetur, (ſub qua ſola conſideratione Juſtificationem ipſi detrahit; ſiquidem ſpiritualiter intellecta nihil aliud erat quàm ipſiſſimum Evangelium typis adumbratum:) Remiſſionem quidem promitti quandam, ſed eam neque plenam nec perfectam; hoc eſt, neque Remiſſionem omnium peccatorum, neque ullius peccati Remiſſionem, quæ ab interno reatu hominem liberet, & cum æternæ vitæ donatione conjuncta ſit: Contrà, in Evangelio verum & unicum ἱλαστήριον palàm à Deo hominibus oſtendi ac proponi, nempe Filium ipſius Ieſum Chriſtum, qui effuſione Sanguinis ſui apud Deum pretioſiſſimi omnibus verè pœnitentibus veram Remiſſionem peccatorum impetravit; adeòque in Evangelio non temporalem tantùm, ſed αἰωνίαν λύτρωσιν καὶ σωτηρίαν, (*Heb.* 5. 9. & 9. 12.) pleniſſimam ac perfectiſſimam omnium peccatorum, etiam graviſſimorum, Remiſſionem cum vitæ æternæ donatione conjunctam, promitti omnibus, qui ex Fide in Chriſtum à peccatis iſtis ex animo reſipuerint, ſéque in poſterum Deo & ſanctæ vitæ dicaverint. Alterum Apoſtoli argumentum hujuſmodi eſt; Quòd cùm homines omnes Naturâ ſint imbecilli ac planè

impotentes, neque viribus nativis poſſint dominium peccati frangere, nedum veram Sanctimoniam Deóque ad Salutem gratam Juſtitiam præſtare; cúmque Juſtitiæ & Sanctitati Divinæ repugnet cuiquam peccata remittere, & vitam æternam donare, qui non à vitiis purgetur, quin & θείας φύσεως κοινωνὸς, quodammodò fiat; efficaciſſimâ Dei Gratiâ in hoc negotio opus ſit, quæ per ſolum Chriſti Evangelium, διακονίαν πνεύματος, νόμον πνεύματος ζωῆς, δύναμιν Θεῦ εἰς σωτηρίαν, ſubminiſtratur. Hæc fusè explicavi in *Diſſertatione* poſteriori. *Jam hîc ſtatus controverſiæ verus & genuinus clarè elucet, nempe, An homo peccator (erga Deum ἔχθρος καὶ ἀδίκος, Rom. 5. 6, 10.) juſtificari, atque ad Salutem perduci, poſſit aliâ ratione præter eam, quæ in Evangelio Chriſti oſtenſa ac præſcripta eſt?*

Nimirum Apoſtolus non agit præcisè de hoc vel illo particulari beneficio, quod ad Salutem noſtram ſpectat; (ut plerique autumârunt) ſed de tota atque integra Salutis humanæ οἰκονομίᾳ, quam procurari aliâ ratione poſſe, præterquam eâ quæ in Evangelio revelata eſt, omnino negat. Hanc rationem Fidem appellat, ob rationes graviſſimas jam ſæpiùs à nobis commemoratas. Qui autem ſibi perſuadere poteſt, *Paulum* in tam operoſa diſputatione id agere, ut oſtendat per ſolam Fidem ſimplicem Virtutem, atque à cæteris Virtutibus Evangelicis diſtinctam; neque tamen per quemvis Fidei actum, ſed per actum illum peculiarem, quæ *Recumbentia* vocatur; per Fidem quæ viva, non quà viva eſt; denique, per Fidem tanquam per inſtrumentum apprehendens Juſtitiam Chriſti, eámque reverà noſtram faciens, hominem juſtificari; quid non ille tandem ſomniabit? Certè inanes hæ ſubtilitates & λεπτολογίαι, ut cum genio ſapientiſſimi & πνευματικοῦ Apoſtoli neutiquam conveniebant, ità à ſcopo ac propoſito ipſius longè erant remotiſſimæ. Iſta meſſis argutiarum nec ſerebatur, nec metebatur adverſariis, quibuſcum *Paulus* diſputavit; utpote qui univerſam Salutis obtinendæ rationem in Evangelio præſcriptam repudiaverint.

§. 7. Præter hos fuerunt & alii adverſarii, quos *Paulus* (idque imprimis) oppugnavit, nempe Judaizantes Chriſtiani, qui Legis *Moſaicæ* Ceremonias tanquam ad Salutem obſervatu neceſſarias, cum Fide Chriſti ſive Evangelio conjungerent. In hos Apoſtolus invehitur tum in Epiſtola ad *Romanos*,

manos, tum imprimis in ea, quam ad *Galatas* ſcripſit, Epiſtola. Adverſus hos hanc concluſionem adſtruit: *In Chriſto Ieſu neque Circumciſio quicquam valet, neque Præputium, ſed Fides per Charitatem perfecta*, Gal. 5. 6. Cui conferendus alter locus, *Gal.* 6. 15. *In Chriſto Ieſu neque Circumciſio quicquam valet, neque Præputium, ſed nova creatura.* In Chriſto Ieſu, h. e. juxta Legem Chriſti, ſive Evangelium, ad Juſtificationem ac Salutem nihil conducit Circumciſio & cæteri Ritus *Moſaici*; integra atque unica conditio ad Juſtificationem ac Salutem hominis in Fœdere Evangelico requiſita, eſt Fides per Charitatem perfecta, ſive nova creatura. Ubi Apoſtolus conditionem Evangelici Fœderis plenè exprimit. Hîc quoque ſtatus Controverſiæ ſatis perſpicuus eſt, nempe, *An ratio Salutis obtinendæ, in Evangelio præſcripta, ſit per ſe & abſque Rituum* Moſaicorum *obſervatione ſufficiens?* Quoties itaque *Paulus* hoſce adverſarios impugnans (quod plerumque fit) affirmat, hominem juſtificari per Fidem abſque Legis Operibus, manifeſtiſſimum eſt, ab ipſo Fidem opponi non cæteris Virtutibus Evangelicis, ſed Ritibus *Moſaicis*; proinde μετωνυμικῶς ſive συνεκδοχικῶς poni pro Juſtitia illa Spirituali univerſa, in Evangelio præſcripta, & carnalibus veteris Legis Ceremoniis oppoſita. Quòd ſi Metonymia aut Synecdoche hîc neceſſariò admittenda ſit, quæ ratio nos eò inducat, ut credere nolimus Apoſtolum eodem Tropo alibi quoque uſum fuiſſe? Habes ſtatum Controverſiæ apud *Paulum* (niſi vehementer fallor) clarè explicatum.

§. 8. Ad *Jacobum* quod attinet, adverſarii quibuſcum ille congreditur, (quod ſæpiùs notavi) ſunt immanes illi *Antinomi Simonis* aſſeclæ, qui *Pauli* doctrinam pravè interpretantes, atque ad ſuam aliorúmque perniciem στρεβλοῦντες, docebant, ſolam Fidem ad Juſtificationem hominis ſufficere, abſque Charitate illa quæ Opera bona profert. Horum peſtiferæ doctrinæ Apoſtolus ſuam veluti ἀντίθεσιν opponit, nempe, *Ex Operibus hominem juſtificari, & non ex Fide tantùm.* Loquitur autem manifeſtè de Operibus, non (ut *Paulus*) Fidei oppoſitis, ſed ex Fide profectis, cum Fide cooperantibus, ipſámque perficientibus, *v.* 22.

Itaque hîc ſtatus Controverſiæ extra Controverſiam hujuſmodi eſt: *An juxta Fœdus Evangelicum ſola Fides, ſimplex virtus,*

ius, ſine cæteris virtutibus ac bonis Operibus ad Juſtificationem hominis ſufficiat? Affirmabant *Simoniani Pauli* authoritatem abutentes ad Hypotheſin ſuam confirmandam. Sed partem Quæſtionis negantem (quæ noſtra eſt) ex profeſſo adſtruit *Jacobus*, qui & Evangelii veritatem & *Pauli* ſenſum optimè calluit.

ANIMADVERSIO XVI.

ad Diſſert. 2. cap. 4. Sect. 4. p. 75.

HIc fundamenta jacturus Methodi illius, juxta quam Conciliationem Apoſtolorum *Pauli* & *Jacobi* fieri debere exiſtimaverim, ſententiam meam explicavi his verbis; "Primò igitur, quid per Fidem intelligat *Paulus*, quæri po- "teſt ac debet. Ad cujus quæſtionis ſolutionem, quòd ſupe- "riùs ſtrictim notavimus, hîc fuſiùs à nobis explicandum ac "demonſtrandum eſt: ſcil. Fidem, cui Juſtificatio à *Paulo* tri- "buitur, pro unica ac ſimplici virtute nequaquam ſumendam "eſſe, ſed integram Fœderis Evangelici conditionem deno- "tare, h. e. ſuo ambitu omnia Chriſtianæ pietatis Opera "complecti. Rectè enim *Zegerus: Abſoluta & perfecta Fi-* *In Præf. ad annot. ad Epiſt. Pauli.*
des, cujus eſt frequentior in Scripturis mentio, ea eſt, quâ non modo Deo, & Deum credimus, verùm etiam in Deum, h. e. credendo pio affectu pariter & effectu in Deum tendimus, & ab illo pendemus. Atque hæc ſimul Spem, Charitatem & bona Opera complectitur. Et paulò poſt, *Hîc igitur memineris oportet, quòd, ubicunque* Paulus, *vel alia Scriptura Sacra, Fidei tribuit Juſtificationem, Salutem, Vitam, aut aliquid hujuſmodi, de Fide loquatur viva & perfecta, h. e. quæ Spem, Charitatem, bona Opera complectitur.* His tu ità occurris: *Ineptiſſimè* Zegerus. *Et fundamentum hoc quod ſternis, eſt falſiſſimum. Unico utar argumento.* Paulus *Juſtificationis noſtræ fundamentum ponit ex parte noſtra unicum, Fidem in Chriſti Sanguine ſine Operibus. Num ſanus quiſquam, quando* Paulus *dixit, hominem juſtificari Fide ſine Operibus, opinabitur illum voluiſſe, Fide cum Operibus?*

De

De Operibus autem loquitur, quæ Lex Moralis ab Evangelio firmata flagitat, & cujuſmodi Abraham *præſtitit, Dei tum amore, tum metu. Hæc, hæc ipſa ſunt Opera, quæ* Paulus *verbis ſolem claritudine ſuperantibus amovet à peccatoris per Gratiam Dei & Juſtitiam Chriſti Juſtificatione. Et hæc Fides in Chriſti Sanguine* (Rom. 3. 25.) *ex qua Juſtificatio noſtra in conſpectu Dei pendet, eſt, non (ut ille in* Plutarcho *dixit)* σωὴν & ἀρετὴν, *ſed ſimplex virtus, quæ ad objectum unum modo peculiari fertur, ut Apoſtolus diſertiſſimè diſſerit. Nôſti habitus ex objectis ſuis ſuam ſortiri unitatem. Fidei juſtificantis objectum eſt Chriſti Sanguis, non verbi veritas, quæ eſt credendi objectum; ſed Chriſti Obedientia, quæ eſt Fiduciæ objectum.*

RESPONSIO ad Animadverſionem XVI.

§. 1. Antiquum hîc obtines. Ineptiſſimè loquuntur omnes, quicunque quicquam loquuntur quod tuis ineptiis minùs conveniat. Verùm quod tu à *Zegero* ineptiſſimè dictum fuiſſe ais, ego luculentiſſimis argumentis probavi. Cur ad argumenta illa non reſpondes? Certè quia non poteras, ut neque in æternum poteris. Sunt enim ità planè ἀποδεικτικὰ, ut ex eorum valore controverſiam omnem, quæ mihi tecum interceſſit, æſtimandam adeóque dirimendam cuivis Lectori, judicio pollenti atque invicto præjudicio non laboranti, lubentiſſimus permittam. Ad hanc autem cenſuram tuam (nullius ſanè judicii, ſummæ verò temeritatis tuæ indicium) probandam, unico te argumento uſurum ais. Atqui unicum illud argumentum aut multiplex eſt, aut certè nullum. Agè verò, tua verba membratim expendamus, ubinam tandem argumentum illud unicum lateat, viſuri.

§. 2. Primò, *Paulus*, inquis, *Juſtificationis noſtræ fundamentum ponit ex parte noſtra unicum, Fidem in Chriſti Sanguinem ſine Operibus.* Verùm hoc argumentum non eſt, ſed mera petitio principii, ſolenne tuum argumentandi genus; qui mihi multis probanti, Fidem ſimplicem virtutem non eſſe unicum Juſtificationis fundamentum ex parte noſtra, paſsim reſpondes negando concluſionem, præmiſſis ſúſque déque habitis, utpote tuâ ſtrenuiſſimi Diſputatoris conſideratione indignis. Imò (inquis) fundamentum Juſtificationis ex parte

noſtra unicum ponit Apoſtolus, nempe, Fidem. Hoc ubique inculcas, hoc centiès repetis, quaſi adverſarium, quem argumentis refutare non poſſis, παυπλεχίαις ſaltem obtundere in animo tibi fuiſſet. Huic Hypotheſi tuæ planè affixus videris, veluti ſaxo ſuo *Prometheus*. Hinc non puduit te (in notis tuis alicubi) palàm profiteri, *Hypotheſin meam*, nempe, Fidem à *Paulo* in hac Diſputatione μετονυμικῶς ſive συνεκδοχικῶς ſumi, te *ad mortem uſque pernegaturum*. Tibi verò, mi Cenſor, ſi in ſtultitia tua conſeneſcere, adeóque emori certum ſit, quis erit remedii locus? *Ixvitum qui ſervat, idem facit occidenti.*

§. 3. Sed tua adhuc ſequar veſtigia. Fortaſſe unicum illud tuum argumentum latet in verbis ſequentibus, *Num ſanus quiſquam, quando* Paulus *dicit, hominem juſtificari Fide ſine Operibus, opinabitur, illum voluiſſe Fide cum Operibus?* Argumentum ſcil. ab abſurdo. Sed abſurditatem illam mihi pro libitu tuo affinxiſti, ſententiam meam crudè nimis explicando. Quod contendo illud eſt, *Paulum*, cùm dicit juſtificari hominem Fide ſine Operibus, voluiſſe, hominem juſtificari Fide Evangelii cum obedientia ex eadem profecta abſque Operibus Legis, quod & ipſe *Paulus* ſatis frequenter exprimit. Itidem affirmo, huic *Pauli* doctrinæ neutiquam contradicere *Jacobum*, docentem, juſtificari hominem ex Operibus, & non ex Fide tantùm; quia ſcil. *Jacobus* Opera ex Fide profecta, ſive Opera à *Paulo* in Fidei vocabulo incluſa intelligit, non Opera Legis, quæ *Paulus* excludit. In his omnibus quid abſurdi eſt? Imò omnes ingenii tui nervos intendas licèt, commodiorem hujus ἐναντιοφανείας explicandæ rationem nunquam inveneris.

§. 4. Inſtas: *De Operibus autem loquitur* Paulus, *quæ Lex Moralis ab Evangelio firmata flagitat.* Reſp. A *Paulo* ipſa Legis Moralis Opera, κατ' ἐξ, à Juſtificatione excludi, nunquam negavi; quin & illud ipſum ex profeſſo & luculentis aliquot *Pauli* locis adſtruxi *Diſſert.* 2. *cap.* 7. §. 2. Ut hinc conſtet, quàm tu minùs attento, aut (quod pejus eſt) malevolo planè animo librum meum lectitaveris, qui mihi toties contrariam ſententiam tam fidenter impingas. Interim ibidem illud addendum duxi, (n. 3.) *Opera Legis Moralis à* Paulo *non ſimpliciter excludi, ſed eatenus tantùm, quatenus in*

Fœdere

Fœdere Mosaico *præscripta erant, ac pars conditionis isti Fœderi annexæ fierent, sive quatenus à Gratia Evangelii sejuncta considerari poterant.* Hoc in eadem *Dissertatione* sic explico. 1°. *Paulus* omnino atque simpliciter excludit Opera Legis Moralis ejusmodi, quæ quis præstat solâ Lege adjutus, h. e. suis viribus absque Gratia Christi efficacissima, quam Lex (quatenus à *Paulo* spectatur) nullam exhibuit. Quippe ejusmodi Opera, qualiacunque ea sint, ad veram Justitiam nihil conducunt, neque bonitatem in se ullam supernaturalem habent. 2°. Opera omnino omnia etiam Legis Moralis, etiamsi rectè facta, & quâvisunque bonitate supernaturali prædita, hactenus excludit *Paulus*, ut neget prorsùs per ea ad veram Justificationem posse quenquam pervenire per Fœdus *Mosaicum*; quippe quod veram Justificationem, h. e. cum vitæ æternæ donatione conjunctam, nullam præstet. Addo, ingens illud beneficium ex solo Gratiæ Fœdere Sanguine Mediatoris sancito proficisci. Quibus verbis hoc volo, præstantissima nostra Opera nihil à Deo mereri, ad Justificationem ac Salutem nihil quicquam per se efficere sine interveniente Servatoris nostri Sacrificio propitiatorio. Idem dixi in recapitulatione Disputationis Apostolicæ *Dissert.* 2. *cap.* 18. §. 2. his verbis: *Rejicit à Justificatione Apostolus* Paulus *Opera*: 1. *Ritualia, quæ Lex Ceremonialis præscripsit*; 2. *Moralia, quæ nativis hominum viribus in statu sive Legis, sive meræ naturæ, fiant ante & citra Gratiam Evangelii*; 3. *Judaica, sive futilem illam Justitiam, quam docuerunt Judæorum Magistri*; 4. *Denique, universa à Christo Mediatore divulsa, quæque suâ vi, vel citra respectum ad Fœdus Gratiæ Christi Sanguine stabilitum, Salutem æternam assequerentur.* Quis sanus negaverit, plenam hîc enumerationem contineri Operum, quæ *Paulus* à Justificatione excludit? Nihilominus (te urgente) rem totam clarius adhuc (si fieri id potest) explicare conabor. *Paulus* de causis Justificationis nostræ differens agit, (ut de causa προηγουμένη nihil dicam, quam omnes in summa Dei φιλανθρωπία sitam esse agnoscunt) vel, 1. de causa ejusdem προηγουμένη & meritoria; vel, 2. de causa sine qua non, sive conditione ex parte nostra requisita. Ad causam meritoriam respiciens *Paulus* excludit omnia hominum Opera cujuscunque generis, ipsámque adeò Fidem, ejusmodi causalitatem in negotio

Juſtificationis ſoli tribuens Domini noſtri Ieſu Chriſti Sacrificio propitiatorio. Hinc dicimur à *Paulo Rom.* 3. v. 24. δικαιούμενοι δωρεὰν τῇ Θεοῦ χάριτι, διὰ τῆς ἀπολυτρώσεως ἐν Χριστῷ Ιησοῦ. Et *Rom.* 5. 9. δικαιωθέντες ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ & ibid. v. 19. διὰ τῆς ὑπακοῆς ἑνὸς δίκαιοι. Hæc lubentiſſimus atque ex animo (Deus mihi teſtis eſt) profiteor contra *Socinum* ejúſque aſſeclas; quorum dogmatibus planè hæreticis, longiúſque ab Eccleſiæ Catholicæ conſenſu abhorrentibus, (pudeat pœniteátque te aliósque tui ſimiles *Sociniſmi* mihi aſperſiſſe labem toto oceano nunquam diluendam) nemo hodie mortalium vivit qui ſit magis infenſus. Idem eâdem ſinceritate teſtor contra Pontificios illos (quorum partibus quoque me alicubi adjungis) qui, cùm fateantur Ieſum Chriſtum Obedientiâ ſuâ meruiſſe pro nobis omnia, meritum tamen propriè dictum, ſive (ut loquuntur) *meritum ex condigno*, Operibus noſtris per ſe, & citra reſpectum ad Fœdus Evangelii gratioſiſſimum ſpectatis, (neſcio quâ vecordiâ abrepti) tribuere non ſunt veriti; à quo dogmate ipſi etiam *Sociniſtæ* abhorrent. Ad cauſam ſine qua non, ſive conditionem ex parte noſtra requiſitam, quod attinet, ſtatuit *Paulus* juſtificari hominem ἐκ πίστεως, vel διὰ πίστεως χωρὶς ἔργων νόμου. Hîc fidenter affirmo, (quod & argumentis omni exceptione majoribus probavi) *Paulum* Fidem non opponere cæteris Virtutibus Evangelicis, quæ ex ipſa proficiſcuntur, eámque ſequi ſolent, ſed tantùm (quod ab ipſo exprimitur) *Operibus Legis*. Apoſtolum enim per Opera Legis intellexiſſe Opera Evangelica, h. e. quæ ex Fide & Gratia Evangelii profluunt, & juxta præſcriptum ejus fiunt, quis ſanus exiſtimaverit? Præſertim cùm ſatis manifeſtum ſit, à *Paulo* in hac Diſputatione Legem ubique contradiſtingui adeóque opponi Evangelio. Quam de *Abrahami* Operibus objectionem ſubjungis, iterum Lectorem moneo, me ex profeſſo & prolixè refutâſſe *Diſſert.* 2. *cap.* 12.

§. 5. Sed unicum illud tuum argumentum adhuc fortaſse quærendum eſt, nempe, in loco illo celebri ad *Romanos* 3. 25. ubi mentio fit *Fidei in Chriſti Sanguinem*. Quippe ſenſiſſe videris, in loco illo Fidem quandam ſpecialem à *Paulo* indicari, quæ vim habet per ſe juſtificatricem, ſive quæ Juſtificationem neceſſario ſecum nexu trahat. Inanem prorsùs non

eſſe

esse hanc conjecturam meam hinc patet, quod tum ipse mox ex hoc loco colligis, speciale objectum Fidei Justificantis, quà talis, esse Christi Sanguinem; tum Pater quoque tuus (cujus scrinia compilas) idem quoque facit. Nam in Epistola secunda ad *Baxterum* hæc ejus verba lego: *Illa loquendi formula,* πίστις ἐν τῷ αἵματι, *Fides sive Fiducia in Sanguine, innuere videtur, virtutem hanc præ aliis relationem quandam magis specialem habere ad Satisfactionem pro peccatis nostris divinæ Justitiæ præstitam per Christi perpessiones, quæ sola à nobis allegari potest ad nostram ab iisdem (peccatis) Absolutionem coram Dei Tribunali.* Verè hîc verbis tuis utar, *Multa oculis suffusis videntur, quæ non sunt.* Locum omnino (quod pace vestrâ dixerim) perperàm accepistis, túque Patérque tuus. Locus sic habet: ὃν προέθετο ὁ Θεὸς ἱλαστήριον διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αὐτοῦ αἵματι. Ubi verba accuratiùs expendenti patebit, illud ἐν τῷ αἵματι referendum esse non ad πίστεως, sed ἱλαστήριον, ità ut non speciale Fidei objectum, sed modum Propitiationis à Christo factæ declaret, hoc modo: *Quem proposuit Deus placamentum in Sanguine suo per Fidem.* Rationes hæ sunt: 1°. Ipsa verborum constructio interpretationi vestræ repugnat. Si illud voluisset Apostolus, quod vos somniâstis, ità locutus fuisset, διὰ τῆς πίστεως τῆς εἰς τὸ αὐτοῦ αἷμα. Jam verò primùm deest articulus τῆς ante præpositionem; deinde præpositio non est εἰς, sed ἐν. Denique (quod ex *Beza* observavit *Paræus*) in omnibus MSS. αὐτοῦ legitur cum spiritu denso, non tenui, ut sit reciprocum pro ἑαυτοῦ, proinde verba ἐν αἵματι αὐτοῦ necessariò cum ἱλαστήριον connectenda sint. Quis enim Solœcismum non palpat in his verbis, *per Fidem in Sanguine suo?* Hisce incommodis vestram premi interpretationem viderat *Piscator*, utpote Græcæ Linguæ peritissimus, atque interim (quod meritò quis miretur) ipsam calculo suo approbavit. Sic enim ille in Scholiis ad locum: διὰ τῆς πίστεως ἐν τῷ αἵματι αὐτοῦ. *Omnino existimo pro* αὐτοῦ *cum spiritu denso legendum* αὐτοῦ *cum spiritu tenui:* & ἐλλείπειν *articulum* τῆς *ante præpositionem* ἐν *repetendum ex præcedentibus: ac proinde* ἐν *positum pro* εἰς: *denique post nomen Fidem delendum incisi signum. Clarior erit versio, si dicas, per Fidem in Sanguine ipsius.* Sed quid hoc est aliud quàm Sacrum Textum στρεβλοῦν ad præconceptas nostras hypotheses stabiliendum? 2°. Phrasis πίστις ἐν τῷ αἵματι (si sen-

sum quoque spectas) dura est & insolens. Nusquam alibi apud *Paulum*, vel aliam Scripturam, Sanguis Christi connectitur cum Fide nostra tanquam speciale ejusdem objectum, sed ubique cum verbis, quæ Propitiationem, Reconciliationem, Redemptionem Christi pro nobis factam significant; idque ità ut modum Propitiationis, Reconciliationis, Redemptionis ejusdem semper declaret: quod nemini latere potest, qui S. Scripturas cum cura aliqua unquam lectitaverit. Consule loca, *Eph.* 1. 7. *Col.* 1. 14. *Heb.* 9. v. 12, 13, 14, 18, 19, 20, 21, 22. 3°. Denique verba διὰ τῆς πίστεως omnino desunt in optimo Codice *Alexandrino*; neque ea legit *Chrysostomus*. Sed quid multis opus est in re perspicua? Si *Socinista* essem, tuam hujus loci versionem lubentissimus atque ambabus (quod aiunt) ulnis amplexarer; quippe quæ cum *Socini* placitis optimè conveniat. Is enim ad loca illa Scripturæ in quibus connexio Sanguinis, sive Mortis Christi, cum Remissione peccatorum nobis facta exprimitur, multas explicationes affert, minùm quàm alienas à vocibus & scopo Scripturæ. Præ aliis una ipsi maximè placuit, ità ut ipsam plurimis locis velut causæ suæ statumen inculcet. Est autem hæc; quòd mors Christi nobis id ipsum persuadeat, quod ad Remissionem peccatorum obtinendam requiritur, Fidem scil. sive ut *Socinus* ipse explicat, spem consequendæ vitæ æternæ. Jam huic explicationi confirmandæ quid accommodatius esse possit, quam tua illa *Paulini* loci versio, quæ verba ἐν αἵματι αὐτοῦ non ad Christi Propitiationem, sed ad Fidem nostram, refert? Vide quàm hîc non falsus sim. *Grotius* in posthumis suis annotatis (in quibus nimiùm (proh dolor!) ubique *Socinianis* interpretationibus se delectat) ità locum Apostoli interpretatur: ἱλαστήριον כפרת *in V. Test. dicebatur tegmen arcæ, cui insidens nubes quædam à Deo immissa certum faciebat populum de suo adversùs eum favore*, Lev. 16. 2. Num. 7. 89. *Sic & Deus Christi preces illas ratas habendo, & propter eas mittendo Spiritum in Apostolos*, Joh. 14. 16. *ostendit se bene velle humano generi. Cùm autem addit* διὰ τῆς πίστεως, *ostendit, quomodo quisque effectum illius Bonitatis*, i. e. *Justitiam veram, possit assequi, nempe Fidem habendo Sanguini Christi*, i. e. *doctrinæ per Sanguinem Christi sancitæ, sicut Fœdera sanciri Sanguine solebant.*

Hæc

Hæc ideo prolixiùs disserui, non quòd objectio tua tanti sit, sed quia locum Apostoli satis decantatum verâ suâ interpretatione illustrâsse operæpretium existimaverim. Alioquin enim si daremus, Apostolum phrasi duriusculâ & nusquam alibi in S. Scripturis usurpatâ dixisse πίστις ἐν τῷ αἵματι, quid indè causæ tuæ accederet: nè hilum quidem. Tum enim πίστις ἐν τῷ αἵματι nihil aliud foret, quàm Fides illa quâ credimus, Christum pro peccatis nostris expiandis Sanguinem suum effudisse, simúlque confidimus, Deum Patrem propter effusum Sanguinem Filii sui nobis resipiscentibus fore propitium. Hanc autem Fidem Justificationis effectum non attingere, nisi Pœnitentiam veram & fructuosam pariat, per se nimis manifestum est.

§. 6. Quod porrò dicis, Fidem non esse σχῆμα ἀρετῶν, sed simplicem Virtutem, concedo. Scilicet Fides (uti observavi *Dissert.* 1. *cap.* 4. Sect. 5.) tam in *Paulinis* Epistolis, quàm in Scripturis Novi Testamenti aliis, ubi per se spectatur, nihil aliud est, quàm assensus ejusmodi, quo Christum credimus passum, mortuum, atque excitatum à mortuis; proinde vera esse, quæ ille Dei nomine sive præcipiendo, sive promittendo, nobis attulit; quod & multis testimoniis probavi, imprimis verò ex *Rom.* 4. 20, 21, 24. *Hab.* 11. 1. 1 *Joh.* 5. 4, 5. *Joh.* 8. 24. Sed dico nihilominùs (quod & validissimis rationibus astruxi) Fidem à *Paulo*, quando Justificationem ipsi tribuit, spectari non ut simplicem Virtutem, sed ut σχῆμα ἀρετῶν, ac toto Virtutum Evangelicarum examine, ac veluti choro, stipatam, h. e. ὡς ἀγάπης, quæ cæterarum omnium Virtutum mater est, ἐνεργουμένην. Illud liquet, vel ex iis ipsis Scripturæ locis, in quibus Apostolus simplicem Virtutem Fidei describit. Quippe in iisdem Fidem ille explicat per assensum; atqui nudo assensui Justificationem ac Salutem non competere apud omnes in confesso est. Si librum meum non prorsùs oscitanter legisses, facilè vidisses, me hanc objectionem tuam anticipâsse, idque in hoc ipso Capite *Dissertationis* posterioris 4. Sect. 10. Subtilem, quam postremo in loco proponis, distinctionem inter credendi, & Fiduciæ sive Fidei justificantis objectum, vanissimam esse ostendi in *Examine Animadversionis* 13.

§. 7. *Co-*

§. 7. *Coronidis* loco poteram hîc congerere ingentem teſtimoniorum acervum è Scriptis Theologorum Reformatorum, qui Fidem, cui Juſtificatio in *Paulinis* Epiſtolis tribuitur, acceperint ſenſu complexo, quatenus nempe notione ſuâ Charitatem illam involvit, quæ omnium bonorum Operum mater eſt. Res tam nota eſt, ut *Eſtius* Pontificius, Scriptor ſummi & judicii & candoris, noſtratium pleriſque objiciat, quòd dicant, *Fidem & Charitatem eſſe rem eandem.* Sed nolim tot Authorum loca deſcribendo, & Lectori & mihiipſi tædium afferre. Nequeo tamen mihi temperare, quò minùs unum teſtimonium illuſtre adferam viri inter primos Reformatores illuſtris *Huldrychi Zuinglii, Commentar. de vera & falſa Religione, cap. de Merito.* Hujus ibidem hæc ſunt " verba ipſiſſima: Omnia Opera Pietatis aut Carnis fructus " ſunt. Nam ſi pius es, ex Fide iis rebus ſtudes, quas Fides dictat. Qui enim Fidem habet, Deus in eo eſt, & ipſe " in Deo. At nè quiſquam dicat, hoc Charitatis eſt quod tu " Fidei tribuiſti, conſiderandum eſt, quòd Fides in Scripturis " Sacris variè accipitur: primùm, pro credulitate: deinde, " pro firmitudine: mox, pro Fiducia in Deum: & de iſta " ſola debet intelligi, quòd Fides ſalvum faciat. Qui verò " jam non intelligunt Fidem, Spem, & Charitatem, eandem " rem eſſe, nempe, hanc in Deum Fiduciam, multos nodos " in Scriptura cogentur inexplicatos præterire. Id autem " Scripturis manifeſtum fiet. *Spe ſalvi facti ſumus*, Rom. 8. " Et *Rom.* 4. *Fides credenti reputatur ad Juſtitiam.* Si ergò " Spes ſalvum facit, & Fides ſalvum facit, erunt eadem res " Spes & Fides. Nec quenquam moveat, ſi quando aliter " de Spe, quàm Fide dicatur. Illic enim Fides non accipitur pro Fiducia in Deum, ſed aut pro qualibet Credulitate, aut pro Firmitudine, aut Veritate. *Charitas verò* " *Deus ipſe eſt*, 1 Joh. 4. Et *qui manet in Charitate in Deo manet, & Deus in eo. Joh.* autem ſexto: *Qui manducat carnem* " *meam, & bibit ſanguinem meum, in me manet, & ego in illo.* " Hoc eſt, qui Chriſto fidit pro nobis paſſo, in Chriſto manet " & ipſe in eo. Ergò Fidem & Charitatem eandem rem " eſſe oportet. Neque hîc quiſquam miretur vereatúrque " à nobis confundi tres iſtas Virtutes Theologicas. Nos " ſanè hoc ex Sacris Literis didicimus, quod niſi quælibet " harum

In lib. 3. diſt. 23. Sect. 7. in ipſe initio.

pag. 341, 342. edit. Tigur.

" harum Virtutum ſit altera, planè nihil ſit, nedum Virtus. " Fidem ſi de Chriſto habeas, nec in eum ſperes, nec reda- " mes, ad nihilum valet, *Jacob.* 2. Spem ſi te habere dicas " in Deum, nec ames, mendacem teipſum facis: Nam ſi de " Deo ſic doctus es, ut meritò videas in eum eſſe ſperan- " dum, fieri nequit ut ſummum eſſe bonum non agnoſcas; Si " ſummum eſſe bonum agnoveris, fieri nequit ut non ames: " Si ames, nec ſperes, jam verba das, nequit enim amare " Deum qui illo non fidit. Habet ergo humanum pectus " Deo conjunctum, hoc eſt, Pietas, alia atque alia nomina ab " incremento. Fidem aliquando accipimus pro Credulitate, " hanc intelligendi ordine ſequitur Spes, iſtam verò Chari- " tas: porrò deinde tota iſta humani cordis in Deum Fidu- " cia, Fides interim, interim autem Spes & Charitas appel- " latur: nec quicquam aliud eſt quàm in Deum Pietas, ſive " ames, ſperes, aut fidas. Hinc fit ut quandoquidem tria " hæc complectitur una Pietas, Fides pro Charitate, & Spes " pro Fide accipiatur. Hæc ille. Qui autem non videt hoc teſtimonium ad *Zegeri*, h. e. noſtram, ſententiam confirman- dam (quam tu ineptiſſimam vocas) appoſitiſſimam eſſe, cum tua verò veluti directâ acie pugnare, ſanè is nihil videt. Nam, 1°. Clarè hîc docet *Zuinglius*, Fidem cui Juſtificatio & Salus in Scripturis tribuitur (& ſpeciatim Fidem illam, de qua *Paulus* dicit quòd imputetur homini in Juſtitiam, *Rom.* 4.) ejuſmodi eſſe Fiduciam, quæ tres Virtutes Theologicas, Fidem, Spem, & Charitatem complectatur, quæque idem planè ſit, quod univerſa *Pietas* Chriſtiana, ſive *Pectus Deo conjunctum*. 2°. Diſertè affirmat, niſi hoc teneatur, futurum ut multi in Scripturis nodi inexplicati maneant. Cogitavit dubio procul imprimis ἐναντιοφάνειαν inter *Paulum* & *Jacobum*. Imò nominatim citat locum *Pauli*, *Rom.* 4. ubi Fides homini imputari dicitur ad Juſtitiam, affirmans, niſi Fides ibi ſenſu illo complexo accipiatur, non poſſe locum illum cum aliis conciliari, in quibus Juſtificatio & Salus aliis Virtutibus tri- buitur. Quin & diſertè citat caput ſecundum Epiſtolæ *Ja- cobi*, ut probet Fidem ſimplicem Virtutem ad Juſtificationem hominis nequaquam ſufficere. Vides, mi Cenſor, methodum noſtram conciliandi Apoſtolos *Jacobum* & *Paulum* novam non eſſe, etiamſi ad Reformatos Theologos reſpicias; ut de vete-

veteribus (quos ſat ſcio apud te nullo eſſe in pretio) nihil dicam.

ANIMADVERSIO XVII.

ad Diſſert. 2. Cap. 7.

IN hoc Capite obiter Quæſtionem eventilo, An Lex *Moſis* fuerit ſub ulla χάρι, Lex abſolutiſſimæ adeóque impoſſibilis Virtutis ac Juſtitiæ; atque an Argumentatio Apoſtoli in cap. 3. ad *Rom.* & *Gal.* 3. 10. contra Juſtificationem ex illa Lege hoc fundamento nitatur? Partem Quæſtionis negantem multis argumentis adſtruo. Sed tota hæc *Diſſertatio* mea, ut planè ἀναγσδιόνυσος, à te rejicitur. Ità enim ſcribis ad oram pag. 106. *Propoſito maleſano & operâ infauſtâ Legi* Moſaicæ *perfectionem detrahis, prorsùs* ἀναγσδιονύσως. Paulus *enim agit de Lege illa, quæ Judicii extremi erit norma; quam qui perfectæ Obedientiæ regulam eſſe negat, deſipit. Vide caput ad* Roman. *ſecundum. Ex hujus Legis Operibus quenquam Juſtificari negat, c.* 3.

RESPONSIO ad Animadverſionem XVII.

§. 1. Non memini me tot σφάλματα graviſſima in tam paucis verbis congeſta unquam vidiſſe. Nam, 1°. Non hîc Legi *Moſaicæ*, ut tu ſomnias, perfectionem detraho magis quàm Evangelio. Quanquam enim Legem *Moſaicam* Evangelio collatam imperfectiorem eſſe Obedientiæ regulam, veriſſimum ſit; tamen hoc in loco res iſta non agitur. Nego Legem *Moſaicam* Legem fuiſſe perfectiſſimæ Obedientiæ, eodem ſenſu quo & Evangelium eſſe perfectæ Obedientiæ Legem nego. Scil. Ex ſcopo totius hujus Diſputationis liquet, me per Legem perfectæ Obedientiæ nihil aliud voluiſſe, quàm ejuſmodi Legem, quæ ab homine perfectiſſimam, atque omnibus numeris & gradibus abſolutiſſimam, Virtutem exigit ut condi-

conditionem Salutis obtinendæ omnino neceſſariam, quæque homini ob minimum talis Juſtitiæ defectum mortem æternam diróſque Gehennæ cruciatus denuntiat. Itaque fruſtrà omnino es, qui contra apertum Quæſtionis ſtatum in ipſo Capitis initio poſitum, contra manifeſtum argumentorum, quibus pugno, ſcopum tibi perſuaſeris, (ut ſoles non rarò in clariſſima luce cœcutire) me hoc in loco in id incumbere, ut probem, *Legem* Moſaicam *eſſe, Evangelio collatam, imperfectam Obedientiæ regulam, & minùs valere ad ſanctitatem pariendam.* Ipſiſſima verba tua agnoſce in notis ad hanc ipſam paginam.

§. 2. Mirari ſatìs nequeo, quod dicis, me hîc Diſputationem inſtituiſſe de Lege *Moſaica* prorsùs ἀπροσδιονύσως· idque ob hanc rationem quòd *Paulus* de alia Lege agat. Nam ex profeſſo Argumentationem Apoſtoli explico, quæ in cap. 3. ad *Roman.* & *Gal.* 3. 10. continetur; quibus utriſque in locis *Paulum* agere de Lege *Moſis* nimis manifeſtum eſt. De loco ad *Gal.* 3. 10. nemo ſanus dubitaverit, ſiquidem ibidem ipſiſſima verba Legis *Moſaica* citantur. An eundem in ſcopum collimet Apoſtolus in Diſputatione illa, quæ *cap.* 3. *ad Roman.* agitatur, reſtat inquirendum. Affirmo, ibi etiam Apoſtolum de Lege *Moſis* diſſerere; quod & his rationibus probo. Primò à viris longè doctiſſimis dudum obſervatum fuit, (cave nè obſervationem contemnas) in *Paulinis* Epiſtolis τὸν νόμον, quotieſcunque abſolutè ponitur, ut in loco controverſo, ſine alia adjectione, conſtanter Legem *Moſis* ſignificare. Cujus ratio manifeſta eſt. Cùm enim triplex omnino Lex ſit, (de Legibus loquimur, quæ ad hominem lapſum pertinent:) Naturæ, *Moſis*, & Evangelica; conſtat Evangelium nuſquam à *Paulo* abſolutè νόμον, nedum τὸν νόμον, appellari; ut neque Naturæ Legem, ſiquidem qui iſtâ ſolâ fruuntur, dicuntur ab ipſo eſſe χωρὶς νόμου, Rom. 2. 12. & νόμον μὴ ἔχοντες, ibid. v. 14. Deinde contextus capitis, de quo diſceptatur, planè demonſtrat, ſermonem Apoſtoli ibidem ad Legem *Moſaicam* pertinere. Quippe in Capitis initio *Judæos* peccati arguit *Paulus* (de *Gentibus* egerat cap. 2.) ex multis veteris Inſtrumenti teſtimoniis. Quæ teſtimonia nè *Judæi* ad ſe neutiquam pertinere cauſarentur, addit *Paulus* v. 19. οἴδαμεν γὰρ ὅτι, ὅσα ὁ νόμος λέγει, τοῖς ἐν τῷ νόμῳ λαλεῖ.

veteribus (quos sat scio apud te nullo esse in pretio) nihil dicam.

ANIMADVERSIO XVII.

ad Dissert. 2. Cap. 7.

IN hoc Capite obiter Quæstionem eventilo, An Lex *Mosis* fuerit sub ulla χάσει, Lex absolutissimæ adeóque impossibilis Virtutis ac Justitiæ; atque an Argumentatio Apostoli in cap. 3. ad *Rom.* & *Gal.* 3. 10. contra Justificationem ex illa Lege hoc fundamento nitatur? Partem Quæstionis negantem multis argumentis adstruo. Sed tota hæc *Dissertatio* mea, ut planè ἀπεροδιόνυσος, à te rejicitur. Ità enim scribis ad oram pag. 106. *Proposito malesano & operâ infaustâ Legi* Mosaicæ *perfectionem detrahit, prorsùs* ἀπεροδιονύσως. Paulus *enim agit de Lege illa, quæ Judicii extremi erit norma; quam qui perfectæ Obedientiæ regulam esse negat, desipit. Vide caput ad* Roman. *secundum. Ex hujus Legis Operibus quenquam Justificari negat, c.* 3.

RESPONSIO ad Animadversionem XVII.

§. 1. Non memini me tot σφάλματα gravissima in tam paucis verbis congesta unquam vidisse. Nam, 1°. Non hîc Legi *Mosaicæ*, ut tu somnias, perfectionem detraho magìs quàm Evangelio. Quanquam enim Legem *Mosaicam* Evangelio collatam imperfectiorem esse Obedientiæ regulam, verissimum sit; tamen hoc in loco res ista non agitur. Nego Legem *Mosaicam* Legem fuisse perfectissimæ Obedientiæ, eodem sensu quo & Evangelium esse perfectæ Obedientiæ Legem nego. Scil. Ex scopo totius hujus Disputationis liquet, me per Legem perfectæ Obedientiæ nihil aliud voluisse, quàm ejusmodi Legem, quæ ab homine perfectissimam, atque omnibus numeris & gradibus absolutissimam, Virtutem exigit ut condi-

conditionem Salutis obtinendæ omnino neceſſariam, quæque homini ob minimum talis Juſtitiæ defectum mortem æternam diróſque Gehennæ cruciatus denuntiat. Itaque fruſtrà omnino es, qui contra apertum Quæſtionis ſtatum in ipſo Capitis initio poſitum, contra manifeſtum argumentorum, quibus pugno, ſcopum tibi perſuaſeris, (ut ſoles non rarò in clariſſima luce cœcutire) me hoc in loco in id incumbere, ut probem, *Legem* Moſaicam *eſſe*, *Evangelio collatam*, *imperfectam Obedientiæ regulam*, *& minùs valere ad ſanctitatem pariendam.* Ipſiſſima verba tua agnoſce in notis ad hanc ipſam paginam.

§. 2. Mirari ſatìs nequeo, quod dicis, me hîc Diſputationem inſtituiſſe de Lege *Moſaica* prorsùs ἀπροσδιονύσως· idque ob hanc rationem quòd *Paulus* de alia Lege agat. Nam ex profeſſo Argumentationem Apoſtoli explico, quæ in cap. 3. ad *Roman.* & *Gal.* 3. 10. continetur; quibus utriſque in locis *Paulum* agere de Lege *Moſis* nimis manifeſtum eſt. De loco ad *Gal.* 3. 10. nemo ſanus dubitaverit, ſiquidem ibidem ipſiſſima verba Legis *Moſaica* citantur. An eundem in ſcopum collimet Apoſtolus in Diſputatione illa, quæ *cap.* 3. *ad Roman.* agitatur, reſtat inquirendum. Affirmo, ibi etiam Apoſtolum de Lege *Moſis* diſſerere; quod & his rationibus probo. Primò à viris longè doctiſſimis dudum obſervatum fuit, (cave nè obſervationem contemnas) in *Paulinis* Epiſtolis τὸν νόμον, quotieſcunque abſolutè ponitur, ut in loco controverſo, ſine alia adjectione, conſtanter Legem *Moſis* ſignificare. Cujus ratio manifeſta eſt. Cùm enim triplex omnino Lex ſit, (de Legibus loquimur, quæ ad hominem lapſum pertinent:) Naturæ, *Moſis*, & Evangelica; conſtat Evangelium nuſquam à *Paulo* abſolutè νόμον, nedum τὸν νόμον, appellari; ut neque Naturæ Legem, ſiquidem qui iſtâ ſolâ fruuntur, dicuntur ab ipſo eſſe χωρὶς νόμου, Rom. 2. 12. & νόμον μὴ ἔχοντες, ibid. v. 14. Deinde contextus capitis, de quo diſceptatur, planè demonſtrat, ſermonem Apoſtoli ibidem ad Legem *Moſaicam* pertinere. Quippe in Capitis initio *Judæos* peccati arguit *Paulus* (de *Gentibus* egerat cap. 2.) ex multis veteris Inſtrumenti teſtimoniis. Quæ teſtimonia nè *Judæi* ad ſe neutiquam pertinere cauſarentur, addit *Paulus* v. 19. οἴδαμεν γὰρ ὅτι, ὅσα ὁ νόμος λέγει, τοῖς ἐν τῷ νόμῳ λαλεῖ.

Ubi τὲς ἐν τῷ νόμῳ intelligit *Judæos* & Proſelytas, qui integram *Judæorum* Legem ſuſceperant. Hi enim dicuntur eſſe ἐν νόμῳ loco modò citato, *Rom.* 2. 12. & ὑπὸ νόμε, *Rom.* 6. 15. vel ὑπὸ νόμον, 1 *Cor.* 9. 20. Ἀμέσως autem v. 20. ſubjungit Apoſtolus, Διότι ἐξ ἔργων νόμε ὐ δικαιωθήσεται πᾶσα σαρξ. Quis jam, niſi qui deditâ operâ cœcutiat, non ſtatim videt, loqui hîc Apoſtolum de ea Lege, cui ſubjecti erant *Judæi*, nempe *Moſaicâ*. Itidem Apoſtolum v. 19. Διότι ἐξ ἔργων νόμε ὐ δικαιωθήσεται πᾶσα σαρξ. & v. 28. Λογιζόμεθα πίστει δικαιῦσθαι ἄνθρωπον χωρὶς ἔργων νόμε, de eadem Lege locutum fuiſſe, quis neget? Atqui in poſteriori loco de Lege *Judæis* data loqui Apoſtolum, apertiſſimum eſt ex verbis immediatè conſequentibus, v. 29. *An Judæorum Deus ſolus? annon & Gentium? Certè & Gentium.* Ubi habes, ut *Beza* notavit, argumentum ab abſurdo. *Si à Lege* Moſis *penderet Juſtificatio, Deus ſolis Judæis eſſet ſervator. Item, ſi aliâ ratione Judæos, aliâ Gentes, ſervaret, non eſſet ſui ſimilis; utroſque igitur unâ & eâdem ratione juſtificabit, nempe per Fidem Evangelii.*

§. 3. Ità loqueris, quaſi una aliqua Lex eſſet, quæ judicii norma futura ſit omnibus in ultimo illo die, ídque liqueret ex *cap.* 2. *ad Roman.* quòd utrumque falſiſſimum eſt. Non omnes ad ejuſdem Legis normam exigentur in ultimo Judicio; ſed unuſquiſque ad normam Legis, ſive οἰκονομίας, ſub qua vixit; quod apertiſſimè docet Apoſtolus, Capitis citati v. 12. *Qui ſine Lege peccaverunt, ſine Lege etiam peribunt: & qui in Lege peccaverunt, ex Lege judicabuntur*; h. e. Gentes, qui Lege ſcriptâ caruerunt, ex Lege Naturæ judicabuntur: Judæi verò ex Lege ſcripta *Moſis*, ſcil. quæ ipſis lata fuerit.

§. 4. Qui Legem, quæ Judicii extremi norma erit, perfectæ Obedientiæ Legem eſſe (quo ſenſu Lex perfectæ Obedientiæ in Diſputatione noſtra accipitur) affirmat, is non modò deſipit, ſed & planè inſanit. Ex iſta quippe affirmatione ſequeretur, univerſum hominum genus in extremo Judicio funditùs periturum.

§. 5. Si juxta ſenſum tuum accipiatur Lex perfectæ Obedientiæ, nempe pro Lege ejuſmodi, quæ abſolutiſſimam Virtutem eam non exigat, ſive poſtulet ſub periculo animæ, proponit tamen oſtendítque; nè ſic quidem verum erit, homines

mines omnes ad normam Legis, quæ ſit perfectæ Obedientiæ regula, judicatum iri. Nam omnes illi, qui Lege poſitivâ caruerunt, (qui longè maxima ſemper pars hominum fuere) ad normam Legis Naturalis judicabuntur, apertiſſimè illud docente Apoſtolo in loco modò laudato, nempe, *Rom.* 2. 12. Atqui Legem merè naturalem perfectæ Virtutis regulam eſſe per omnia Evangelio parem, qui dixerit, ad *Anticyras* relegandus eſt.

§. 6. Denique, illud omnem dementiam ſuperat, quod poſtremo in loco affirmas, nempe, *Paulum* ad *Rom.* 3. negare, quenquam ex Lege, quæ Judicii extremi erit norma, juſtificari. Hoc ſcil. tandundem eſt directè, ac ſi dixiſſes, *Paulum* docere, neminem hominem in extremo Judicio ſalvum fore. Cùm enim Judicii divini duo ſint tantùm actus oppoſiti, Juſtificatio & Condemnatio, ſi nemo ex Lege, quæ extremi Judicii norma erit, juſtificabitur, omnino ſequitur, omnes homines in extremo Judicio condemnatum iri. Pudet me pigétque tam ſpiſſas abſurditates ſeriò & operosè inſectari; & tamen has tu *Animadverſiones* in librum appellas. Deſines profectò, mi Cenſor, in poſterum, ſi ſapis, *Criticam* profiteri, qui toties in hoc artis tuæ ſpecimine adeò tupiter temet dederis.

APPENDIX ad Examen *ANIMADVERSIONIS* XVII.

§. 1. Quanquam Cenſor ille inſcitè admodum vellicavit, quæ in hoc Capite de Lege perfectæ Obedientiæ diſputavi; ingenuè tamen fateor, hanc παρέκβασιν noſtram viris quibuſdam doctis ac piis aliis de cauſis à veris non abſimilibus diſplicuiſſe. His ut faciam ſatis pro virili conabor. Qui conatus noſter ſi fortè irritus ſit futurus, illud ſaltem cogitabunt æqui rerum æſtimatores, me in iſto *Harmoniæ* capitulo tantùm ſententiam meam modeſtè & ſalvo meliori judicio propoſuiſſe; quin & totum illum ſermonem παρέκβασιν

esse, ut dixi, quæ si prætermissa fuerit, nihil de instituto nostro principali, quod conciliationem D. *Pauli* cum *Jacobo* attinet, decessurum.

§. 2. Hîc autem ut omnem λογομαχίαν evitemus, primò ostendendum paucis, quid per *Legem perfectæ Obedientiæ* intelligamus. Per Legem perfectæ Obedientiæ nolumus aliud intelligi, quàm Legem ab Evangelio distinctam eóque priorem, quæ virtutem, sive æternæ Legi conformitatem absolûtissimam, h. e. non modò quod ad partes, sed quod ad gradus etiam attinet, ídque juxta omnes (ut loquuntur) particulas & circumstantias perfectam, qualis à primo homine in statu integritatis posito, atque auxiliis Spiritûs Divini adjuto præstari potuit, ab homine lapso exigit, cum promisso vitæ cœlestis atque æternæ, si talem Justitiam præstiterit, cum sempiternæ verò mortis comminatione, si ab ea vel minimùm deflexerit. Hoc illud est quod Lex, sive Fœdus Operum, à Theologis vulgò (sed perperàm, ut suprà observatum est) appellatur. Dico autem, 1°. Nullam talem Legem post lapsum primi hominis extare: 2°. Apostoli argumentationem, cùm negat quenquam per Legem *Mosaicam* justificari posse, neutiquam ex hac Hypothesi procedere, quòd Lex *Mosis* istiusmodi Lex Operum fuerit; sed planè alio fundamento niti: nempe, quòd Lex ista, sub ea σκοπιᾷ quâ ab Apostolo consideratur, nullam prorsùs veram Justificationem, h. e. cum æternæ vitæ donatione conjunctam, sub quavis conditione concesserit. Hanc posteriorem assertionem post hæc suo loco contra Censorem evidentissimis argumentis adstruemus. Hîc in prioris assertionis demonstrationem incumbendum.

§. 3. Mirum est, quales hîc nonnulli Tragœdias excitent. Clamant hâc assertione meâ Theologiæ Orthodoxæ Systema universum concuti, discerpi, dilacerari; Legis pariter atque Evangelii ipsa fundamenta convelli. Sed hæc in Thesin ipsorum (nisi vehementer fallor) aptiùs quadrant. Námque existimo, sententiam illam, quæ statuit lapsi *Adami* posteros, quâ tales, sub Lege sive Fœdere vitæ æternæ, quale descripsimus, constitui, cum primis ac notissimis Christianismi sive Catholicæ Fidei principiis quasi directâ acie pugnare. Quod ut luculentiùs appareat, Doctrinam Catholicam de

hac

hac quæſtione quibuſdam Theſibus, iiſque perſpicuis, explicabimus.

§. 4. Theſis prima: *Fœdus vitæ cum* Adamo *initum in ſtatu integro, per ipſius peccatum irritum fuit non modò ipſi, ſed & poſteris ipſius; ut jam omnes* Adæ *filii, quà tales, ſint filii mortis, h. e. à promiſſo omni vitæ immortalis penitùs excluſi, ac moriendi neceſſitati, abſque ſpe Reſurrectionis, ſubjecti.*

Nulla eſt in univerſa Theologia hâc Propoſitione certior. Paſſim enim in Scripturis Novi Teſtamenti apertiſſimè ac verbis diſertiſſimis traditur; præſertim in Epiſt. ad *Rom.* cap. 5. ferè per totum. Unde & probati Eccleſiæ veteris Doctores univerſi, tum qui ante, tum qui poſt *Pelagium* vixere, in ea conſenſerunt; neque unquam à quoquam impunè & ſine hæreſeos nota negata fuit. Jure autem potuiſſe Deum ob ſolum *Adami* peccatum poſteros ipſius omnes à vita immortali excludere, nimis manifeſtum eſt. Nam (ut optimè clariſſimus *Gerardus Voſſius*) *licèt* Adam *non peccâſſet, poterat tamen Deus, qui liberrimus eſt donorum ſuorum diſpenſator, creare hominem ad finem naturalem, eóque & Gratiæ in hac vita, & poſt hanc vitam gloriæ expertem. Evidentiſſimum autem eſt, quod poterat Deus abſolutè, idem potuiſſe relatè, hoc eſt, cum reſpectu ad primum primorum parentum delictum: quo ſimul oſtendat, ſe juſti Judicis officio perfungi.* Jam Theſis adverſariorum cum hac Catholica Veritate nullo modo poteſt conſiſtere. Nam à promiſſo omni vitæ immortalis penitùs excludi, & eſſe ſub Fœdere, h. e. promiſſo vitæ æternæ quâvis conditione adipiſcendæ, ſunt planè contradictoria, quæ ſimul de eodem homine affirmari nequeunt. *Hiſt. Pelag. lib. 2. par. 1. Theſ. 1.*

Hinc autem ſequitur, Homini in ſtatu lapſo ſpectato, ſi per impoſſibile Juſtitiam ſupponeretur abſolutiſſimam præſtitiſſe, qualis ab homine integro & perfecto præſtari potuit ac debuit, nullum indè jus acceſſurum ad vitam cœleſtem atq; æternam. Nam quo titulo jus illud niteretur? An pacto ac promiſſione divinâ? At homo iſte jam ſupponitur ab omni promiſſo vitæ immortalis planè excluſus. An Juſtitiæ ipſius merito? Atqui ſani omnes Theologi fatentur, vitam cœleſtem atque æternam gratuitum eſſe Dei donum, adeóque immenſæ liberalitatis, quod nè primo quidem homini in ſtatu integro perfectiſſimè operanti ex ſtricto jure deberi potuit.

§. 5. Theſis

§. 5. Theſis ſecunda : *Omnes illi ex lapſi* Adami *poſteris, qui revelatione divinâ prorsùs deſtituuntur, quibúſque nondum innotuit novum vitæ Fœdus, ſolâ Naturæ Lege obſtricti tenentur.*

Tales fuerunt *Gentiles* illi, quos Apoſtolus deſcribit Epiſtolæ ad *Epheſ.* cap. 2. quóſque pronuntiat *extraneos quod ad pactorum promiſſiones attinet*, ibid. v. 22. De his in hac propoſitione duo affirmamus ; 1. Eos Naturæ Lege adhuc obſtrictos teneri ; 2. Eos obſtrictos teneri ſolâ Lege naturali. Quod ad prius attinet, notandum eſt, humanum genus, etiamſi per peccatum primi hominis ab intimiore Dei Gratia ac Favore exciderit, dominio tamen divino neque exemptum fuiſſe, neque eximi potuiſſe. Deſiit quidem homo lapſus Dei eſſe amicus, ſaltem interioris admiſſionis ; ſed manſit tamen Domini ſupremi ſubditus. Itaque Lex Naturæ ut omne Fœdus divinum anteceſſit, ità ceſſante per peccatum gratioſo Dei Fœdere, vim ſuam ac vigorem adhuc retinuit. Juxta hanc Legem tenetur homo lapſus pro viribus ſibi relictis omne illud facere, quod ad officium ſuum Deo debitum pertinere, ratio in conſilium adhibita dictaverit. Poſterius illud probatione vix indiget. Nam ſepoſitâ omni revelatione ac pactione divinâ, manifeſtum eſt nihil homini reſtare præter Legem Naturæ, quæ aboleri nequit. Quin & idem ab Apoſtolo ſatìs perſpicuè docetur *Rom.* 2. v. 12.

§. 6. Theſis tertia : *Lex Naturæ (h. e. dictamen rationis) quatenus in homine lapſo ſpectatur, ut Spiritu ac Revelatione divinâ deſtituta, nequaquam abſolutiſſimam virtutem præſcribit, neque ejuſdem Legis obſervationi vita immortalis ac cœleſtis debetur.*

Duo ſunt hujus Theſeos membra ; 1. Legem Naturæ per ſe ſpectatam nequaquam Virtutem abſolutiſſimam præſcribere : 2. Ejuſdem Legis obſervationi vitam immortalem ac cœleſtem neutiquam deberi. Quod ad prius illud attinet, latus hìc aperitur campus diſſerendi de Lege Naturali, quæ præcepta contineat, quouſque ſe extendat, *&c.* ubi multa obſervatu non indigna proferre potuiſſem. Sed inſtituti noſtri ratio non patitur, ut ad iſta divertamur. Legem verò Naturalem ψιλὴν abſolutiſſimam Virtutem non præſcribere, hâc unâ ratione facilè probatur. Lex Naturæ contenta eſt

Vir-

Virtute ei, quæ in Evangelio præſcribitur, longè inferiore; ergò Virtutem abſolutiſſimam nequaquam præſcribit. Ratio conſequentiæ manifeſta eſt. Nam abſolutiſſimâ Virtute nihil majus, nihil ſuperius aut perfectius ab homine poteſt exigi. Antecedens quoque puto neminem, cui ſinciput ſatis ſanum, in dubium vocaturum. Nimirum Lex Evangelica ideo dicitur à Theologis Lex *ſupernaturalis*, quòd Virtutis perfectionem Naturæ modulum longè excedentem præſcribit. Nec quicquam certius eſt, quàm nos Chriſtianos, quibus cœleſtis Evangelii lux affulſit, Lege teneri ad Virtutis gradum aſſequendum illo multò ſublimiorem, ad quam *Ethnici* obligantur, qui tenui ac ſubobſcuro Naturæ lumine ſolo fruuntur. Quippe illud *Juſtini* Martyris omnium veterum (ni fallor) Theologorum conſenſu comprobatur, τὸ μὲν γὰρ ἔτι κατὰ φύσιν βίῳ ὑδέπω πιστευκότος ὄζει· i. e. *Secundùm naturam adhuc vivere, nondum credentis eſt.* Poſterius membrum Propoſitionis quod attinet, quiſquis Legem Naturæ violaverit, ſupplicio obnoxius eſt, quale ipſi irrogare Juſtitiæ, Sapientiæ atque Æquitati Divinæ viſum fuerit; ſed ejuſdem Legis obſervationi vitam immortalem ac cœleſtem ullatenus deberi, nemo, opinor, Catholicus affirmaverit. Námque immortalitas primi hominis, dum in ſtatu integro maneret, non Naturæ Lege (quæ tamen in ipſo perfectiſſima fuit) nitebatur, ſed Gratiâ ac promiſſo Dei. Imò Legis merè naturalis obſervationi vita illa æterna atque cœleſtis, quæ nobis Chriſtianis promittitur, adeò non debetur, ut Religio naturalis ſola nè aptum quidem ſive idoneum reddat hominem ad talem vitam ex promiſſo Dei obtinendam. Nam medium naturale nullam habet ordinationem (ut loquuntur Scholaſtici) ad finem ſupernaturalem. Neque hîc ſive mea, ſive Scholaſticorum ſomnia Lectori obtrudo. Concors conſtánſque eſt Catholicorum omnium Doctorum, cùm qui ante, tum qui poſt *Pelagium* vixere, ſententia, (conſentientibus antiquiſſimis Hebræorum Magiſtris) primum hominem non modò cum Integritate Naturæ conditum, ſed & Divino inſuper Spiritu donatum fuiſſe; quo, tanquam principio quodam τῆς θείας φύσεως, naturales ipſius facultates (alioquin ad id nequaquam ſuffecturæ) attollerentur ad beatitudinem cœleſtem (quam ipſi in conſilio Dei deſtinatam, cujúſque veluti typum

Epiſt. ad Diognetum pag. 504. *edit.* Pariſ. 1636.

fuiſſe terreſtris *Paradiſi* Fælicitatem meritò credidere) conſequendam. Nihil hîc affirmo, quod non facilè præſtare poſſum, imò (nè quid diſſimulem) quod non jamdudum abundè præſtiti in chartis quibuſdam Anglicè exaratis, quibus reſpondeo ad Domini *Trumanni* librum, adverſùs me Latinè differentem, Anglicano idiomate (perabſurdè) conſcriptum; quas ideo quia Anglicè exaratæ ſunt (utpote veritus nè rudis plebecula tractatione profundiorum quarundam quæſtionum, ad quas me adegit viri illius nimia ſubtilitas, offenderetur) hactenus inter adverſaria volui deliteſcere, contentus cum paucis amicis meis (quos hujus rei teſtes habeo) eaſdem communicâſſe. Quippe ſi vera ſit hæc Catholicorum Patrum unanimis ſententia, concidit diſtinctio *de naturali & morali impotentia*, quam (ex *Amyraldi* ſcriptis hauſtam, ac *Baxteri* ſuffragio munitam) Author ille novæ ſuæ Theologiæ tanquam fundamentum ſubſternit. Scilicet huc redit ejus Hypotheſis; abſque morali eſſet impotentiâ, h. e. (ut ipſe ſe explicat) voluntatis malitiâ (quam interim à nativitate ſua omnes trahere affirmat, ut moralis illa impotentia tandem in naturalem recidat) poſſe unumquemque *Adæ* lapſi filium, cui ſatis ſanum cerebellum, omnem Dei Legem ſibi ſufficienter revelatam, ſine ullius Gratiæ interioris adminiculo perfectè præſtare. Ex hac abſurda Hypotheſi multa alia abſurda deducit; v.g. Deum jure poſſe ab homine lapſo abſolutiſſimam Virtutem exigere, etiamſi nullam gratiam det, aut dare paratus ſit, quâ Virtus illa præſtetur: Legem Naturæ ipſam obſervantibus vitam æternam dare poſſe: Evangelicam Legem ſecum non afferre Gratiam, ad præſtandam Obedientiam quam requirit; ſed Gratiam illam ex mero Dei beneplacito dari paucis quibuſdam, qui electi vocantur: cæteros mortales juſtè damnari, quia bona agere poſſent ſi vellent, cùm velle non poſſint. Sed fundamentum horum dogmatum (quæ certè anathemate digniſſima cenſuiſſet vetus Eccleſia) eſt *Pelagianum* prorsùs & falſiſſimum; niſi verò egregiè falſi fuerint Catholici Patres univerſi. Quippe credidere illi (ut modò dictum eſt) primos homines etiam in ſtatu innocentiæ; cùm nulla ipſis adhæreſceret *moralis impotentia*, nulla vel minima voluntatis pravitas; cùm Naturæ Facultates, tam corporis quàm

quàm animi, in ipſis eſſent integræ ac perfectæ, præterea̓que mirâ externâ Gratiâ, multíſque, quæ *Paradiſi* fælix conſtitutio miniſtrabat, adminiculis adjutæ; nequaquam tamen potuiſſe nativis ſuis viribus, ſine auxilio Spiritûs Divini eaſdem elevante, ad ejuſmodi Virtutem aſſurgere, quæ ipſos idoneos redderet ad beatitudinem cœleſtem percipiendam. Itaque liceat hîc cum Patribus Concilii *Arauſicani* ſecundi ità argumentari: *Natura humana etiamſi in illa integritate, in qua eſt condita, permaneret, nullo modo ſeipſam creatore ſuo non adjuvante ſervaret. Unde cùm ſine Gratia Dei Salutem non poſſit cuſtodire quam accepit, quomodo ſine Gratia Dei poterit reparare quod perdidit?* Ex his autem omnibus ſequitur, neminem, ſub Lege Naturæ ſola conſtitutum, poſſe ad beatitudinem illam cœleſtem, quæ nobis Chriſtianis promittitur, ſolâ vi ejuſdem Legis pervenire; proinde ſi qui ex *Ethnicis*, quibus nunquam affulſit Evangelii lux, Regnum cœleſte acquirant, iſtam beatitudinem illos aſſequi Virtute novi Fœderis in Chriſti Sanguine ſtabiliti, atque adminiculo Gratiæ alicujus ſupernaturalis atque extraordinariæ per Chriſtum illis ſubminiſtratæ: Quod etiam Dominus ipſe docuit *Joh.* 3. 3. *Si quis non ſit natus denuò, non poteſt videre Regnum Dei:* additâ ratione v. 6. *Quod natum eſt ex carne, caro eſt, & quod natum eſt ex Spiritu, Spiritus eſt.* *Concil. Arauſic. Can. 19.*

§. 7. Theſis quarta: *Nullum unquam æternæ vitæ Fœdus cum lapſi* Adami *poſteris iniit Deus, quod non in Chriſto Servatore noſtro, altero illo* Adamo, *confirmatum ac ſancitum fuerit; proinde ipſiſſimum fuerit Evangelium, juxta illud Apoſtoli* Rom. 6. v. ult. *Donum Dei eſt vita æterna in Chriſto Ieſu Domino noſtro.*

Exiſtimamus hanc Theſin inter Chriſtianos pro indubitato axiomate haberi; proinde operosâ ejuſdem probatione ſupersedebimus, nè ſoli lucem fœnerari videamur. Hinc autem conſectarium non inutile Lectori proponimus, nempe, duo omnino æternæ vitæ Fœdera cum humano genere iniviſſe Deum; prius cum homine mox ab ipſius creatione; alterum cum homine lapſo ſancitum, quod Evangelium dicitur. Mentio quidem fit in Scripturis duplicis Fœderis divini. Poſt lapſum hominis, nempe *Moſaici* & *Evangelici*, quorum illud vetus, hoc novum; illud primum, hoc ſecundum dicitur *Jer.* 31. v. 31. &c. *Heb.* 8. v. 7, 8, 13. Atqui manifeſtum eſt, in

istâ distinctione Fœdus *Mosaicum*, ut Evangelio oppositum, carnaliter & juxta literam intelligi; quâ acceptione Fœdus æternæ vitæ nequaquam fuit, neque cum humano genere, sed cum solis Judæis initum. Legimus quoque de Fœdere *Abrahamitico*; verùm illud fuit ipsissimum Evangelium, pro eorum temporum ratione ἀμυδρῶς, & obscuriùs revelatum, teste Apostolo *Gal.* 3. v. 8, 16, 17. Neque pugnat Apostolus *Paulus* in Epistola ad *Galatas*, cum Authore Epistolæ ad *Hebræos*, quanquam hîc Fœdus *Mosaicum*, primum ac vetus, Evangelium, secundum ac novum; ille verò contrà Evangelicum Fœdus primum, *Mosaicum* posterius appellet. Nam *Paulus* loquitur de Evangelio, ut diximus, obscuriùs revelato; quo sensu non modò ante Legem *Mosaicam Abrahamo* utcunque patefactum fuit, sed & ante *Abrahamum*, adeóque statim à lapsu primi hominis obtinuit, *Tit.* 1. v. 1, 2. Author verò Epistolæ ad *Hebræos* Fœdus respicit Evangelicum, quatenus per ac post Adventum Christi pleniſſimè revelatum, atque consummato Redemptoris nostri Sacrificio sancitum fuit; quâ acceptione abolito Fœderi *Mosaico* successit.

Ex his autem quatuor Thesibus jam positis (quarum prima, tertia, & quarta vix sine hæresi negantur, secunda quoque manifestæ veritatis est) confectum est negotium nostrum. Nam si Fœdus vitæ cum *Adamo* initum, per ipsius peccatum irritum fuit, non modò ipsi sed & posteris ipsius; si omnes illi ex *Adami* posteris, quibus nondum innotuit novum vitæ Fœdus, quíque revelatione divinâ destituuntur, solâ Naturæ Lege, quæ neque absolutissimam dictat Virtutem, neque ipsam observantibus vitam æternam dare possit, obstricti tenentur: Si denique novum æternæ vitæ Fœdus cum lapsi *Adami* posteris nullum inivit Deus, præter Evangelicum; tum certo certius est nullam esse Legem sive Fœdus ab Evangelio distinctum eóque prius, quod absolutissimam Virtutem ab homine lapso exigit, sub promisso vitæ æternæ, si ejusmodi Justitiam præstiterit, sub æternæ verò damnationis comminatione, si eâdem caruerit, ὅπερ ἔδει δεῖξαι. Ut non necesse sit in hac disquisitione ulteriùs progredi. Verùm quia è re Lectoris id futurum arbitramur, etiam secundi, sive Evangelici Fœderis Naturam ac Rationem Thesibus quibusdam explicare conabimur.

§. 8. Thesis

§. 8. Theſis quinta: *Evangelium, ſive Lex Chriſti, quanquam eximiam quandam Religionem præſcribit, (præſertim quà in Scriptis Novi Inſtrumenti pleniſſimè revelatur) nihil tamen homini lapſo præcipit, quod per Gratiam quam promittit non poſſit impleri.*

Hæc Theſis facilè probatur tum ex Scripturis, tum Veterum teſtimoniis, tum denique ratione manifeſtâ. Primùm, ut par eſt, ſacra Oracula audiamus. Clara ſunt imprimis loca, quæ in *Harmonia* ex D. *Paulo* jam citavimus; in quibus Lex Evangelica appellatur δύναμις Θεῦ, *Potentia Dei*, Rom. 1. 16. νόμος πνεύματος ζωῆς ἐν Χριστῷ Ιησοῦ· *Lex Spiritûs vitæ in Chriſto Ieſu*, Rom. 8. 2. πνεῦμα, *Spiritus*, 2 Cor. 3. 6. διακονία πνεύματος, *miniſterium Spiritûs*, ibid. v. 8. Quippe ex his locis manifeſtum eſt, Spiritum Chriſti cum Lege ipſius individuo nexu conjunctum eſſe, ac pari paſſu procedere; ità ut nihil in Lege Evangelica præcipiatur, ad quod præſtandum non ſufficiat Gratia quam ſubminiſtrat. Scil. Evangelium quatenus eſt Lex, eatenus eſt Lex Spiritûs. Vide & *Rom.* 8. v. 2, 3, 4. *Heb.* 8. v. 10. 1 *Joh.* 5. v. 3.

§. 9. Ad Patres quod attinet, communis fuit Catholicorum Doctorum, qui ante *Pelagium* vixere, ſententia, poſſe hominem per Gratiam Chriſti omnia ipſius mandata implere; ut id ſatis clarè jam oſtendi *Harm. Apoſt. Diſſert.* 2. *cap.* 7. §. 14. Imò Patres illi à potentia ad actum progreſſi, apertè docuerunt, reperiri quoſdam, qui ad perfectam Virtutem perveniant. Sic *Clemens Alexand. Strom.* 6. πάντες μὲν ἓν πρὸς ἀρετῆς κλῆσιν πεφύκασιν· ἀλλ' ὁ μὲν μᾶλλον, ὁ δ' ἧττον ἀφόρμησεν τῇ τε μαθήσει, τῇ τε ἀσκήσει· διὸ καὶ οἱ μὲν ἐξήρκεσαν μέχρι τῆς τελείας ἀρετῆς· οἱ δὲ μέχρι πνὸς ἔφθασαν. i. e. *Itaque omnes quidem apti ſunt ad acquirendam virtutem; ſed alius quidem magìs, alius verò minùs accedit ad diſciplinam & exercitationem. Quocirca alii quidem uſque ad perfectam pervenêre virtutem, alii verò uſque ad aliquam.* p. 662.

Pleniùs *Origenes* cont. *Celſ.* lib. 3. ubi *Celſi* effatum recitat refutátque his verbis: Ἔξῆς δὲ φησὶν ὅτι οἱ ἀναμάρτητοι βελτίους κοινωνοὶ βίου· μὴ σατυρίσας, ἵνα φησὶ τὰς ἀναμαρτήτους, πότερον τῆς ἀρχῆθεν, ἢ τὰς ἐκ μεταβολῆς· οἱ μὲν ἓν ἀρχῆθεν ἀδύνατοι· οἱ δὲ ἐκ μεταβολῆς σπανίως εἰσὶν εὑρισκόμενοι, ὅτινες ἐκ τῆς προσελήλυθέναι λόγῳ σώζονται, τοιοῦτοι γίγνονται. ἐκ δὲ τοιοῦτοι ὄντες τῷ λόγῳ προσέρχονται· χωρὶς γὰρ λόγου, καὶ ταῦτα τελείου, ἀμήχανον ἀναμάρ- p. 153. edit. Cantabrig.

ἀναμάρτητον γενέσθαι ἄνθρωπον. i. e. *Deinceps ait, qui nihil peccant meliorîs vitæ ſunt participes: non explicans, de quibuſnam non peccantibus loquatur, de iis, qui tales ſunt ab initio, an de iis qui tales facti ſunt poſt reſipiſcentiam. Itaque ut ſint, qui ab initio quidem non peccârunt, eſt impoſſibile: qui autem poſt reſipiſcentiam nihil peccant rarò inveniuntur, ex auditu verbi ſalvifici tales redditi, non quòd tales fuerint, priuſquam ad illud accederent. Abſque enim verbo,* cóque perfecto, *impoſſibile eſt hominem ſine peccato eſſe.* Ubi tria docet *Origenes.* 1. Prorsùs impoſſibile eſſe, ut quis antequam ad Gratiam Evangelicam accedat, abſque peccato ſit. 2. Eſſe quoſdam, qui poſt acceptam Evangelii Gratiam, ad iſtud Virtutis faſtigium perveniunt. Sed, 3. Eos quidem pauciſſimos eſſe atque rarò admodum inveniri. Scilicet juxta *Origenem* iſta Virtutis perfectio poſſibilis eſt, proinde reperiuntur quidam, qui ipſam aſſecuti ſunt; ſed ardua tamen res eſt, ac perquam difficilis; ideóque in pauciſſimis invenitur. Rem ſuprà, pauculis lineis interjectis, pulcherrimè atque additâ elegantiſſimâ ſimilitudine explicaverat his verbis: μέγα γὰρ δύναται ἡ προθεσις τὰ δοκοῦντα εἶναι χαλεπώτατα, &c. i. e. *Maximum momentum eſt in voluntate, in quantumvis arduo negotio, atque etiam impoſſibili, ut loquar hyperbolicè, præſertim ſi accedat exercitatio. Incedere per extenſum funem ſublimem in medio Theatro, non ſine gravibus geſtaminibus poteſt, qui uſu ſtudióque improbo hanc facultatem ſibi paravit; & virtutis ſtudium erit irritum, aut impoſſibile videri debet homini utcunque depravato ingenio?*

§. 10. Ad Patres venio, qui poſt exortam *Pelagii* Hæreſim hanc quæſtionem tractârunt. B. *Auguſtinus* eorum princeps, quanquam bono zelo oppugnandi peſtiferum Hæreſiarcham abreptus in aliquibus modum exceſſerit, atque novam Hæreſim ex Fundamentis novis; utpote Eccleſiæ Patribus, qui ipſi Patres fuere, planè incognitis, neque Catholicis ætatis ſuæ ſatìs probatis (quod dudum obſervârunt viri doctiſſimi cæteroquin optimi Patris ſummi admiratores) refutare aggreſſus fuerit; hîc tamen anteceſſorum ſuorum doctrinam mordicùs tenuit eatenus ſaltem, ut conſtanter docuerit, (neque enim hanc unquam ſententiam mutavit, aut in Retractationum ſuarum libros rejecit) poſſe hominem per Dei Gratiam Legem perfectè implere, atque abſque peccato eſſe, etiamſi

amſi de actu diverſum ſenſerit. Teſtimonia huc ſpectantia, ex ipſius Scriptis à ſummo viro *Ger. Voſſio*, aliiſque allata, clara ac diſerta ſunt. Sic *lib. de Grat. & liber. Arb. cap.* 6. & 7. *Aliud eſt quærere, An Lex poſſit obſervari in hac vita in ea parte, quæ eſt ſub præcepto: aliud, an de facto illa à quoquam obſervetur integrè & ſine ulla unquam prævaricatione. Primum aſſerimus, aliud negamus.* Item *cap.* 16. *Magnum aliquid* Pelagiani *ſe ſcire putant, quando dicunt, non juberet Deus, quod ſciret non poſſe ab homine fieri: quis hoc neſciat?* Idem *lib.* 2. *de peccat. merit. & remiſ. cap.* 6. *His atque ſimilibus teſtimoniis dubitare non poſſum, nec Deum aliquid homini impoſſibile præſtitiſſe, nec Deo ad opitulandum atque adjuvandum, quo fiat, quod jubet, impoſſibile aliquid eſſe: ac per hoc poteſt homo, ſi velit, eſſe ſine peccato adjutus à Deo.* Et *cap.* 43. *Non igitur Deus impoſſibilia jubet; ſed jubendo admonet & facere quod poſſis, & petere quod non poſſis.* Et *cap.* 69. *Eo ipſo quo* firmiſſimè creditur, *Deum juſtum & bonum impoſſibilia non potuiſſe præcipere, hinc admonemur, & in facilibus quid agamus, & in difficilibus quid petamus. Omnia quippe facilia ſunt Charitati, cui uni Chriſti ſarcina levis eſt.*

§. 11. *Hieronymus* Fundamentum *Auguſtinianæ* ſententiæ fixum & ratum judicavit. Nam penè initio *lib.* 3. adv. *Pelagianos*, ait, *Deus poſſibilia mandavit: hoc nulli dubium eſt.* Nihilominus idem conſtanter negavit, poſſe hominem per Dei Gratiam ſine peccato vivere. Mirum quo *σύτῳ φαρμάκῳ* tam repugnantes ſententias conciliare potuerit! Scil. Dei præcepta toti Eccleſiæ poſſibilia ſunt, non item ſingulis. En ipſius verba *lib.* 1. adv. *Pelag. Vides*, inquit, *quòd Deus poſſibilia juſſerit: & tamen id quod poſſibile eſt, per naturam nullum poſſe complere? Dedit itaque præcepta diverſa, virtutéſque varias, quas omnes ſimul habere non poſſumus. Atque ità fit, ut quod in alio, aut primum aut totum ſit, in alio ex parte verſetur: & tamen non ſit in crimine, qui non habet omnia: nec condemnetur ex eo quod non habet, ſed juſtificetur ex eo quod poſſidet.* Ibidem, aliquibus interjectis, ait, *Poſſibilia præcepit Deus, & ego fateor. Sed hæc poſſibilia cuncta ſinguli habere non poſſumus, non imbecillitate naturæ, ut calumniam facias Deo, ſed animi aſſuetudine, qui cunctas ſimul & ſemper non poteſt habere Virtutes.* Verùm iſtud *Hieronymi* Commentum haud veritus eſt *Auguſtinus*,

ſtinus execrandæ blaſphemiæ apertè damnare, in celebri loco, quem in *Harmonia* citavimus è Serm. Cxcl. de Tempore. *Execramur etiam blaſphemiam eorum, qui dicunt, impoſſibile aliquid homini à Deo eſſe præceptum, & mandata Dei non à ſinguliſ, ſed ab omnibus in communi poſſe ſervari.* Porrò, *Auguſtinus* à potentia ad actum progreſſus, nec periculosè credidit errari, ſi ſtatuamus, aliquos à converſione per Gratiam Dei ſine peccato vixiſſe, utì legere eſt lib. de *Spir. & lit. cap.* 2.

§ 12. Canones Concilii *Milevitani*, quì hanc quæſtionem ſpectant, omnes non de poſſe, ſed de eſſe loquuntur. Fuere autem omnino tres, 1. *Unumquemque debere dicere, demitte nobis debita noſtra*; 2. *neque id pro aliis ſolùm, ſed etiam pro ſe*; 3. *neque il ex humilitate duntaxat, ſed etiam verè.* Tantùm verò abeſt, ut Patres decreverint expreſſo aliquo Canone, Legem Dei per Gratiam Chriſti impleri non poſſe, ut contrà diſertè contrarium decreverint. Nimirum (ut habetur in Codice Can. cxiii. Canonum *Africanorum* Græcè verſorum) anathema iis denuntiant, qui dicunt, Gratiam Dei per Ieſum Chriſtum πρὸς μόνην ἄφεσιν ἁμαρτιῶν ἰσχύειν τῶν ἤδη πεπλημμελημένων, καὶ μὴ παρέχειν ἔτι μὴν βοήθειαν πρὸς τὸ μὴ ἔτερα πλημμελεῖσθαι. i. e. *Valere ad ſolam jam commiſſorum peccatorum Remiſſionem, & non præbere præterea auxilium, nè deinceps peccetur.* Quin & eos anathemate feriunt, qui de Gratia Chriſti docent, ὡ ὅτι αὐτῆς ἡμῖν παρέχεται, ἵνα ὅπερ γνῶμεν πιστέον, καὶ ποιῶμεν ἔτι μὴν ἀγαπῶμεν καὶ ἰσχύωμεν. i.e. *Per eam nobis non præſtari, ut quod faciendum cognovimus, etiam facere diligamus & valeamus.* Hinc ducentis & ampliùs poſt denatum *Auguſtinum* annis, ejus ſententia pro Catholica veritate habita fuit. Teſtis ejus rei locupletiſſimus eſt Venerabilis *Beda* noſter, Doctorum Eccleſiæ, ſui temporis, facilè princeps, hoſtiſque *Pelagianæ* Hæreſeos acerrimus, qui lib. 1. in Cant. adverſus *Julianum* ſic ſcribit: *Quod dicit, Dominum non impoſſibile aliquid præcepiſſe, qui juſtus eſt: verum profectò dicit, ſi ad ejus reſpicit auxilium, cui Catholica vox ſupplicat, deduc me in ſemita mandatorum tuorum. Si verò viribus animi ſui fidit, refellit eum veridicâ juſti conditoris ſententiâ, quâ dicit, ſine me nihil poteſtis facere.*

Ità Synodus quoque Dioſpolitana expreſsè definivit, rectè dici, hominem cum adjutorio Dei & Gratia poſſe eſſe ſine peccato. *Apud* Auguſt. *de geſtis* Pel. *cap.* 6. *vide & Concil.* Arauſic. 2. *Can. ult.*

§. 13. Cæ-

§. 13. Cæterùm Patres illi, qui negârunt, hominem per Gratiam Chriſti, quæ in Evangelio promittitur, poſſe Legem perfectè implere, ac ſine peccato eſſe, videntur mihi Legem intellexiſſe κατ' ἀκρίβειαν, nempe originalem illam, quæ primum hominem in ſtatu integro obligavit, perfectiſſimúmque fuit exemplar Legis æternæ; ac peccati vocem minùs propriè accepiſſe pro qualicunque nævo ſive defectu, qui, licèt jam humano generi in pœnam primi peccati naturalis factus ſit, neque ullo modo in hac vita penitùs exui poſſit, adcóque non ſit propriè ac formaliter peccatum, ſed potiùs, ut dixi, peccati primi pœna; tamen eſt quædam à Lege æterna, ſive à Creationis Lege deflexio. In hunc peccati cenſum venit illa concupiſcentiæ ſollicitatio, quæ optimos in hac mortali vita plùs minúſve perpetuò exercet, etiamſi nullum omnino voluntatis aſſenſum extorqueat: Item defectus illi omnes atque infirmitates, quæ *prorsùs neceſſariò* profluunt à vitioſo humani corporis temperamento primum peccatum conſecuto, ſive ab amiſſione exquiſitiſſimæ illius ἐυκρασίας, quâ in Creatione ſua dotatus fuit Protoplaſtes, quámque, niſi peccâſſet, conſervare potuiſſet per eſum ligni vitæ ipſi à Deo conceſſum. His malis à primo *Adamo* derivatis noluit Deus, ut Gratia Chriſti ſecundi *Adami* pleno eſſet remedio in hac mortali vita; ſed ex parte ſaltem aliqua eadem remanere voluit etiam in optimis, quamdiu adhuc in via ſunt, tanquam ſtigmata naturæ humanæ inuſta, ac perpetua primi peccati monumenta, quibus homo admoneretur, debere ſe originalis ſui ſtatûs, unde exciderit, ſemper eſſe memorem, modeſtiam conſervare, atque ad patriæ cœleſtis ſanctimoniam perfectiſſimam ardentibus votis adſpirare. Hos autem inevitabiles nævos ac defectus quod attinet, ex Veterum mente ſtatuit doctiſſimus *Spalatenſis* lib. 7. de *Rep. Eccleſ. cap.* 11. Sect. 135, 136. 139. & 149. *Eas conditiones, particulas & circumſtantias perfectæ obedientiæ, quæ humanæ imbecillitati Gratiâ adjutæ impoſſibiles ſunt, nunc non eſſe ſub præcepto.* Nimirùm cautè quæſtionem inſtituerat *Auguſtinus* in loco, quem primum ad hanc Theſin citavimus, his verbis: *An Lex poſſit obſervari in hac vita in ea parte, quæ eſt ſub præcepto?* Unde patet prudentiſſimum Doctorem ſenſiſſe, eas æternæ Legis conditiones, cóſque omnimodæ perfectionis gradûs & circumſtantias, quæ

homini lapso per Gratiam Christi in Evangelio promissam non sunt possibiles, in nova Lege non esse præceptas; quod solum affirmavit *Spalatensis*. Audivimus Patrum testimonia.

§. 14. Denique, Thesis nostra evidentissimâ ratione confirmari potest. Nam, præterquam quòd omnium gentium consensu comprobetur, adeóque inter κοινὰς ἐννοίας numerandum sit, ad impossibile neminem justè obligari posse; (quod etiam non in hominibus solùm, sed vel imprimis in Deo habet locum) illud quoque apprimè observandum, Legem Evangelicam esse Legem Gratiæ, à Deo benevolo in Christo latam. Ut daretur autem Justitiæ adeóque Sapientiæ divinæ non repugnare, Gratiæ tamen certè ex diametro repugnat, homini Legem ferre præstatu impossibilem.

§. 15. Thesis sexta: *Quanquam juxta Evangelium sive Legem Christi omnes illi virtutis gradus, qui nobis per Gratiam ejusdem Evangelii sunt possibiles, sub præcepto sint; tamen sub præcepto non sunt omnes obligante strictè & præcisè sub pœna æternæ damnationis. Neque enim ob quemviscunque defectum, etiam per Gratiam evitabilem, exclusionem à regno cœlorum, nedum Gehennæ cruciatus homini denuntiat Lex Evangelica; sed ob certa quædam peccata duntaxat, quæ fini Legis Charitati, sive amori Dei super omnia, adeóque amicitiæ divinæ repugnant.*

Duo sunt hujus Theseos membra, 1. In Lege Evangelica omnes quidem Virtutis gradus per Gratiam ejusdem Evangelii homini possibiles sub præcepto esse: 2. Nequaquam tamen ejusmodi Virtutis perfectionem sub præcepto esse obligante strictè sub pœna mortis æternæ. Prius illud probatur ex iis Evangelii locis, in quibus universa Justitiæ perfectio possibilis nobis disertè præscribitur, ut *Matth.* 5. *v.* 48. & alibi passim. Illud verò imprimis mandatum 2 *Pet.* 3. v. 18. *Crescite in gratia*, &c. nullas habet metas aut fines citra summam illam Virtutis perfectionem, quæ à nobis per Gratiam Christi acquiri possit; h. e. tenemur semper in Gratia ac Virtute crescere atque augeri, usque dum εἰς μέτρον ἡλικίας τελείας, *ad mensuram adultæ ætatis* (ut loquitur *Clem. Alexand.*) perveniamus. Unde (ut obiter id notem) clarè patet, in Lege Christi supererogationis, quæ vocantur, Operibus locum esse nullum.

Strom. 6. p. 663.

§. 16. Pars

§. 16. Pars altera Theſis noſtræ facilè evincitur ex eis N. T. locis, in quibus pœna excluſionis à Regno Cœlorum atque æternæ mortis certis quibuſdam peccatis propriè adſcribitur. Duo ſunt imprimis hujus generis loca nobiliſſima, 1 *Cor.* 6. v. 9, 10. *An neſcitis quia iniqui Regnum Dei non poſſidebunt? Nolite errare: Neque fornicarii, neque idolis ſervientes, neque adulteri, neque molles, neque maſculorum concubitores, neque fures, neque avari, neque ebrioſi, neque maledici, neque rapaces Regnum Dei poſſidebunt.* Et *Gal.* 5. v. 19, 20, 21. *Porrò manifeſta ſunt opera carnis: quæ ſunt adulterium, ſcortatio, impuritas, laſcivia, idololatria, veneficium, inimicitiæ, lites, æmulationes, excandeſcentiæ, rixæ, diſſidia, hæreſes, invidia, cædes, ebrietates, commeſſationes, & his ſimilia. Et illi qui talia agunt, ſicut antè dixi vobis, etiam nunc dico, quòd Regni Dei non erunt hæredes.* In quo poſteriori loco, cùm poſt enumerationem quorundam peccatorum mortalium, addit *Paulus* καὶ τὰ ὅμοια τούτοις, *atque his ſimilia*, manifeſtum eſt, ipſum voluiſſe ad catalogum peccatorum mortalium à ſe nominatim recenſitorum, etiam peccata illa omnia referri, quæ iſtis ſunt analoga, h. e. quæ à ſimili voluntatis malitia proficiſcuntur. Cùm verò ibidem dicit Apoſtolus de iis, qui à commemoratis ab ipſo peccatis, eorúmque conſimilibus abſtinent, Virtutéſque contrarias exercent, κατὰ τῶν τοιούτων οὐκ ἔστι νόμος, *adversùs hos non eſt Lex*; ſatìs clarè oſtendit, nullam eſſe Legem, quæ ejuſmodi hominibus mortem æternam denuntiat. His conferenda ſunt loca, quæ de peccatis quibuſdam loquuntur, quibus juſti homines ſunt obnoxii etiam dum ipſis Legis obſervatio tribuitur, vitáque ac ſalus æterna promittitur, ut *Jacob.* 3. 2. & alibi. Ex his autem Scripturæ teſtimoniis, ità inter ſe collatis, ſequitur, Eſſe peccata quædam, quæ Juſtitiam & Dei Amicitiam non tollunt, neque mortem æternam inferunt.

§. 17. Objiciunt hîc nonnulli, Evangelium, quatenus repetitionem continet & renovationem Legis Originalis, omni peccato etiam leviſſimo, & cuiviſcunque defectui vel minimo æternam mortem denuntiare; ſed quatenus eſt propriè Lex Gratiæ atque Indulgentiæ, quædam peccata reſipiſcentibus condonare: proinde quòd peccata quædam mortalia non ſint, hinc nequaquam eſſe, quòd ipſis Lex Chriſti mortem non com-

minetur, ſed cauſam eſſe, quòd eadem Lex ſub alia conſideratione eorundem peccatorum Remiſſionem largiatur reſipiſcentibus. Sed fruſtrà prorsùs illi ſunt. Nam 1°. nullum locum ex Evangelio proferre poſſunt, quo iſtam aſſertionem ſuam confirment, nempe, Evangelium minimo etiam defectui æternam mortem denuntiare. Verba enim D. *Jacobi*, quæ ſententiæ iſti imprimis favere videntur, Epiſtolæ ejus cap. 2. v. 10, 11. à propoſito planè aliena eſſe fusè & luculenter oſtendi *Harm. Apoſtol. Diſſert. poſter. cap.* 7. §. 11. Nec magis ad rem faciunt loca illa Scripturæ, quæ generatim peccato tribuunt hos & hujuſmodi effectus, nempe, inimicitiam Dei, perditionem & mortem æternam. Ut *Rom. 6. Stipendium peccati mors.* 1 *Joh.* 3. *Qui facit peccatum ex Diabolo eſt. Pſal.* 5. *Odiſti omnes qui operantur iniquitatem.* Ezek. 18. *Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur.* Nam cuivis loca ipſa expendenti facilè patebit, ea non de quovis peccato, ſed de eo tantùm, quod perfectam peccati rationem habet, id eſt, de peccato, quod mortale dicitur, intelligi debere. 2. Quod dicunt quædam peccata ideò tantùm mortalia non eſſe, quòd per Evangelium, quatenus eſt Lex Gratiæ, ea condonentur reſipiſcentibus, nemini rem preſſiùs conſideranti faciet ſatis. Nam juxta Legem Chriſti ſub iſta σχέσει ſpectatam, nullum eſt omnino peccatum tam grave, quod ſeriò pœnitentiam agenti non ſit veniale; ut in ſequenti Theſi oſtendetur.

§. 18. Ex his facilè determinari poteſt quæſtio, inter Theologos tantopere agitata; An detur peccatum aliquod naturâ ſuâ veniale, ſive non mortale? Nam quæſtio non eſt, An Deus jure poſſit, ſecluſo omni divino Fœdere, hominem ob leviſſimum quodvis peccatum, ſive ob minimum Juſtitiæ defectum à Regno cœleſti excludere? Certè enim jure potuit Deus (quod ſæpiùs monui) homini etiam in ſtatu integro perfectiſſimè operanti, nullóque peccati nævo, nullo defectu maculato, vitam illam cœleſtem (utpote immenſum liberalitatis ſuæ donum) denegare. Neque quiſquam Theologus ſanus illud in dubium vocaverit. Nam Sophiſtæ iſti inter Pontificios, qui hominis etiam lapſi & imperfecti bona Opera quæcunque, ex condigno (ſepoſitâ conſideratione pacti divini) mereri poſſe beatitudinem cœleſtem affirmare auſi ſunt, planè ad *Anticyras* relegandi ſunt. Imò neque per me

hîc

hîc controvertitur, An Deus jure poſſit hominem alioquin juſtum, ipſiúſque mandatorum omnium obſervatione ſeriò ſtudentem, ob leviſſimum quendam defectum, putà ob riſum immodicum, ob verbum temerè prolatum, vel ob aliquam concupiſcentiæ titillationem cum levi aſſenſu, mox reverentiâ divinæ Legis repreſſam atque in partu ſuffocatam, diris Gehennæ cruciatibus addicere? Si cui illud affirmatu durum atque cum ἐπιεικείᾳ divina ἀσύμφωνον non videbitur, nolim cum ipſo contentionis ferram reciprocare. Neque ſanè auſim ego miſellus homuncio de jure Dei optimi maximi licèt in re, ut videtur, ſatìs manifeſta, quicquam certò ſtatuere, aut temerè definire. Verùm quæſtiones iſtæ (meo judicio) inutiliter & fruſtrà prorsùs diſputantur. Status controverſiæ hîc ſitus eſt; An *de facto* Deus Legem homini lapſo poſuit, quâ peccatum quodvis etiam leviſſimum, minimúmque Juſtitiæ defectum evitabilem, prohibuit ſub pœna æternæ damnationis, h. e. tum perpetuæ excluſionis à Regno cœlorum, tum cruciatuum tartareorum poſt hanc vitam manentium? Nimirum (ut nonnemo bene, licèt barbarè, h. e. verbis Scholaſticis rem expreſſit) *Ratio peccati derivatur à Lege Dei, non ex natura actûs præcisè & totaliter. Nam ſi nulla fuiſſet Lex, nullum fuiſſet propriè peccatum. Sicut igitur ratio peccati ut ſic habetur in ordine ad Legem Dei, ſic etiam ratio mortalis vel venialis peccati indè derivanda eſt.* Quæſtionis autem ità inſtitutæ pars negans hâc ratione adſtrui poteſt. Lex Evangelica eſt Legum homini lapſo politarum omnium perfectiſſima, in eáque pleniſſimè *revelatur ira Dei adversùs omnem impietatem atque injuſtitiam hominum*, Rom. 1. 18. Scilicet nullibi clariùs (imo nullibi tam clarè) quàm in Evangelio oſtenditur peccati natura & reatus, & quæ quódque peccatum pœna in futuro ſæculo maneat. Præmia cœleſtia & Pœnas infernales, Virtutem & Vitium, (quæ omnia per retrò acta ſecula obſcuriùs cognita fuerant) à promulgata Chriſti Lege Deus in luce meridiano ſole clariori poſuit. Jam in Evangelio nuſquam talis Dei voluntas revelatur, quâ nempe pœna æternæ damnationis cuivis vel minimo Juſtitiæ defectui evitabili ſtatuatur. Affirmanti incumbit probatio. Si quis Textum protulerit, quo illud evincatur, cognitæ veritati faciè cedemus, victáſque manus confeſtim dabimus. Verùm loca

satis clara jam adduximus, quibus contrarium evincitur.

§. 19. Scholastici quidam, iique Authores non contemnendi, ulteriùs progressi, statuerunt, hanc Dei ἐπιείκειαν, quâ nempe non omni peccato æternæ mortis supplicium decernit, Fœderi omni divino cum Evangelio esse communem. Nam, inquiunt, cùm Deus opt. max. hominibus ità se demittit, ut cum ipsis Fœdus ineat, amici χάριν induit. Inter amicos autem non solet quævis offensa amicitiam dissolvere. Hinc *Scotus*, *Altisiodorensis*, *Franciscus Maironis*, *Gabriel*, *Alimaynus*, & alii asserere non dubitârunt, hominem etiam sub primo Fœdere peccare potuisse venialiter, utì loqui amârunt. Quanquam illi quidem assertionem suam restringere videntur ad illud genus peccati venialis, quod ex suo genere veniale dicitur, ob levitatem materiæ, etiamsi plenâ deliberatione committatur; cujus restrictionis ego sanè rationem non intelligo. Nam fingamus animo, primam matrem nostram *Evam* à Diabolo tentatam, levi quâdam inclinatione voluntatis in esum fructûs prohibiti propendisse quidem; sed mox reverentiâ divinæ Legis & gratâ recordatione maximorum beneficiorum, quibus ipsam sibi devinxerat Dominus, retractam, Diabolicæ tentationi nuntium remisisse, atque ab arbore scientiæ boni & mali mentem manúmque abstinuisse. Certè in hac suppositione nihil est, quod fieri non potuit, aut constitutioni primorum parentum repugnet. Quod enim dicunt quidam, primos homines ità naturâ comparatos fuisse, ut nullum peccatum potuerint committere, quod non esset completum ac plenè deliberatum, id ab iis nullâ ratione affirmatur; quin & refellitur ex historia primi peccati, quæ *Evam* non nisi per gradus quosdam ad perfectam perpetrationem horrendi facinoris processisse manifestè ostendit. Jam quæritur, an *Eva* propter solam propensionem illam, quæ dubiò procul peccatum fuisset, Gratiâ & Fœdere divino penitùs excidisset? Qui affirmaverit gratis id fecerit, cùm in Scripturis nè χεὶ quidem reperiatur, quo assertionem suam confirmet. Contrà, comminatio divina his verbis concepta erat, *quo die comederis, morte morieris:* quæ verba profectò de completo & perpetrato peccato loquuntur; cui æquivaluisset plenum animi decretum de fructu prohibito comedendo, quod nisi exteriùs impeditum in actum exiisset. Pro sententia

tentia autem iſta, quæ ſtatuit, hominem ſub primo Fœdere peccare potuiſſe venialiter, loca quædam afferuntur ex B. *Auguſtino*, ut mihi videtur, ſatis appoſita; quæ cum reſponſionibus ad eadem legas apud *Thomam* 1, 2. *q.* 89. *art.* 3. & *Eſtium* in *lib.* 3. *diſt.* 21. §. 7. Verùm nolo hanc litem meam facere; ſed quæſtionem potiùs non admodum neceſſariam in medio relinquam.

§. 20. E re Lectoris magis futurum arbitror, ſi doctrinæ ſuperiùs traditæ abuſui occurramus, monitum quoddam utile hac de re ipſi ſuggerendo. Itaque memoriâ ſemper tenendum eſt illud Sancti *Bernardi* de Præcept. & Diſpenſ. *cap.* 14. *Venialia non criminalia reputantur, excepto eàm per contemptum in uſum & conſuetudinem vertuntur.* Et poſteà: *Elatio quippe contemnentis, atque impœnitentis obſtinatio, in minimis quoque peccatis culpam facit non minimam; & convertit in crimen gravis rebellionis nævum ſatis levem ſimplicis tranſgreſſionis.* Quare deteſtanda eſt Pontificiorum quorundam doctrina, qui poſſe hominem abſque gravis offenſæ reatu peccata venialia ex contemptu committere, intrepidè affirmant. Vide *Alphonſ. Curiel. in* 1am. 2æ. *qu.* 88. *art.* 4. §. 2. Contrà, ſtatuendum potiùs, illi omne peccatum mortale eſſe, qui ſeriò operam non dat, ut omne peccatum effugiat.

§. 21. Theſis ſeptima: *In hoc elucet ſumma Evangelii indulgentia, quod omnium etiam graviſſimorum peccatorum, ſive ante, ſive poſt acceptam ejus Gratiam commiſſorum, veniam promittit ſub conditione Pœnitentiæ: ſed Pœnitentia illa, graviora quod attinet peccata, quæ mortalia vocantur, debet eſſe accurata & perfectè practica.*

Hanc Theſin, quanquam ad inſtitutum noſtrum non prorsùs neceſſaria videatur, adjiciendam tamen putavimus, quia eâ additâ, plenam tandem Evangelici Fœderis explicationem (ſaltem quantum per hujus diſſertatiunculæ anguſtias licet) Lectori exhibebimus. Comminatio igitur Legis Chriſti, quâ certis quibuſdam peccatis æterna mors denuntiatur, non eſt peremptoria & abſoluta de *eventu*, ſed de *debito* tantùm: h. e. quanquam qui aliquo iſtorum peccatorum ſemel implicitus eſt, per Legem Chriſti æternæ morti neceſſariò ſit obnoxius, non tamen illi neceſſariò moriendum. Quippe ſuccurrit hîc Gratia Evangelica, quâ Pœnitentia porrigitur, veluti

veluti ſecundatabula poſt naufragium. Tria autem in hac ultima Theſi proponuntur: 1. In Evangelio promitti verè reſipiſcentibus omnium peccatorum etiam graviſſimorum Remiſſionem. 2. Remiſſionem hanc ſe extendere uſque ad ea etiam peccata graviora, quæ poſt acceptam Evangelii Gratiam committuntur. 3. In Pœnitentia de peccatis mortalibus, requiri has conditiones, ut ſit accurata & perfectè practica. De prima autem Propoſitione non eſt quod anxiè laboremus, cùm apud omnes Chriſtianos in confeſſo ſit. Secundam negârunt olim *Novatiani*; hodiéque de ipſa nimis frequenter dubitare ſolent lapſi Chriſtiani; ut operæpretium ſit hanc paucis confirmare.

§. 22. Spem veniæ ſupereſſe adhuc iis, qui poſt primam converſionem relabuntur in peccata gravia & grandia, & per Pœnitentiam aut Reſipiſcentiam reſtaurari poſſe eoſdem denuò, multis evinci poteſt. Primò, in Veteri Teſtamento illuſtris eſt locus *Jeremiæ* Prophetæ ſub Lege Evangelizantis, *Jerem.* 3. v. 1, 2, 7, 12, 13, 14, 22. Ubi Deus per Prophetam populum ſuum, quocum gratioſum Fœdus iniverat, quémque ſibi maximis beneficiis devinxerat, in gravis ſæpiúſque iteratæ idololatriæ crimen prolapſum, multis argumentis miriſque modis ad Pœnitentiam hortatur, ſive allicit potiùs, certam ipſis veniæ ſpem faciens, & omnimodam curationem averſionum ipſorum promittens. 2°. In N. T. clara & univerſalis eſt *Johannis* Apoſtoli enuntiatio de peccatis Chriſtianorum poſt Fidem & Baptiſmum commiſſis; 1 *Joh.* 2. v. 1, 2. *Filioli mei, hæc ſcribo vobis, ut nè peccetis. Quòd ſi quis peccârit, advocatum apud Patrem habemus Ieſum Chriſtum juſtum: Et ipſe eſt propitiatio pro peccatis noſtris*, &c. Ubi ſatìs perſpicuum eſt, loqui Apoſtolum de gravioribus, & magis propriè ſic dictis peccatis; ídque vel ex conditionali & incerta locutione, ἐάν τις ἁμάρτῃ. Certè enim aliter locutus fuiſſet, ſi peccata voluiſſet, quibus optimi in hac vita ſunt obnoxii, de quibus *Jacobus*, *in multis offendimus omnes*, Jac. 3. 2. Ut ſenſus Apoſtoli clarus ſit; Hortor vos filiolos meos jam Pœnitentiæ Baptiſmo mundatos, ut ſedulò operam navetis, nè in priſtina peccata relabamini: quod ſi quis veſtrûm in tale aliquod gravius peccatum inciderit, nolo ut ſpem omnem abjiciat: habemus enim advocatum, *&c.*

§. 23. 3°. Idem

§. 23. 3°. Idem evincunt expreſſa mandata Pœnitentiæ in N. T. Chriſtianis graviter lapſis facta; quæ certè fruſtranea forent, ſi ipſis reſipiſcentibus ſpes veniæ non ſupereſſet. Hujuſmodi eſt illud Domini noſtri *Apoc.* 2. 5. *Memor eſto itaque unde excideris, & reſipiſce, & priora opera facito: ſin minùs, veniam adversùm te citò, & movebo candelabrum tuum à loco ſuo niſi reſipueris.* Sed notatu imprimis digna ſunt verba Servatoris in eodem capite ad *Thyatirenſis* Eccleſiæ Angelum, v. 20, 21, 22. *Sed habeo adversùs te pauca, quòd permittis mulierem* Jezabelem, *quæ ſe dicit prophetiſſam, docere & ſeducere ſervos meos, ut ſcortentur, & edant ex iis quæ ſimulachris immolantur. Et dedi illi tempus, ut reſipiſceret à fornicatione ſua; ſed non reſipuit. Ecce ego abjiciam eam in lectum, & eos qui adulterium committunt cum ipſa, in afflictionem magnam, niſi reſipuerint ab operibus ſuis.* Ubi Veteres nonnulli accipiunt hanc *Jezabelem* fuiſſe mulierem quandam Epiſcopi uxorem, quæ in Eccleſia *Thyatirenſi* ſcortatione ſuâ & perversâ doctrinâ multos ad impietatem protraxerit. Alii (& rectiùs meo quidem judicio) *Jezabelem* myſticè intelligunt *Gnoſticam* Factionem, illa hominum monſtra, qui horrendâ ſuâ doctrinâ de fornicatione licitè perpetranda, & de comedendis idolothytis, contra expreſſum Apoſtolorum decretum *Act.* 15. eorundémque flagitiorum deteſtabili praxi, Virgineam Chriſti Eccleſiam, recèns ab Apoſtolis ipſi deſponſatam, ſtupraverant. Sed hoc perinde eſt, quod ad propoſitum noſtrum attinet. Nam 1°. Conſtat hanc *Jezabelem* poſt acceptam Chriſti Fidem, iſta facinora perpetrâſſe; quippe quæ dicatur adhuc in Eccleſia *Thyatirenſi* docendi & prophetandi munus uſurpâſſe. 2°. Immania fuere flagitia, in quæ iſtud Chriſtianiſmi portentum ſe proruerat, nempe fornicatio, adulterium, idololatria. 3°. Hæc graviſſima peccata non modò ipſa perpetravit, ſed aliis ut perpetrarent auctrix fuit; ea ſcil. tanquam licita, & nullo Chriſti præcepto ipſis prohibita defendendo; quod culmen fuit impietatis. 4°. Huic tamen *Jezabeli* cum ſociis ſuis clementiſſimus Dominus tempus dedit à peccatis iſtis reſipiſcendi; proinde dubio procul non denegaturus fuiſſet ipſis criminum indulgentiam, ſi reſipuiſſent. 5°. Poſtquam divinâ longanimitate diu abuſi fuerant, atque in peccatis ſuis contra Chriſti monita, per miniſtros

ſuos ſe obſirmaverant, (O nunquam ſatis celebrandam Servatoris miſericordiam!) ipſis exitium denuntiat Dominus non peremptorio edicto, ſed cum hac exceptione, *niſi reſipuerint ab operibus ſuis.* Neſcio, an ex Scripturis quicquam contra *Novatianam* hæreſim, hoc loco magis appoſitum, proferri poſſit. Vide tamen 2 *Cor.* 12. ult. & *Gal.* 6. 1.

§. 24. 4°. Illud ipſum confirmatur exemplis *Davidis, Petri,* & Chriſtiani inceſtuoſi, 1 *Cor.* 5. 1, &c. coll. 2 *Cor.* 2. v. 6. Poſtremò, hanc veritatem, quam promiſſis & exemplis nos docuit, Sacramento etiam obſignavit Dominus. Quippe duo inſtituit Chriſtus Sacramenta in Eccleſia, Baptiſmum & Cœnam ſuam Sacroſanctam; & utrumque ad obſignandam peccatorum Remiſſionem. De Baptiſmo, quin inſtituatur illud in Remiſſionem peccatorum, nemo ambigit. De poculo quoque in Cœna Domini, ipſe Dominus dixit, quòd ſit *Sanguis Novi Teſtamenti ipſius in Remiſſionem peccatorum effuſi,* Mat. 26. v. 27, 28. Hinc orat Eccleſia Catholica in precibus ſuis ad Altare, pro Remiſſione peccatorum propter meritum Sacrificii Chriſti in Euchariſtia commemorati. Sic antiquiſſima Liturgia in *Conſtitut. Apoſt. lib.* 8. *cap.* 12. καὶ καταπέμψῃς τὸ ἅγιον σε πνεῦμα ὅπι τὴν θυσίαν ταύτην τὴν μάρτυρα τῶν παθημάτων τῦ Κυρίυ Ιησῦ, καὶ τὸ τίμιον τῦτο αἷμα τῦ χρισῦ σε· ἵνα ὁι μεταλάβοντες ἀυτῦ βεβαιωθῶσι πρὸς ευσέβειαν· ἀφέσεως ἁμαρτημάτων τύχωσι, &c. i. e. *Et mittas ſuper hoc Sacrificium Sanctum tuum Spiritum teſtem Paſſionis Domini Ieſu; ut oſtendas Panem hunc Corpus Chriſti tui, & Calicem hunc Sanguinem Chriſti tui; ut qui eum participaverint, ad pietatem firmentur; Remiſſionem peccatorum conſequantur,* &c. Ad eundem modum Liturgiæ omnes. Quorſum verò, inquies, hæc? Scil. ut per Baptiſmum omnia peccata ante acceptam Evangelii Gratiam commiſſa abluuntur; ità in Cœna Domini, peccatorum omnium, quæ poſt Baptiſmum ac Regenerationem perpetrantur, verè reſipiſcentibus Remiſſio obſignatur.

§. 25. Contra hanc tamen tam manifeſtam Veritatem *Novatiani* olim duo loca attulerunt, nempe, *Heb.* 6. v. 4, 5, 6. & 10. v. 26, 27, &c. Sed nihil ipſos juvant loca iſta. Nam 1°. Manifeſtè loquuntur non de quibuſcunque peccatis poſt Baptiſmum commiſſis, alioqui graviſſimis; ſed de totali à Chriſtianiſmo Apoſtaſia, ſive defectione: Hinc in priori loco

loco dicuntur Apoſtatæ iſti, *Chriſtum iterum crucifigere & infamare*, h. e. ipſum, ut impoſtorem, cruce dignum pronuntiare, & proinde univerſam ipſius Religionem pro mera impoſtura habere. Et in poſteriori loco dicuntur, *proculcare Filium Dei; Sanguinem Teſtamenti, quo ſanctificati fuere, pro profano habere; Spiritum Gratiæ contumeliâ afficere.* 2°. Ad hos quoque horrendos Apoſtatas quod attinet, certum eſt, ſi reſipiſcant, veniam ipſos commiſſorum impetratum iri. Quare priori loco ait Author, impoſſibile eſſet iſtos Chriſtianiſmi transfugas *ad reſipiſcentiam renovare*; manifeſtè innuens, ſi Pœnitentiam iterare potuiſſent, in Gratiam quoque cum Deo eoſdem redituros. 3°. Denique ſentiunt Interpretes doctiſſimi, impoſſibilitatem reſipiſcendi, quæ iſtiuſmodi Apoſtatis à divino Authore tribuitur, nequaquam eſſe abſolutam. Quippe in Scripturis non rarò impoſſibile id dicitur, quod eſt difficillimum, ut *Mat.* 19. v. 23, 24, 25, 26. *Gal.* 4. v. 15. & alibi. Nimirum quò graviùs peccatur, eò difficiliùs bene agitur; & ubi tantarum gratiarum contemptus eſt, ut refrænare illæ voluntatem hominis, & in arctum cogere, non valeant, ibi difficillima & ferè impoſſibilis revocatio. Per rationes enim fiat neceſſe eſt. At illæ, quas contemnit iſtiuſmodi Apoſtata, nobiliſſimæ ſunt: quid enim in hac vita nobilius & excellentius cogitari poteſt, quàm illuminatio, guſtatio verbi boni, *&c.* Interim hæc omnia non obſtant, quò minùs etiam talis Apoſtata per extraordinariam Dei Gratiam reſtaurari poſſit. Hæc autem omnia, cùm ſolatio ſint graviter lapſis, de reditione ad Deum ſeriò cogitantibus; neutiquam tamen eorum Chriſtianorum impietati patrocinantur, qui maximam Dei Gratiam in laſciviam vertentes, peccatis gravioribus fræna laxant, hâc præſumptione freti, ſe olim de iiſdem pœnitentiam acturos, eorundémque veniam conſecuturos. Extrema eſt iſtorum hominum dementia. Quanquam enim in Evangelio lapſis reſipiſcentibus venia promittitur, nuſpiam tamen aut Gratia, aut tempus, condignam Pœnitentiam agendi iiſdem promittitur. Eis verò imprimis Gratiam illam denegare ſolet Dominus, qui ipſam maximè animo ſuo præſumunt.

§. 26. Reſtat tertia Propoſitio à nobis paucis expedienda. Pœnitentia, quæ de peccatis mortalibus in Evangelio requi-

ritur, has conditiones habeat oportet, nempe, ut ſit accurata & perfectè practica, Primò, ſicut ipſa peccata mortalia ſunt gravia, & in vitæ Chriſtianæ curſu rariora & extraordinaria; ità Pœnitentia, quæ ad ea expurganda neceſſariò requiritur, ſingularis, magis accurata, atque extraordinaria eſſe debet; *Pſal.* 51. *Matth.* 26. 75. *Luc.* 7. 38. 2 *Cor.* 7. 11. Deinde Pœnitentia ad peccatorum mortalium Remiſſionem, & ad Salutem eorum qui ea committunt, neceſſaria debet eſſe perfectè practica, h. e. exire debet in realem & actualem ab omnibus hujus generis peccatis ceſſationem, *Prov.* 28. 13. Scil. mortale peccatum non eſſet, in quo quis hærere potuiſſet abſque Salutis diſpendio. Pœnitentia verò ad venialium peccatorum Remiſſionem requiſita, non neceſſe eſt ut ſit perfectè practica. Nam etiam optimi cum iſtiuſmodi peccatis vivere, adeóque emori, poſſunt. Addo, hanc ceſſationem eſſe debere non modò ab actu, ſed & affectu omnis peccati mortalis; adeóque ipſum peccati habitum movendum ac diſcutiendum. Quod utinam ſeriò (& non ſerò nimis) cogitent, qui clinicâ (ut ità dicam) Pœnitentiâ confidunt, perſuaſum habentes, poſſe ſe fatali lecto procumbentes, atque in ipſo penè mortis articulo conſtitutos, condignam de peccatis mortalibus Pœnitentiam peragere. Non ità multùm deſiperent homines iſti, ſi (ut vulgus ſomniat) inclamatio illa *miſerere mei Deus*, vel milliès repetita; ſive etiam lachrymularum quarundam diſtillatio, mortis jam appropinquantis terrore expreſſarum; ſeu deniq; indulgentis nimiùm, & miſeræ animulæ adblandientis, ſacerdotis abſolutio, pro more petita, ad pœnitentiam de peccato mortali, adeóque ad ejuſdem Remiſſionem ſufficeret. Atqui longè alia res eſt ſalutaris Pœnitentia. Clamant ſacra Oracula, exuendum, mortificandum veterem hominem, carnem crucifigendam cum affectibus ſuis. Hic labor, hoc opus: opus ſanè, quod intra paucularum horarum ſpatium, ab homine infirmo & langueſcente, atque ad omnia etiam communis vitæ officia inepto, vix ac nè vix quidem (niſi adſit divinæ Gratiæ miraculum, ab iſtiuſmodi Gratiæ contemptore minimè expectandum) præſtari poſſit. Itaque ſumma rei huc tandem redit. Minimum quod ſic, (ut loquuntur) ſive infimus Juſtitiæ gradus, qui à nobis in Evangelio abſolutè requiritur ad

Salu-

Salutem, eſt, ut ſerius aut citius, ſaltem antequam ex hac vita migremus, ab omni peccato, cui mortem æternam denuntiat Evangelium, ab omnibus carnis operibus à *Paulo* enumeratis loco ſuprà laudato, *Gal.* 5. 19, 20, 21. noſmet expediamus: & contrarios Spiritûs Sancti fructus, ibidem v. 22, 23. commemoratos, proferamus. Quiſquis in hoc Juſtitiæ ſtatu non moritur, moritur æternùm. Durus ut hic ſermo videatur diſſoluto, quo vivimus, ſæculo; eſt tamen veriſſimus, niſi ipſa nos fallat veritas. Det Deus, ut quod tanti eſt ad Salutem noſtram momenti, maturè penſitemus omnes.

ANIMADVERSIO XVIII.

ad Diſſert. 2. Cap. 8. Sect. 14.

HIc dico in concluſione Apoſtoli *Rom.* 3. v. 20. verba ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ ſignanter & emphaticè addita eſſe; quia concedenda erat Legi ſua quædam δικαίωσις, ſed apud homines, & quæ ad temporalem tantùm fælicitatem proderat, non ad regnum cœlorum obtinendum. Tum ad confirmandam hanc obſervationem noſtram citò, ut optimè dicta, Authoris Commentariorum qui *Ambroſio* tribuuntur, hæc verba: *Verum eſt, quia nemo per Legem juſtificatur, ſed apud Deum; juſtificatur autem apud mundum, ut ſecurus ſit in vita præſenti: Si autem apud Deum juſtificari vult, ſequatur Fidem; alioquin hîc ſecurus, reus erit in futurum.* Ad hæc tu ſcribis notâ interlineari; *Iſtud optimè dictum eſt* κενὸς ὕθλος.

RESPONSIO ad Animadverſionem XVIII.

Uſquequaque tui ſimilis es, & eandem arrogantiam ubique prodis. Κενὸς ὕθλος & meræ nugæ ſunt, quæcunque à quocunque Authore etiamſi veteri, & magnæ alioquin in Eccleſia authoritatis dicta, tuarum nugarum ad amuſſim exacta non ſint. Verùm, egregie Nugator, dictum illud anti-

qui Authoris, quod ego optimum, tu κοινὸν ὔδλον censuisti communi fere veterum suffragio comprobatur. Sic enim & verus *Ambrosius* in *Psal.* 118. *octon.* 12. *Lex secundùm Apostolum Pædagogus est parvulorum, donec ad perfectæ Fidei maturiorem quandam veniamus ætatem. In Lege autem mandata sunt, Justificationes, Testimonia, Justitiæ præcepta. Unde ait Apostolus, Lex autem non est ex Fide, sed qui facit illam vivet in ea. Sed quia idem suprà ait, quoniam in Lege* Mosis *nemo justificatur; intelligis utique, quia Justificatio Legis, species est & imago, non veritas. Secundùm veritatem ergò & perfectionem nemo justificatur in Lege, secundùm speciem justificatur.* Imò ipse *Augustinus* (qui solus ex Patribus tibi in pretio esse videtur) idem quod Author noster disertis verbis docet, *Tom.* 4. *expos. epist. ad Gal. cap.* 3. *Lex non est ex Fide, sed qui fecerit ea vivet in illis. Non ait qui fecerit eam vivet in ea: Ut intelligas Legem in hoc loco pro ipsis Operibus positam. Qui autem vivebant in his Operibus, timebant utique nè si non ea fecissent, lapidationem, vel crucem, vel aliquid hujusmodi paterentur. Ergò qui fecerit ea, inquit, vivet in illis:* i. e. *habebit præmium, nè in ista morte puniatur.* Et post aliqua: *Qui omnino non justificatur, nec illa servat, quæ temporale habent præmium; nec illa, quæ æternum. Qui autem in Operibus Legis justificatur,* non apud Deum justificatur, *quia temporalem indè expectat visibilémque mercedem. Sed tamen est etiam ista, ut dixi, quædam ut sic dicam, terrena carnalisque Justitia: Nam & ipse Apostolus eam Justitiam vocat, cùm alibi dicit: secundùm Justitiam quæ in Lege est conversatus sine querela.* Sed hâc de re mox plura.

Tom. 2. *p.* 464. Colon. Agrip. 1616.

ANI-

ANIMADVERSIO XIX.

ad Diſſert. 2. cap. 8. Sect. 15.

HIc primum argumentum, quo Apoſtolus Legi *Moſaicæ* Juſtificationem detrahit, à defectu ſcil. veræ atque æternæ Remiſſionis, quo Lex iſta laboraret, ductum, poſtquam per partes & fusè tractaveram, tandem argumenti ſummam hoc Syllogiſmo comprehendi poſſe ſtatuo: *Nemo per Legem* Moſis *in foro Dei juſtificari poteſt, qui eorum peccatorum reus ſit, quorum nulla in foro Dei Remiſſio per Legem iſtam conceditur: Atqui omnes (tam Judæi quàm Græci) eorum peccatorum rei ſunt, quorum nulla in foro Dei Remiſſio per Legem* Moſis *conceditur; Ergò nemo (neque Judæus, neque Græcus) per Legem* Moſis *in foro Dei juſtificari poteſt.* In quæ tu ſatis faſtuosè & vehementer nimis, pro more tuo, ità inveheris: *Apage cum Syllogiſmo cerebri tui fœtu monſtroſo, cujus neque major propoſitio, neque aſſumptio, neque concluſio in Apoſtolo uſpiam apparet. Ego uſque ad ravim repeto, concludere* Paulum, *quòd ex Operibus Legis nemo juſtificatur, quia Lex peccati reum quemque convincit, à quo reatu Obedientiæ Opera inſequentia neminem liberant; ſed ex Fide ſeorſim ab Operibus juſtificatur per Redemptionem Jeſu Chriſti. Aperi oculos, & differentiam vide inter* Pauli *concluſionem & tuum Commentum.*

RESPONSIO ad Animadverſionem XIX.

§. 1. Syllogiſmum, quem cerebri mei fœtum monſtroſum vocas, Veteres, intérque eos *Auguſtinum* ipſum, *Paulo* tribuiſſe, modò luculentis teſtimoniis oſtendi. Sed quia video te Veterum authoritatem, ubi placitis tuis repugnat, nè flocci quidem facere, hoc telo (ſcil. quod ſoli Catholici & ſobrii reformidant) depoſito, pertinaciam tuam expugnare conabor argumentis ex ipſa re petitis. Argumenta verò illa in *Diſſertationibus* meis jam breviter & ſtrictim attuli; quæ proinde hîc retractanda tantùm, novâ luce donanda, atque à tuis incurſibus munienda & vindicanda propono. Quod mihi

mihi probandum incumbit illud est; Apostolum, cùm per Legem *Mosaicam* justificari posse hominem peccatorem negat, non hoc argumento pugnare, quòd Lex ista perfectissimam atque absolutissimam Justitiam, quæ à nemine, nè per eam quidem Dei Gratiam quæ in Evangelio exhibetur, præstari possit, tanquam conditionem Justificationis postulet: sed alio prorsùs fundamento niti, nempe, quòd in eadem Lege (sub σχέσει illa, quâ ab ipso consideratur) nulla omnino vera Justificatio sive peccatorum Remissio, quæ ultra hanc vitam spectat, sub quavis conditione concedatur. Hanc argumentationem planè genuinum Apostoli fœtum esse, non cerebri mei monstrum, his rationibus evinco.

§. 2. Primò: Hoc argumento manifestè & ex confesso pugnat Apostolus in celebri ad *Judæos* concione, sapiùs à nobis commemoratâ, *Act.* 13. v. 28, 29. *Notum igitur sit vobis, fratres, annuntiari vobis Remissionem peccatorum per istum, (Christum scil.) & ab omnibus, à quibus non potuistis per Legem* Mosis *justificari, per hunc credentem quemvis justificari.* Ubi notavi duo ab Apostolo doceri, nempe, non tantùm per Iesum Remissionem peccatorum, spiritualem scil. (quam Lex omnino non concessit) annuntiari; sed & credentem justificari in ipso ab omnibus, à quibus nemo per Legem *Mosis* (nè carnaliter quidem) justificari poterat; indéque inferre Apostolum, non quærendam in Lege *Mosaica* Justificationem, sed confugiendum ad aliud plenioris misericordiæ Fœdus, nempe Fœdus illud in Christi Iesu Sanguine stabilitum, *&c.* Quod utrumque ex loco illo hâc ratione facilè colligitur. Cùm enim dicit Apostolus, credentem quemvis Christi Evangelio, per Christum ab *omnibus* peccatis justificari, negátque universalem ejusmodi peccatorum Remissionem ex Lege *Mosis* obtineri posse, satìs manifestum est, Legem *Mosis* ab Apostolo hîc spectari *carnaliter*, & secundùm literam, quatenus Evangelio opponitur: Certum autem est, Legem *Mosis* sub ista σχέσει consideratam, non modò omnium peccatorum Remissionem non indulsisse; (quippe quæ gravissima quædam peccata, putà idololatriam, homicidium, adulterium, *&c.* morte citra misericordiam, aut veniam mulctaret) sed neque veram ullam cujusvis peccati Remissionem, h. e. quæ ad forum Dei & futuram vitam pertineret, concessisse. Hanc interpretationem

onem noſtram veriſſimam eſſe, neque ipſe diffiteri poteras. Sed videat Lector quomodo interim ictum argumenti noſtri evaſeris. Sic ſcribis in notis ad hoc ipſum caput: Paulus *in concione ad Judæos habita, quantum illis in Legis cortice nimis hærentibus, & in umbra Legis ſeſe oblectantibus, opus eſſet, extra Legem Juſtitiam quærere, & ad Chriſtum Legis finem ac perfectionem etiam confugere, oſtendit. Et ex hoc ipſo, quòd Lex nulla præſcripſit ſacrificia ob luſtrationem quorundam criminum, quæ capite eſſent luenda, probat, populum indigere potiori Propitiationis medio, ni in peccatis pereundum ſit. Ex* Moſaicæ *Legis inſtitutis probat indigentiam Chriſti Servatoris. Optimè. In Epiſtola verò ad* Romanos *aliud agit; neminem ex Operibus juſtificari contendit, ſed ex Fide in Chriſtum. Qui* Paulum *idem utrinque urgere dicit, de eo quid dicam? Quid ſentiam, ſcio; quid dixerim, neſcio. Modeſtiæ ergò me reprimo.* Reſpondeo, Quid tu homo modeſtiſſimus (ſcil. qui nuſpiam ſis in hac *Cenſura* tua convitiorum parcus) de me ſive ſenſeris, ſive dixeris, non multùm laboro; neque enim (ut quod res eſt dicam) tanti facio judicium tuum. *Paulum* verò utrinque (nempe tum in concione ad *Judæos* habita, & *Act.* 13. à *Luca* recitata, tum in Epiſtola ad *Romanos*, & ad *Galatas* quoque) idem urgere, qui dixerit, næ is non ſine maximorum virorum authoritate, neque abſque evidentiſſimis rationibus illud dixerit. Nam primò, conſentiunt ferè doctiſſimi Interpretes, locum illum *Act.* 13. aptiſſimum eſſe clavem, ad ſenſum totius *Paulinæ* Diſputationis de Juſtificatione in Epiſtolis ad *Roman.* & *Galat.* aperiendum. Hinc non modò *Hammondus* noſter, ſed & ipſe *Calvinus*, ex loco illo collegit, (quod ſuprà obſervavimus) Juſtificationis vocabulum in *Paulinis* Epiſtolis ſenſu forenſi accipi; atque à peccatis abſolutionem, ſive peccatorum remiſſionem, ſignificare. Hinc dicere non dubitârunt, locum illum ſummam Evangelii, à *Paulo* annuntiati, atque contra *Judæos* aſſerti, pauciſſimis verbis comprehendere. Deinde, ſatis conſpicua eſt hujus loci cum Diſputatione *Paulina* in Epiſtolis ſuis convenientia, ſive verba ipſa, ſive ſcopum Apoſtoli, reſpexeris. Utrobique affirmatur, hominem credentem, ſive hominem per Fidem juſtificari: Utrobique negatur, per Legem juſtificari quenquam: Utrobique eoſdem adverſarios oppugnat *Paulus*, *Ju-*

dæos ſcil. & Judaizantes Chriſtianos: Utrobique denique eundem ſibi ſcopum propoſitum habet; nempe, ut *Judæos* nondum credentes à quærenda in Lege *Moſis* Juſtificatione arceret, atque ad amplexandam Evangelii Gratiam accenderet; Judaizantibus verò Chriſtianis perſuaderet, in accepta Evangelii Gratia, tanquam ad Salutem ſuam ſufficiente, abſque Legis *Moſaicæ* additamento, acquieſcerent. Quidni igitur *Paulum* idem utrobique urgere, ſive eodem argumento pugnare, ſtatuamus?

§. 3. Eidem etiam argumento (omnium Interpretum, tam Veterum quàm recentiorum, conſenſu) inſiſtit divinus Author Epiſtolæ ad *Hebræos*, docens, Sacrificia in Lege præſcripta non potuiſſe τελειῶσαι κατὰ τὴν συνείδησιν τὸν λατρεύοντα· h. e. ab interno atque æterno peccati reatu in Dei conſpectu hominem liberare, *cap.* 9. *v.* 9. ſed profuiſſe tantùm πρὸς τὴν τῆς σαρκὸς καθαρότητα· *ad carnis purgationem*; i. e. ut homo exteriùs à pœna ac morte corporea liberaretur, ibid. v. 13. Quò etiam referenda ſunt, quæ alibi pluribus ediſſerit Scriptor Θεόπνευστος: nempe, perfectionem à Sacerdotio *Aaronico*, h. e. à Sacrificiis ab iſtis Sacerdotibus oblatis, nullam eſſe ſperandam, *cap.* 7. *v.* 11. Legem nihil perfectum reddidiſſe, ibid. v. 19. Legem non potuiſſe ad eam accedentes, h. e. cultum in ea præſcriptum obſervantes, perfectos ac conſummatos reddere, *cap.* 10. *v.* 1. Nam in locis illis omnibus conſtat, intelligi plenam ac perfectam à peccatis omnibus, etiam graviſſimis, Abſolutionem. Hæc dum perpendo, mirari ſatis nequeo Cenſoris ἀυδάδειαν, qui tam præfractè neget, hoc argumento uſpiam uſum fuiſſe *Paulum* in ſuis de Juſtificatione Diſputationibus. Nam plerique Theologi exiſtimant, authorem Epiſtolæ ad *Hebræos* fuiſſe ipſum *Paulum*. Deinde, qui aliter ſentiunt, fatentur omnes, Epiſtolæ Authorem (quiſquis fuerit, ſive *Lucas*, ſive *Clemens*, ſive *Barnabas*, ſive alius quiſquam) *Pauli* fuiſſe σύγχρονον & familiarem, adeóque ipſius ſenſum optimè calluiſſe. Denique, manifeſtiſſimum eſt, Authorem illum in eundem ſcopum collimare, quem & *Paulus* in Epiſtolis ad *Rom.* & *Gal.* propoſitum ſibi habet; quémque modò diximus fuiſſe, tum ut *Judæos* infideles ad amplexandam Evangelii Gratiam, ut ipſis prorsùs neceſſariam, accenderet; tum imprimis, ut Judaizantibus Chriſtianis perſuaderet,

ret, in accepta Evangelii Gratia, tanquam ad Salutem suam sufficiente, acquiesceret.

Quid autem à vero abſimilius, quàm *Paulum* in Epiſtolis ad *Romanos* & *Galatas*, contra Juſtificationem ex Lege diſputantem, eo argumento nuſquam uſum fuiſſe, quo in Epiſtola ad *Hebræos*, ſive ipſe *Paulus*, ſive *Pauli* ſaltem Symmyſta quiſpiam, eandem quæſtionem tractans, ferè ſolo pugnavit?

§. 4. Verùm ut res extra omnem controverſiæ aleam ponatur, loca quædam adferam ex Epiſtolis ad *Romanos* & *Galatas*, eáque ex ipſa ſede argumentorum *Paulinorum* petita, quæ manifeſtiſſimè hâc nituntur Hypotheſi, nullam in Lege *Moſaica* veram Juſtificationem, quæ cum æternæ vitæ donatione conjuncta ſit, dari aut promitti. In Capite quarto Epiſtolæ ad *Rom.* v. 13, 14, 16. Apoſtolus contra Juſtificationem ex Lege argumentatur hunc in modum: *Neqvaqvam enim ex Lege facta fuit promiſſio* Abrahæ, *& ſemini ejus, qvòd futurus eſſet hæres mundi, ſed per Juſtitiam Fidei. Si enim qui ex Lege ſunt, hæredes ſunt, inanis facta eſt Fides, & irrita facta eſt promiſſio.*—*Propterea ex Fide eſt hæreditas, ut ſit per Gratiam, ut firma ſit promiſſio toti ſemini, id eſt, non ſolùm ei qvod eſt ex Lege, verùm etiam ei qvod eſt ex Fide* Abrahami, *qui eſt pater omnium noſtrûm.* Hîc diſertè docet Apoſtolus, promiſſionem hæreditatis, nempe cœleſtis, *Abrahamo* & ejus ſemini factam, non fuiſſe per Legem, ſed per Juſtitiam Fidei; ídque ob hanc rationem, quia ſi ex Lege hæreditas illa penderet, tum promiſſa multò ante Legem *Moſis* facta *Abrahamo* irrita fuiſſent. Hoc quoque argumento probat, τὴν ἐπαγγελίαν, promiſſionem factam non fuiſſe per Legem, ſed per Fidem, ſive Evangelium; (quod & ante Legem *Abrahamo* prædicatum fuit, & ſub Lege ratum manſit, adeóque per ipſam Legem adumbratum fuit) quia alioqui promiſſio illa firma non fuiſſet toti *Abrahæ* ſemini, tam *Judæis* ſcil. quàm *Gentibus*, ſed *Judæis* tantùm; quippe quibus ſolis Lex *Moſis* data fuerit. Unde manifeſtiſſimum eſt, Apoſtolum diſputationem ſuam non inſtituiſſe de Fœdere, ſive Lege quâdam Operum, (quam vocant) quæ ad omnes *Adæ* poſteros, tam *Judæos* quàm *Gentes*, pertineret, quæque ipſos ad abſolutiſſimam, (neſcio quam) adeóque impoſſibilem, Juſtitiam, ſub

promiſſo æternæ vitæ, & comminatione mortis æternæ obligaret; (quemadmodum tu cum pleriſque Neotericis Theologis ſomniâſtis) ſed de ſola Lege *Moſis*, quatenus *Judæis* ſolis data erat; eidémque Legi Juſtificationem detraxiſſe non qualemcunque, ſed plenam tantummodò ac perfectam, quæ nempe cum donatione cœleſtis hæreditatis conjuncta eſſet: ὅπερ ἔδει δεῖξαι.

§. 5. Fuſiùs autem, adeóque clariùs, hanc rem explicat idem Apoſtolus in Epiſt. ad *Gal. cap.* 3. Ubi v. 18. docet, hæreditatem, nempe æternæ vitæ & cœleſtis fælicitatis, neutiquam ex Lege eſſe, ſed ex veteri promiſſo de Chriſto, ante Legem *Abrahæ* facto, h. e. ex Evangelio. Ut ſenſus manifeſtus ſit, Legem *Moſis* juxta literam ſpectatam, pro Lege ſive Fœdere vitæ æternæ nequaquam à Deo propoſitam fuiſſe. Quod poſtquam dixerat Apoſtolus, objectioni occurrit v. 19. τί οὖν ὁ νόμος; *quorſum ergò Lex?* i. e. Si non ut Fœdus vitæ ac ſalutis æternæ data fuit, cui uſui fuit? Reſpondet, τῶν παραβάσεων χάριν προσετέθη· i. e. Promiſſioni addita fuit propter tranſgreſſiones, nempe populi *Judaici*, cui data fuit; h. e. quia *Abrahæ* poſteritas ex *Ægypto* (ubi cum impiis atque idololatris conſuetudinem habuerat) recèns educta, indéque *Paganicis* tum vitiis, tum ritibus ac ſuperſtitionibus, vehementer addicta, tali Lege indigeret, ut in officio contineretur, atque imprimis ut ab *Ethnicorum* idololatrico cultu arceretur. Hæc eſt ſententia Apoſtoli ſatis manifeſta; neque quæ hîc philoſophantur moderni plerique Interpretes quiſquam ſunt προὶς Διόνυσον. Proinde hunc finem datæ Legis *Moſaicæ* agnoverunt vetuſtiſſimi Scriptores Chriſtiani, qui in prima Apoſtolorum διαδοχῇ, ſive ſucceſſione, floruerunt, adeóque ab ipſis Apoſtolorum Diſcipulis Theologiam ſuam hauſerant. Sic *Juſtinus Martyr* in Dialog. cum *Tryph.* Διὰ τὰς ἁμαρτίας τῶ λαῶ ὑμῶν, καὶ διὰ τὰς εἰδωλολατρείας, ἀλλ' ὑ διὰ τὸ ἐνδεὴς εἶναι τῶν τοιούτων προσφερῶν, ἐνετείλατο ταῦτα γίνεσθαι· i. e. *Propter peccata populi veſtri, & ſimulachrorum cultus, nequaquam autem, quòd iſtiuſmodi ablationibus ei ſit opus, hæc fieri ſanxit.* Et rurſùs in eodem Dialogo: Διὰ τὸ σκληροκάρδιον τῶ λαῶ ὑμῶν πάντα τὰ πιαῦτα ἐντάλματα γράψαι τὸν Θεὸν διὰ Μωσέως ἐτέθειλάμενον ὑμῖν, ἵνα διὰ πολλῶν τούτων ἐν πάσῃ πράξει προ ὀφθαλμῶν αἰεὶ ἔχητε τὸν Θεὸν, καὶ μήτε ἀδικεῖν, μήτε ἀσεβεῖν ἄρχησθε· i. e. *Propter duritiem*

pag. 238.

pag. 265.

cor-

cordis populi vestri cunctas hujusmodi sanctiones Deum per Mosem tuliſſe intelligitis; ut per complura iſta inſtituta, in actione omni ob oculos vobis eſſet Deus; ac neque injuſtè facere, neque impiè agere occiperetis. Similiter *Irenæus lib.* 4. adverſ. *Hæreſ. cap.* 29. *Si igitur & in Novo Teſtamento, quædam præcepta per ignoſcentiam Apoſtoli concedentes inveniuntur,* &c. *non oportet mirari, ſi & in Veteri Teſtamento idem Deus tale aliquid voluit fieri pro utilitate populi, illiciens eos per prædictas obſervationes, ut per eas ſalutem Decalogi obſervantes, munera dent ei, & detenti ab eo non reverterentur ad idololatriam, nec apoſtatæ fierent à Deo.* Hos ſecutum eſſe *Tertullianum* jam in *Harmonia* oſtendimus, celebri loco ex ipſius *lib.* 2. adverſ. *Marcion.* allato, quem & hîc repetendum cenſuimus. *Sacrificiorum onera & operationum & oblationum negotioſas ſcrupuloſitates nemo reprehendat, quaſi Deus talia propriè ſibi deſideraverit, qui tam manifeſtè exclamat: quò mihi multitudinem ſacrificiorum veſtrorum? & quis exquiſivit iſta de manibus veſtris? Sed illam Dei induſtriam ſentiat, quæ populum pronum in idololatriam & tranſgreſſionem ejuſmodi officiis religioni ſuæ voluit adſtringere, quibus ſuperſtitio* * *ſeculi agebatur, ut ab iis avocaret illos, ſibi jubens fieri quaſi deſideranti, nè ſimulachris faciendis delinquerent.* Quò etiam ſpectat quod *Juſtinus, Irenæus,* & Veterum alii obſervârunt, nempe Legem Ritualem datam non fuiſſe populo *Iſraelitico,* antequam vituli aurei cultu ſe polluiſſent; adeóque illuſtre ſpecimen dediſſent ingenii ſui, & quantum ipſis opus fuiſſet ejuſmodi Legis ſepimento, nè identidem in idololatriam prorumperent, tandémque à vero & unico Deo prorsùs deficerent. Sic *Juſtinus* dicto Dialog. cum *Tryph.* ᾗ γὰρ μὴ σαββατίσαντες p. 236, 237 οἱ εὐαρεστήσαντες πάντες δίκαιοι, τῷ Θεῷ συνήρεσαν, ᾗ μετ' αὐτὸν Ἀβραὰμ ᾗ οἱ τότε υἱοὶ ἅπαντες μέχρι Μωσέως· ἐφ' ᾧ ἄδικος ᾗ ἀχάριστος εἰς τὸν Θεὸν ὁ λαὸς ὑμῶν ἐφάνη ἐν τῇ ἐρήμῳ μοχθοποιήσας· ὅθεν ὁ Θεὸς ἀρμοσάμενος πρὸς τὸν λαὸν ἐκεῖνον, ᾗ θυσίας φέρειν, ὡς ἐφ' ὅμοια ἄπῃ, ἐνετείλατο, ἵνα μὴ εἰδωλολατρῆτε· i. e. *Nam ſine obſervatione Sabbathi qui nominati modò ſunt juſti omnes Deo complacuerunt: & poſt illos* Abraham, *& ejus filii cunctis, ad* Moſen *uſque: ſub quo injuſtus & erga Deum ingratus populus veſter apparuit, vitulo in ſolitudine fabrefacto. Unde Deus ad populum illum ſe accoma-*

* *Scil. ideo ab Apoſtolo* Gal. 4. 3. Col. 2. 8, 20. *Ritus* Moſaici *dicuntur τὰ στοιχεῖα τοῦ κόσμου quia* Judæis *cum mundo erant communes.*

accommodans, hoſtias quoque offerre, tanquam nomini ſuo, præcepit, ut nè ſimulachra coleretis. Eadem habet *Irenæus* 4to. adverſ. *Hæreſ.* in fine cap. 28. & initio 29. *Nam Deus primò quidem per naturalia præcepta, quæ ab initio infixa dedit hominibus, admonens eos, id eſt, per Decalogum, (quæ ſi quis non fecerit, non habeat ſalutem) & nihil plus ab iis exquiſivit. Quemadmodum* Moyſes *in* Deuteronomio *ait: Hi ſermones omnes, quos locutus eſt Dominus ad omnem Synagogam filiorum* Iſrael *in monte, & nihil adjecit: & ſcripſit ea in duabus tabulis lapideis, & dedit mihi; propter hoc ut cuſtodirent præcepta, hi qui velint ſequi eum. At ubi converſi ſunt in vituli factionem, & reverſi ſunt animis ſuis in* Egyptum, *ſervi pro liberis cupientes eſſe, aptam concupiſcentiæ ſuæ acceperunt reliquam ſervitutem, à Deo quidem non abſcindentem, in ſervitutis autem jugo dominantem eis*, &c. Quæ ſanè obſervatio de facto eſt veriſſima. Nam *Moſes* antequam montem aſcenderet, (per quadraginta dies ibidem commoraturus) tantùm Decalogum & Leges quaſdam politicas, quæ Judicia vocantur, populo tradiderat, ut videre eſt *Exod.* 24. v. 3. coll. v. 9. Priùs autem quàm à monte deſcendiſſet *Moſes*, vitulum fecerant *Iſraelitæ*. Myſterium verò in facto latuiſſe, facilè credendum eſt viris ſanctis ab auditoribus Apoſtolorum edoctis.

Vide *Rupert. Tuit.* in *Malach.* pag. 225, 226. *edit. Noremberg.* 1524.

§. 6. Sed cum Apoſtolo noſtro jam progrediamur. Qui, poſtquam oſtendiſſet finem datæ Legis *Moſaicæ*, pergit ibidem declarare modum Legiſlationis fini iſti apprimè reſpondentem. *Lex*, inquit, *diſpoſita fuit per Angelos*; id eſt, Angelo uno, cui adfuerit ὁ λόγος, Dei nomine eam pronuntiante, ac terræ motu, procellâ, tonitrû, fulmine, terrorem populo incutiente, cæteris eum ſtipantibus, (confer *Act.* 7. 38. cum *Deut.* 33. 2. *Heb.* 2. 2.) ídque *per mediatorem*, nempe *Moſen* medium ſe interponentem inter Deum & populum. Addit Paulus v. 20. ὁ δὲ μεσίτης ἑνὸς οὐκ ἔστιν· ubi optimè monet *Grotius*, ἑνὸς ſumendum à neutro ἕν, ut ſenſus ſit; *non ſolet ſequeſter ſe interponere inter eos qui unum ſunt*; i. e. *bene conveniunt. Deus verò unus eſt*, i. e. *ſemper ſibi ſimilis*; *non mutatur niſi homine mutato. Quare niſi multa & gravia interveniſſent populi delicta atque tranſgreſſiones, Deus tam placidum ſe atque amicum exhibiturus fuerat* Iſraelitis, *quàm ſe exhibuerat olim eorum majoribus, neque nunc magis quàm tunc opus fuiſſet*

medio

medio aliquo, qui ſe interponeret. Ad eundem ferè modum explicavit locum *Jacobus Capellus*, ad ipſum hæc annotans: *Mediator autem non eſt unius partis, ſed duarum earúmque diſſidentium. Cùm igitur* Moſes *mediatorem ageret inter Deum & populum, hoc ipſo teſtatur, eſſe diſſidium inter duas illas partes. Deus autem unus eſt iſque ſemper idem, ſemper ſibi conſtans. Diſſidium igitur illud non Dei, ſed hominis mutationi deputandum eſt.* Ac ſanè hæc interpretatio plana eſt ac perfacilis, & ſcopo Apoſtoli conveniens: cæteræ verò omnes duræ, coactæ, violentæ, atque à propoſito prorsùs alienæ ſunt; ut cuivis conferenti ſtatim liquebit. Pergit autem Apoſtolus v. 21. novæ objectioni occurrendo his verbis: *Lex ergò adversùs promiſſa Dei?* Quæſtio ex præcedente Reſponſione emergit ad hunc modum: Si Lex propter tranſgreſſiones populi *Iſraelitici*, à Deo illis propter peccata ipſorum irato, poſita fuerit, num ergò fatebimur, Legem adverſari promiſſionibus divinis, antea populo iſti ut *Abrahæ* ſemini factis; h. e. Deum offenſum mutâſſe benevolum conſilium, ac ferendo Legem gratioſa illa promiſſa reſcidiſſe? Primùm Apoſtolus abominatur objectionem; μὴ γένοιτο, abſit, inquit. Deinde reſponſionem adfert his verbis: *Si Lex data fuiſſet, quæ poſſet vitam dare, verè ex Lege eſſet Juſtitia, ſive Juſtificatio.* Reſponſio eſt manifeſtè elliptica ad hunc modum ſupplenda; *& tum reverà Lex fuiſſet promiſſioni contraria:* (quippe quæ ſtatuiſſet rationem vitæ ſive Juſtificationis adipiſcendæ, longè aliam atque diverſam ab ea, quæ promiſſione ſancita fuiſſet) *ſed longè aliter ſe res habet; Lex vitam dare non poteſt, proinde neque veram Juſtificationem.* Ubi manifeſtum eſt, εἰ γὰρ ἐδόθη νόμος ὁ δυνάμενος ζωοποιῆσαι idem eſſe, quod εἰ γὰρ ἐκ νόμου ἡ κληρονομία· ſuprà v. 18. proinde ζωοποιῆσαι vivificare, ſive vitam dare, eſſe dare κληρονομίαν, hæreditatem vitæ cœleſtis atque æternæ. Lex autem id facere, ſive dare dicitur, quod promittit; ut ſenſus ſit, ſi Lex promiſiſſet hæreditatem vitæ cœleſtis atque æternæ. In verbis ſequentibus ὄντως ἐκ νόμου ἦν δικαιοσύνη, apprimè notanda eſt emphaſis egregia in adverbio ὄντως, *verè.* Quippe concedit quidem Legi Apoſtolus (hoc illud ipſum eſt quod contendimus) ſuam quandam δικαίωσιν, Juſtificationem, ejuſmodi ſcil. quæ temporalem impunitatem, adeóque fælicitatem ſecum ferat; ſed ὄντως ἐκ νόμου εἶναι δικαιοσύνην·

σύνην· i. e. veram Juſtificationem, (quæ cum donatione cœleſtis hæreditatis conjuncta ſit) per Legem obtineri poſſe diſtrictè negat. Subjungit Apoſtolus v. 22. Ἀλλὰ συνέκλεισεν ἡ γραφὴ τὰ πάντα ὑπὸ ἁμαρτίαν· *Scriptura omnes ſub peccato concluſit*, ſive *peccatis involvit*: h. e. concluſos ſive involutos declaravit. Concludi ſub peccato, ſive peccatis involvi, is dicitur, qui peccati reatu adhuc obſtrictus tenetur. Irà ſub peccato concluſi in conſpectu Dei erant omnes ante Chriſtum, ſi Legem *Moſaicam* per ſe reſpicias; quippe quæ (ut modò dixit Apoſtolus) nullam veram Juſtificationem, quæ cum vitæ ſive hæreditatis cœleſtis donatione conjuncta eſſet, præſtiterit. Hoc beneficium ex promiſſo, credentibus dato in Ieſum Chriſtum, promanavit. ibid. Illa verò promiſſio ante Legem obſcuriùs facta, & ſub Lege velata, tandem in Evangelio apertiſſimè revelata fuit, v. 23. Summa eſt, verè juſtificabantur pii etiam *ſub Lege*, ſed non *per Legem*, ſed *per Gratiam Domini noſtri Ieſu Chriſti*, Act. 15. 11. Qui jam ex his omnibus non clarè perſpiciat, Apoſtolum contra Juſtificationem ex Lege argumentari ex hac Hypotheſi, quòd in Lege illa nulla omnino vera Juſtificatio, ſive peccatorum Remiſſio, quæ nempe ultra hanc vitam ſpectat, concedatur, næ is vel judicio planè deſtitutus, vel inſanabili præjudicio præpeditus ſit, neceſſe eſt.

§. 7. Sed audiamus tamen, quid contra tam luculentam hujus loci explicationem adferat Cenſor noſter. *Senſum alienum*, inquit, *Apoſtolo affingit, quem verba ſuâ ſponte non præbent. Lex, quatenus Fœdus Operum notat, non potuit dare vitam, quia nemo pacti conditionem implevit.* Sanè hic ſenſus *Ariſtarchi* noſtri tantùm abeſt ex ipſis Apoſtoli verbis ſpontè fluat, ut iiſdem vim faciat apertiſſimam; quin & non modò Apoſtoli verbis, ſed etiam totius contextûs ſcopo ac propoſito ſatìs manifeſto veluti ex diametro repugnet. Nam, primò ipſa phraſis (utì modò notavimus) *dare hæreditatem* ſive *vitam*, quoties Legi accommodatur, aliud ſignificare non poteſt, quàm hæreditatem ſive vitam promittere. Cùm ergò negat Apoſtolus, Legem *Moſaicam* dare vitam, negat in Lege iſta vitam promitti. Deinde quid coactius hâc interpretatione, Lex potìs, δυναμένη, non erat vitam dare hominibus, h. e. Lex potìs erat vitam dare hominibus, ſed ipſi homines non poterant illam accipere?

In notis vd pag. 213.

pere? Præterea disertè loquitur Apostolus de Lege, quatenus ab ipso Deo data, non quatenus ab homine sive præstita, sive non præstita fuit. *Si*, inquit, *Lex data fuisset, quæ vivificare*, seu *vitam dare potuisset*. Imò, inquit Censor, Lex reverà à Deo data erat, quæ impleta vitam dare potuisset. Annon hoc est Apostolo in os contradicere? Denique, quod ad scopum loci attinet, indè probat Apostolus, Legem non fuisse promissioni contrariam, quòd Lex ista non fuerit à Deo proposita ac lata, ut Lex sive Fœdus vitæ ac salutis æternæ; proinde Deus ferendo Legem, neutiquam aliam statuerit, aut diversam salutis obtinendæ rationem ab ea, quam in promisso *Abrahæ* facto, h. e. in Evangelio, priùs sanciviſſet. Loquitur igitur manifestè Apostolus de ipsa natura, sive constitutione Legis, non de eventu ejus ab homine pendente.

§. 8. Quod autem tam fidenter affirmat Censor, Legem, de qua hoc loco disserit Apostolus, *Fœdus Operum* notare; si Fœdus Operum ex communi sententia intelligatur, (prout ab ipso intelligi constat) nescio an quicquam ab eo hoc magis absurdum adfirmari potuerit. Fœdus Operum Theologi vulgò dicunt primævam illam sive originalem Legem, quæ primis hominibus in statu integritatis lata fuit, quæque perfectissimam atque absolutissimam Virtutem, sive æternæ Legi conformitatem, quæ per summas vires humanæ naturæ integræ, donisque supernaturalibus instructæ, præstari potuit, ab illis exegit, cum promisso immortalitatis si talem Justitiam adimplerent, cum sempiternæ verò mortis comminatione, si vel minimùm ab ea deflecterent. Hanc Legem docent etiam post lapsum ratam manere, adeóque ad usque mundi consummationem ratam manſuram; omnésque *Adæ* posteros universìm obligare, usque dum per Fidem in Christum Redemptorem ab istius obligationis vinculo liberentur. De hac quæstione sententiam meam, seu potiùs Catholicam, suprà satìs luculenter explicavi. Apostolum verò, in Capite isto Epistolæ ad *Galatas*, de ejusmodi Lege sive Fœdere nequaquam disputare, hisce argumentis apertissimum fiet. Primò loquitur Apostolus de Lege, quæ solis *Judæis* ex monte *Sinai* per Angelos, mediatore *Mose*, lata erat v. 19. non igitur de Lege aliqua, quæ totum genus humanum obligaret. Deinde disertè disserit de Lege quadam temporaria, quæ ut non ante

quandringentos demum & triginta annos poſt factam *Abrahæ* promiſſionem lata, ità vim ſuam diutiùs habitura non erat, quàm uſque dum ſemen promiſſum, h. e. Chriſtus, veniret, v. 17, 19, 25. Neque igitur cogitavit Legem perpetuam, humano generi coævam, & ſemper ad finem uſque mundi duraturam. Denique, manifeſtiſſimè in hoc Capite diſputat Apoſtolus de Lege quadam imperfectiori, quæ à Deo pro infinita ſua ſapientia *Judæis* ut pueris ac minorennibus, adinſtar pædagogi, data atque accommodata fuit, v. 23, 24, 25. coll. *cap.* 4. v. 1, 2, 3. Itaque certum eſt ipſum non agere de Lege abſolutiſſimam Virtutem exigente, qualem modò deſcripſimus. Scilicet populo rudi & carnali, atque ex *Egyptiaca* ignorantia recèns emerſo, mirè conveniſſet Lex, cui nihil citra *Paradiſi* Juſtitiam ſatisfeciſſet!

§. 9. Atqui, inquies, annon Scripturæ N. T. ſummam Legis *Moſaicæ* ſeveritatem atque rigorem in exigenda obedientia paſsim deprædicant? Annon hinc Lex illa *jugum importabile* expreſsè dicitur *Act.* 15. 10? Imò certè. Sed palàm eſt iis in locis Legem Ritualem imprimis reſpici, quæ plurima, eáque ferè graviſſima, præcepta *Judæis* præſcripſit, ità religioſiſſimè obſervanda, ut vel minimum eorum violâſſe penè piaculum fuerit. Certè *Judæis* in moralibus exigendis indulgentiorem fuiſſe Legem conſtat. Hinc *Polygamiam*, & divortii poteſtatem aliis de cauſis quàm ob adulterium, conceſſit; neque peccâſſe quiſquam videtur ſub Lege, qui eo jure uſus fuerit, niſi modum in re exceſſerit. Saltem de Polygamia res manifeſta eſt. Niſi verò (ut alia argumenta taceam) viros ſub Lege ſanctiſſimos ſapientiſſimóſque aut divinæ voluntatis in re tanti momenti prorsùs ignaros fuiſſe, aut in peccato contra conſcientiam per multos annos vixiſſe, adeóque ad mortem uſque abſque pœnitentia perſeveráſſe ſtatuendum ſit. In his autem & aliis Legem Chriſti fuiſſe ἐπίτασιν καὶ πρόσθηκην ἐντολῶν, i. e. *præceptorum* (Moſaicorum) *& intenſionem & adjectionem*, (ut loquitur *Chryſoſtomus*) tam unanimis eſt conſtánſque Catholicorum Doctorum ſententia, ut extremæ foret ſive inſcitiæ, ſive inverecundiæ, illud in dubium vocare. Itaque in eo eluxit iſte Legis *Moſaicæ* rigor & ſeveritas, quòd tot támque gravium Ceremoniarum obſervationem tam ſtrictè exegerit. Sanè per jugum illud importabile, cujus mentio

tio fit loco citato *Act.* 15. 10. Legem *Moſis* Ritualem ſignificari, indè manifeſtum eſt, quòd non niſi de Circumciſione, & cæteris Legis *Moſaicæ* Ceremoniis, Gentibus, quæ Chriſti Fidem amplexi fuerant, imponendis, quæſtio in *Hieroſolymitano* illo Concilio mota fuerit. Eodèm etiam pertinere mihi videtur locus celebris *Rom.* 4. v. 15. *Nam Lex iram operatur; ubi enim non eſt Lex, ibi neque tranſgreſſio.* Quanquam enim veriſſimum ſit, per Legem *Moſis*, Naturæ Legem in multis elucidatam fuiſſe; proinde à data Lege illa, multa peccata, quæ in moralibus committerentur, clariùs innotuiſſe, indéque majus pœnæ meritum peccatis iſtis accreviſſe; tamen putârim, Apoſtolum ibi reſpexiſſe imprimis multiplicia illa Legis *Moſaicæ* præcepta merè poſitiva, de Ritibus & Ceremoniis, *Judeis* ſummo rigore impoſitis. De his enim tantummodò ad amuſſim vera eſt illa Apoſtoli enuntiatio, *ubi non eſt Lex, ibi neque tranſgreſſio.* Apprimè autem conveniebat illa Legis *Moſaicæ* ritualis ἀκεῖβεια puerili *Judæorum* ſtatui. Nam: pueri quidem cùm fuerint *Judei*, pueri tamen erant laſcivi, immorigeri, atque proni in ritus idololatricos, quibus in *Egypto* aſſueverant: proinde negotioſæ iſtæ multiplicium Ceremoniarum ſcrupuloſitates (quemadmodum *Tertullianum* audivimus loquentem) rigidè ipſis injungendæ erant, quò in iis occupati ac detenti, à Gentium idololatria, quæ iſtiuſmodi ferè ritibus conſtabat, retraherentur.

§. 10. Puto me jam abundè demonſtrâſſe, argumentationem Apoſtoli in Epiſtolis ad *Rom.* & *Gal.* contra Juſtificationem ex Lege *Moſaica* nequaquam hâc Hypotheſi niti, quòd Lex iſta abſolutiſſimam, adeóque impoſſibilem Virtutem, ut conditionem Juſtificationis, exegerit; ſed fundamento planè contrario inniti, nempe, quòd in Lege *Moſis*, juxta literam accepta, nulla omnino vera Juſtificatio, ſive Remiſſio peccatorum, quæ ultra hanc vitam ſpectet, exhibita fuerit. Reſtat ut Objectioni non contemnendæ, alicubi à te allatæ, ſatisfaciam. Objectio hujuſmodi eſt. Conſtat ex multis *Pauli* locis, in Epiſtola præſertim ad *Romanos*, Legem *Moſaicam* aliquoties ab ipſo accipi ſenſu ſpirituali, quatenus & Juſtitiam ſpiritualem præſcripſit, & Juſtificationem veram, cum æternæ vitæ donatione conjunctam, promiſit. Ità Lex dicitur à *Paulo ſpiritualis*, *ſancta* & *bona*, Rom. 7. v. 14, 17. *vitæ man-*

datum, ibid. v 10. Item dicit Apostolus, *Legem per Fidem stabiliri*, Rom. 3. v. ult. quæ de Lege carnaliter & juxta literam accepta affirmari nequeunt, *&c.* Respondeo verbis celeberrimi Episcopi *Dionysii Alexandrini* apud *Athanasium:*

Inter Opera Athan. *Tom.* 1. *p.* 919. Paris. 1627.

ὁ μακάριος Ἀπόστολος Ῥωμαίοις μὲν ἐπιστέλλων, ἔλεγεν, ὁ νόμος πνευματικός ἐστι· καὶ ὁ νόμος ἅγιος· καὶ ἡ ἐντολὴ ἁγία, καὶ δίκαια καὶ ἀγαθὴ· καὶ μετ' ὀλίγον· τὸ γὰρ ἀδύνατον τοῦ νόμου ἐν ᾧ ἠσθένει· Ἑβραίοις δὲ ἔγραφεν, ὁ νόμος οὐδένα τετελείωκε· καὶ Γαλάταις μὲν, ἐν νόμῳ οὐδεὶς δικαιοῦται· Τιμοθέῳ δὲ, ὅτι καλὸς ὁ νόμος, ἐάν τις αὐτῷ νομίμως χρῆται· καὶ οὐκ ἄν τις αἰτιάσαιτο τὸν ἅγιον ὡς ἐναντία καὶ μαχόμενα γράφοντα, ἀλλὰ καὶ μᾶλλον θαυμάσειεν ἁρμιζόντως πρὸς ἑκάστους ἐπιστέλλοντα· ἵνα οἱ μὲν Ῥωμαῖοι καὶ οἱ ἄλλοι μάθωσιν ἀπὸ τοῦ γράμματος ἐπιστρέφειν εἰς τὸ πνεῦμα· οἱ δὲ Ἑβραῖοι καὶ Γαλάται παιδευθῶσι, μὴ εἰς τὸν νόμον, ἀλλ' εἰς τὸν Κύριον τὸν δεδωκότα τὸν νόμον ἔχειν τὰς ἐλπίδας. i. e. *Beatus Apostolus in Epistola ad* Romanos *dixit, Lex spiritualis est, & Lex sancta est: & præceptum sanctum & bonum. Et paulò pòst, nam quod impossibile erat Legi, in quo infirmabatur. Ad* Hebræos *quoque scripsit, Lex neminem perfecit. Itidem ad* Galatas, *in Lege nemo justificatur. Ad* Timotheum *verò Legem bonam esse dixit, si quis eâ legitimè utatur. Neque tamen quis ob id sanctum virum reprehenderit, quasi qui contraria scripserit; sed potiùs eum admiratione prosequatur, quòd tam congruentia pro re nata ad singulos scripta miserit: ut &* Romani *& alii condiscerent à litera ad Spiritum converti,* Hebræi *verò &* Galatæ *instituerentur, non in Legem, sed in Dominum, datorem Legis, spem suam habere.* Ex hoc testimonio apparet Veteres sensisse, 1°. Vocabulum ὁ νόμος apud *Paulum* ὁμωνύμως, sive aliâ atque aliâ significatione, usurpari: 2°. Bifariàm omnino Legem accipi in *Paulinis* Epistolis, nempe, juxta literam & juxta Spiritum; hoc est, quatenus ipsum erat Evangelium sub veteribus figuris delitescens, & ceremoniarum velis obtectum, ab ipso quidem *Mose* (imprimis in *Deuteronomio*) aliquatenus & pro temporum ratione explicatum, à Prophetis verò succedentibus (ut visum est Divinæ Sapientiæ) dilucidiùs ostensum, demùm à Christo & Apostolis plenissimè & luce ipso sole clariori patefactum: (Tertiam illam Legis σχέσιν, quâ scil. Fœdus Operum ab Evangelio distinctum, quale suprà descripsimus, denotet, penitùs ignorârunt Patres optimi; solis illud seris eorum nepotibus, nimiùm oculatis, phantasma videre licuit.) 3°. Elogia illa omnia,

omnia, quæ Legi tribuuntur, nempe quòd sit *spiritualis, sancta*, &c. ipsi competere, quatenus juxta Spiritum, sive pro ipso Evangelio accipitur: 4°. Quoties *Paulus* Legi Justificationem detrahit, Legem intelligi juxta literam: Nam *Dionysius* loca illa, *per Legem nemo justificatur*; & *quod impossibile erat Legi, quòd infirmabatur*; & *Lex neminem perfecit*; ut parallela & gemina adducit: 5°. Apostolum istâ homonymiâ uti, h. e. Legem modò spiritualiter, modò carnaliter & juxta literam, accipere ἁρμοζόντως, *aptè* & *congruenter* eorum Hypothesibus, ad quos, vel quorum gratiâ, Epistolas scripsit. Quod sanè verissimum est. Nimirum Legem nonnunquam spiritualiter accipit *Paulus*, præsertim in Epistola ad *Romanos*, ut *Judæi* & *Judaizantes* Christiani, *Romæ* degentes, condiscerent à litera ad Spiritum converti. Quanquam enim *Judæi* in externa illa Justitia, quæ literâ Legis præscripta erat, ferè acquiescerent, tamen deditâ hîc operâ cœcutiêrunt: cùm ipsis primùm per *Mosem* ipsum, (ut modò diximus) deinde clariùs per Prophetas spiritualis illa Justitia, quæ sola ad salutem valeat, ostensa fuerit. Itaque eos omnes meritò peccati mortalis in conspectu Dei reos agit Apostolus, qui externâ, quæ in Lege erat, Justitiâ superbirent; cùm interim spiritualem illam Justitiam, in Lege quidem velatam, sed ipsis aliunde sufficienter revelatam, prorsùs negligerent. Cùm verò Legi Justificationem detrahit Apostolus, Legem juxta literam intelligit; ídque rursùs ἁρμοζόντως. Nam hic fuit præcipuus & capitalis *Judæorum* error, quòd veram & cum æternæ vitæ donatione conjunctam Justificationem, sive Remissionem, in litera Legis, h. e. in Ceremoniis & Sacrificiis Lege præscriptis, quæsiverint. Imò qui ex *Judæis* spiritualem Justitiam Lege adumbratam non ignorabant, aut existimârunt (ut alibi à nobis observatum est) spiritualia illa præcepta, consilia potiùs quàm præcepta fuisse; aut certè putârunt, suas istiusmodi præceptorum transgressiones partim quotidianis victimis, partim annuo sacro piaculari ità expurgatas fuisse, ut nulla eorum memoria apud Deum restaret. Multis itaque (neque id frustrà) ostendit Apostolus, per Legem illam Ritualem neminem justificari ἐνώπιον τοῦ Θεοῦ, *in conspectu Dei*; ἐκ νόμου γὰρ ὅλως εἶναι δικαιοσύνην, *veram Justificationem ex Lege nemini contingere*; externa illa Sacrificia

Harm. Apost. Dissert. 2. cap. 16. p. 309.

per se misera fuisse peccatoribus refugia, quippe quæ profuerint tantùm *ad carnis purgationem*, i. e. ut homo exteriùs à pœna ac morte corporea liberaretur, *Heb.* 9. v. 13.

ANIMADVERSIO XX.

ad Dissert. 2. Cap. 9, &c.

IN hoc Capite & sequentibus, secundum Apostoli argumentum, quo Legi *Mosaicæ* Justificationem detrahit, ab infirmitate ejusdem Legis ad hominem à peccati dominio liberandum desumptum, fusè explico. Huic autem universæ disputationi meæ tu (in notis ad finem capitis undecimi *Dissertationis* posterioris, quas methodi commodioris gratiâ hîc examinandas censui) sequentia opponis: " Tu verò jam post " excursiones ad rem redis, & quæris rationem, ob quam " *Paulus* opera, & quæ opera, secluserit à Justificatione. Sta- " tuis ob defectum Legis ad sanctificationem invalidæ, *Paulum* " Opera, in statu naturæ sine Gratia Evangelii, Legis sive " *Mosaicæ* sive naturalis ope debili, & naturalium virium " præsumptione peracta, excludere. Hæc est summa *Disser-* " *tationis* tuæ. His hæc oppono consideranda. 1°. Phan- " tasma tuum de Legis defectu in *Paulo* ad *Romanos* nusquam " apparet. 2°. Impotentia sanctificandi aliud est ab impo- " tentia justificandi peccatorem in conspectu Dei. 3°. *Pau-* " *lus* non palum erigit, cum quo ad ingenii lacertos exer- " cendos confligat; sed cum adversariis Justitiæ Dei manus " conserit. *Judæi* verò Pharisaico tumore inflati Justitiam " quærebant ex Legis observantia, in qua præstanda se Dei " Gratiâ fuisse adjutos autumabant, utì Pharisæus, qui Deo " gratias egit ob suam Virtutem & bona Opera, *Luc.* 18. 11, " 12. Nemo contendit se justificari posse ex Operibus abs- " que Gratia Dei præstitis. *Ethnici* sapuere, qui dixere, χω- " εὶς δαίμονος οὐδεὶς ἀγαθός. 4°. *Paulus* loquitur de *Abrahamo*, " *Davide*, & servis Dei omnibus, qui Dei misericordiâ per " Christum justificantur, quibúsque Deus Justitiam imputat " absque

" absque Operibus, *Rom.* 4. 6. Certè Apostolus illa Opera " etiam bona excludit, quæ fideles præstant. Neque enim in " quæstionem potuit adduci, utrùm homo ex Operibus malis, " aut indifferentibus, justificetur.

RESPONSIO ad Animadversionem XX.

§. 1. Priusquam ad ratiunculas tuas sigillatim respondeam, iterum monendus est Lector, me in *Harmonia* satis apertè distinxisse inter Opera quæ *Paulus* κατὰ τι & *secundùm quid*, & quæ ἁπλῶς & *simpliciter* excludit à Justificatione. Κατὰ τι excludit Opera bona omnia universim, nempe hactenus, ut neget quenquam optimis suis Operibus justificari posse, per aliam Legem, quàm per eam quæ in Sanguine & Sacrificio Christi meritorio fundetur. Hoc in explicatione primi argumenti Apostolici satis luculenter ostendi. Ἁπλῶς verò à Justificatione ejusmodi tantùm Opera rejicit *Paulus*, quæ vel Ritualia sunt, vel etiam Moralia, solâ vi Legis *Mosaicæ*, (nedum naturalis) præstita: h. e. externam & carnalem illam Justitiam, quæ Legis & Fœderis Sinaitici literam non excederet, omninò repudiavit Apostolus; utpote quæ ad Justificationem, sive Acceptationem hominis ad Salutem, apud Deum nequaquam sufficeret. Illud in elucidatione secundi argumenti Apostoli fusiùs demonstravi. Breviter: Quæritur de causa Justificationis nostræ meritoria? Hanc in ἀπολυτρώσει, & Satisfactione Christi Servatoris nostri sola, statuit Apostolus, exclusis quibusviscunque nostris Operibus. Atque hic scopus est argumenti Apostolici prioris. Quæritur de causa Justificationis nostræ sine qua non, sive de conditione ex parte nostra requisita. Hîc *Paulus* non omnia universim Opera à Justificatione secludit, sed vel Opera Legis Ritualia, vel etiam Moralia externa, quæ sine speciali Gratia Evangelii & Spiritu Christi præstari poterant. Atque ad hanc lineam dirigitur argumentum Apostoli alterum, quod in hoc Capite nono *Dissertationis* posterioris, & sequentibus explicavi. Ista visum est hîc repetere, quia abundans cautela (ut ipse alicubi monuisti) non nocet, imò planè necessaria est ad propositum meum, cui cùm adversario tam iniquo, atq; à candore Christiano prorsùs alieno, (omnia mea in pejus distorquente) lis intercesserit. *Vid. Harm. Apost. Dissert. 2. c. 7. Sect. 2, 3. & cap. 12. Sect. 2.*

§. 2. His

§. 2. His verò præmiſſis, ad argumenta venio, quibus Diſputationem noſtram in Capitibus 9, 10, 11, 12, 13. *Diſſertationis* poſterioris oppugnas. In aciem prodeat primum argumentum. *Phantaſma tuum*, inquis, *de Legis defectu in* Paulo *ad* Romanos *nuſquam apparet*. Reſpondeo: Si quæ in Capitibus quinque integris de Legis *Moſaicæ* juxta literam ſpectatæ impotentia ad ſalutiferam pietatem hominibus ingenerandam, fusè diſſerui, & luculentiſſimis *Pauli* teſtimoniis aſtruxi; ſi, inquam, iſta omnia mera ſint ſomniantis cerebelli mei phantaſmata, quæ apud *Paulum* nè appareant quidem uſquam, tum deſperabo in poſterum, me quicquam explorati proferre in medium poſſe: ſtatuerim (ſi *Pyrrhonia* Schola quicquam ratum, ſtatutum, aut fixum admitteret) Scepticos omnium mortalium fuiſſe ſapientiſſimos, atque in rebus humanis nihil certi repetiri. Legat æquus quivis Arbiter Capita iſta quinque ſeriò, attentè, & ſine partium ſtudio, & judicet tandem, an ego phantaſmate illudar, an Cenſor potiùs noſter impudentiæ litet.

§. 3. Succedit altera tua ratio. *Impotentia*, inquis, *ſanctificandi aliud eſt ab impotentia juſtificandi peccatorem in conſpectu Dei*. Fateor. Verumtamen iſta duo ità inter ſe connexa ſunt, ut alterum ab altero divelli nequeat: ideóque Lex iſta, quæ ad Sanctificationem, h. e. liberationem hominis à peccati dominio, non valet, neque ad Juſtificationem valebit. Ut fruſtrà ſis, qui toties in hac *Cenſura* mihi objicias, quòd Juſtificationem cum Sanctificatione confundam: nunquam id feci, aut facturus ſum. Nihilominus conſtanter affirmo, Juſtificationem ex ordinatione divina præſupponere Sanctificationem, ſaltem primam & imperfectiorem. Quippe Deus, etiamſi propter Chriſtum juſtificet impium, (*Rom.* 4. v. 5.) h. e. qui cùm talis aliquando fuerit, tamen per Fidem & veram Reſipiſcentiam talis eſſe deſiit; nihilominus nunquam juſtificare poterit impium, (*Exod.* 34. v. 7.) h. e. in impietate ſua adhuc manentem. Breviter; Juſtitiæ & Sanctitati divinæ repugnat (ut jam alicubi diximus) cuiquam peccata remittere, adeóque jus ad vitam cœleſtem donare, qui non à vitiis purgetur, quin & θείας φύσεως κοινωνὸς quodammodo fiat. Rectè igitur & ſapientiſſimè Apoſtolus, de Lege *Moſis* diſputans, ab impotentia ſanctificandi ad juſtificandi impotentiam con-

concludit. Miror hæc à quopiam in dubium vocari, qui observaverit, *Paulum* in ipso contextu disputationis, quâ ex Lege *Mosis* neminem justificari contendit, tam multa de ista impotentia ejusdem Legis inseruisse. Quid? An gravissimus & Θεόπνευστος Apostolus sermonem ἀπροσδιόνυσον instituit, aut nescivit, quid ad causam suam pertineret?

§. 4. Ad tertium argumentum tuum venio. *Paulus*, inquis, *non palum erigit*, &c. Cùm hoc argumentum legerem, prorsùs obstupui. Nunquam credidissem (nisi tu prodigioso exemplo fidem ejus rei fecisses) tantum potuisse studium partium. Scil. Ut ego heterodoxus videar, totus mundus in quæstione de necessitate Gratiæ orthodoxus fiet. Pharisæi Judæorum superbissimi de Gratiæ necessitate rectissimè senserunt; imò ipsi *Ethnici*, quod ad quæstionem istam attinet, satìs sapuere: ideóque frustrà fuisset *Paulus*, & cum umbra sua dimicâsset, si Opera ex naturæ viribus sine Gratia Dei præstita oppugnâsset. An Fidem tibi ipsi habuisti, cùm lepidam hanc fabulam narrares? Equidem vix credo. Nescire non poteras, me Capite 15. *Dissertationis* posterioris ex Scripturis, *Josepho*, & Rabbinis, clarè & prolixè demonstrâsse, universos Judæorum magistros profundâ & crassissimâ Gratiæ ignorantiâ laborâsse; Sadducæis statuentibus absolutam arbitrii αὐτεξουσίαν· Pharisæis fato & astris divinæ Gratiæ honorem deferentibus. Nescire non poteras me ejusdem Capitis §. 19. ad objectionem tuam de Pharisaica gratiarum actione ex professo respondisse. Hinc ad calcem Capitis istius ità ipse scribis: Paulus *fuit strenuus Gratiæ divinæ adversùs tumidas, de naturæ viribus & operibus in regeneratione quicquam valentibus, opiniones, vindex. Sed in lite, quam de Justificatione in Epistola ad* Romanos *instituit & componit, de Gratiæ sanctificantis efficacia ex professo non agit. Dissertatio igitur hæc eruditionis licèt eximiæ prægnans, nihil tamen lucis confert ad controversiæ statum & determinationem.* Ubi non obscurè fateris, vera esse quæ in Capite isto disserui, sed tamen ἀπροσδιόνυσα. Præterea, si *Paulus* fuit strenuus Gratiæ divinæ, adversùs tumidas de naturæ viribus opiniones, vindex, tum fuere, qui tumidas istas opiniones animo conceperant, aut Apostolus palum sibi erexit quocum confligeret. Quinam verò isti? An *Judæi?* negas. *Ethnici?* neque id qui-

dem fateberis. Verùm ad istum modum variare solent (ut verè dixit olim vir magnus) qui non ex vero sermonem depromunt, sed ex arte loquuntur omnia.

§. 5. Ad quartum atque ultimum tuum argumentum, de *Abrahamo* & *Davide*, sæpiùs Lectorem cogor monere, me prolixam responsionem reddidisse *Harm. Apost. Dissert.* poster. *cap.* 12. §. 14, 15. & seq. Itidem appendicem hujus argumenti, nempe, in quæstionem adduci non potuisse, utrùm homo ex Operibus malis, aut indifferentibus, justificetur, ineptum esse cavillum clarè ostendi ejusdem Capitis §. 13.

ANIMADVERSIO XXI.

ad Dissert. poster. cap. 10. Sect. 3. p. 209.

IN hoc Capite argumentum Apostoli ab infirmitate Legis ductum enucleatiùs expositurus, observo, Legem veterem duplicis Gratiæ auxiliaris defectu laborâsse, nempe tum externæ, sive promissi vitæ æternæ, tum internæ, sive doni Spiritûs Sancti. Ad prius quod attinet, affirmo, non exiguum fuisse impotentiæ Legis indicium, quòd promissiones ejus & comminationes, in quibus vis Legis cujuscunque sita est, non erant nisi temporales ac terrenæ. Quod postquam paucis explicaveram, in hæc verba periodum concludo: *Non potuit igitur Lex* Mosis, *quæ nihil ultra hanc vitam boni promiserit, studium virtutis ardens, constans, indefessum, in hominibus efficere.* Ad hæc tu. *Quàm propè abest à blasphemia hæc Legis* Mosaicæ *derogatio, quæ Christi verbis in parabola de epulone diserte adversatur* Luc. 16. 29. *& alibi expressis, v.* Joh. 5. 39. *Hoc ex* Socini *lacunis hauris.* Mosen *non magis quàm* Sadducæi, *quos Scripturæ imperitos Christus redarguit, intelligis. Lex* Mosis *multò plus, quàm Fœdus de* Canaanis *possessione in pace, complexa fuit & docuit.*

RESPON-

RESPONSIO ad Animadverſionem XXI.

§. 1. Optârim, tui cauſâ, ut bilis hîc tibi mitiùs efferbuiſſet. Certè enim ultra omnes veritatis, candoris, & modeſtiæ Chriſtianæ limites te abripuit, ſive Zelus tuus ὁ κατ' ἐπίγνωσιν, ſive Hypotheſin tuam temerè conceptam defendendi ſtudium immoderatum. Ais, dogma hoc meum è *Socini* (impuriſſimi Hæreſiarchæ) lacunis hauſtum; me veteris Scripturæ haud magìs peritum eſſe, quàm fuere ipſi *Sadducæi*; denique, ſententiam hanc meam ad blaſphemiam proximè accedere. Grave profectò crimen meum, ſi hæc vera ſint; ſed & gravis calumnia tua, ſi falſa. Utinam verò tu tam facilè à λοιδορίας crimine temet liberare potuiſſes, quàm ego Hypotheſin meam ab invidia, quâ ipſam onerâſti, vindicare poſſum.

§. 2. Ut res tota clariùs eluceſcat, moneo Lectorem, me in hoc ipſo Libri mei Capite cautè & ſollicitè explicâſſe, quo ſenſu affirmem, vitam æternam in V. T. non promitti. Primùm diſertè profiteor, me Vetus Teſtamentum intelligere cum Apoſtolo (*Gal.* 4. v. 24.) propriè Fœdus in Monte *Sinaï*, mediatore *Moſe*, cum Iſraelitis ſancitum; ut diſtinguitur à V. T. laxiùs ſumpto, quatenus omnia comprehendit, quæ in *Moſe*, Hagiographis ac Prophetis continentur. Imò hanc Legis diſtinctionem, quam ab *Auguſtino* edidici, Lectori ut apprimè obſervandam expreſsè propono. Deinde dico, pactum Sinaiticum bifariàm ſpectari poſſe, carnaliter & ſpiritualiter: carnaliter quidem, quà inſtrumentum erat carnali populo ordinatum ad temporale bonum; ſpiritualiter autem, quatenus Spiritu Dei præditis, ſub carnalium rerum typis, cœleſtia promittebat. Hinc verum eſſe agnoſco, tum terrena illa promiſſa, data Legi Operum, ſigna fuiſſe eorum bonorum quæ Legem Spiritûs ſequebantur, atque hæc ſub illis Dei ipſius intentione fuiſſe comprehenſa; tum extare quædam in ipſa Lege promiſſa generalia, ſeu generalibus terminis facta, in quibus vitam æternam non tantùm contineri poſſe, ſed & intentione divinâ contentam fuiſſe, manifeſtum ſit. Hæc colligo ex interpretatione ipſius Chriſti ejúſque Apoſtolorum, *Mat.* 22. 31, 32. *Heb.* 11. 16. &c.

Harm. Apoſt. cap. 10. *Sect.* 8. *pag.* 216. *Diſſert. poſter.*

Summam rei ità paucis complector: *Verbo dicam: Lex carnaliter & ſecundùm literam ſpectata, nec ſpiritualem Juſtitiam exegit, nec vitam æternam promiſit; ſpiritualiter verò conſiderata erat ipſiſſimum Evangelium, nec de ea hoc modo ſumpta, controverſiam hîc ullam movet Apoſtolus.* Denique non diffiteor, quin meliores & perſpicaciores in populo *Judaico*, multis rationibus (quas hujus Capitis §. 9. enumero) adducti, crediderint, Deum, præter ſpecialia illa bona ad hanc vitam pertinentia, & Legibus *Moſaicis* expreſsè promiſſa, etiam alia poſt mortem cultoribus ſuis fidis largiri velle. Imò illud omnino ſtatuendum eſſe dico, nè viros ſanctos eximióſque in populo Dei ſuûm inſtar tum vixiſſe, tum devixiſſe credatur. Addo, (§. 10.) Prophetas, qui ſingulis ſæculis in populo Dei floruerunt, obtecta futuræ vitæ in Lege myſteria etiam plebi, pro captu ipſorum, evolviſſe.

§. 3. Ut hinc appareat, te vel oſcitanter prorsùs legiſſe Librum meum, vel ſpretâ conſcientiâ *Animadverſiones* in ipſum ſcripſiſſe, qui aliquoties contrariam mihi ſententiam affingas. Sic in notis ad libri mei p. 213. mecum, ſeu potiùs cum umbra tua, dimicaturus, ità diſputas: *Lex verò* Moſaica *Evangelium in Lege Ceremoniali velatum geſſit. Populum ſuum Deus etiam in V. T. ſpiritualem docuit & poposcit Juſtitiam; & promiſſa Patriarchis facta Lex* Moſaica *non abrogavit. Fides igitur illa, quâ* Noachus & Abraham, *& cæteri Dei ſervi promiſſorum hæredes fuere, etiam ſub Lege viguit.* Concedo totum, & in Libro, quem hâc *Cenſurâ* tuâ ſollicitâſti, totum illud me conceſſiſſe diſertis verbis ſæpiùs profeſſus ſum. Itidem in notis ad p. 215. mihi ex loco celebri Epiſtolæ ad *Hebræos, cap. 7. v. 19.* oſtendenti, ſpem melioris vitæ, quâ Deo appropinquamus, Fœdere *Sinaitico*, nempe ſecundùm literam accepto, non niti, ſed Evangelio, antea quidem obſcuriùs revelato, poſtea verò pleniùs introducto, ſic occurris: *Cui ſobrio Lectori perſuaſeris, neminem ad Deum ſub V. T. appropinquâſſe, & Deum per Chriſtum inveniſſe propitium?* Rogo à te viciſſim, quis ſobrius exiſtimaverit, me illud cuiquam perſuaſum voluiſſe?

§. 4. Ut itaque ad propoſitum redeam, cùm affirmo, vitam æternam in V. T. non eſſe promiſſam, hoc volo, promiſſum ejuſdem vitæ in pacto *Sinaitico* juxta literam non con-

contineri, neque externæ illi, atque ad literam Legis exactæ, Juſtitiæ factum eſſe: quicquid verò boni ſpiritualis, atque æterni in verbis iſtius Fœderis Dei intentione occultò ac ſecretè comprehenſum fuerit, illud totum ad Novum Teſtamentum, ſive Evangelium pertinuiſſe, ſub Veteri iſto velatum atque adumbratum. Jam ſi hoc ſit *Sociniſmus*, *Sadducæiſmus*, aut blaſphemia, tum (horreo blaſphemiam referens) *Sociniſmum*, *Sadducæiſmum*, blaſphemiam nobis propinârunt multis in locis ipſi ſcriptores Θεόπνευστοι N. T. ut in *Examine Animad.* 19. jam fusè oſtendi: tum quoque *Sociniſtæ*, *Sadducæi*, blaſphemi fuere, Veteres Scriptores in Eccleſia probatiſſimi, qui nobis in hac ſententia, veluti factâ catervâ, præiverunt. Vide *Gerardi Voſſii* Reſponſ. ad judicium *Ravenſpergeri* cap. 23. per totum. Ibi vir clariſſimus ingentem teſtimoniorum acervum congeſſit ex Veteribus, imprimis ex *Auguſtino*, quæ hanc ſententiam noſtram & confirment & egregiè explicent.

§. 5. Imò apparet, ſententiam iſtam, quam tu tam indignis modis infamâſti, fuiſſe Catholicorum omnium, ætate quâ floruit *Auguſtinus*, commune placitum. Sic enim ille *Tom.* 6. l. 4. contra *Fauſtum Manichæum*, *cap.* 11. *Temporalium quidem rerum promiſſiones Teſtamento Veteri contineri, & ideo Vetus Teſtamentum appellari*, Nemo noſtrûm ambigit, *& quòd æternæ vitæ promiſſio ad Novum pertinet Teſtamentum.* Quid quòd Hypotheſis tua noſtræ contraria, nempe, vitam æternam in Veteri Teſtamento, quà tali, repromitti, à Catholicis ætate *Auguſtini*, ut erronea, ſi non hæretica, in *Pelagio* damnata fuit? Hoc tibi (nullus dubito) permirum videbitur; ſed crede tuis oculis. *Auguſtinus* T. 7. de Geſtis *Palæſtinis cap.* 5. narrat, à Catholicis in Synodo *Dioſpolitana* objectum fuiſſe *Pelagio*, quòd Scriptis docuerit, *Regnum cœlorum etiam in V. T. promiſſum: Pelagium* verò ſe purgâſſe coram Synodo haud bonâ fide; ſcil. teſtimonia protuliſſe non quidem ex Veteri Teſtamento propriè & ſtrictè ſic dicto, nempe ex verbis Fœderis *Sinaitici* deſumpta, ſed quæ in Veteris Teſtamenti, laxiori ſenſu accepti, Scriptis habebantur. Hanc fraudem detexit *Auguſtinus* ibidem his verbis: *Recitatum eſt aliud quod in ſuo libello ſcripſit: Regnum cœlorum etiam in Veteri Teſtamento promiſſum. Ad quod* Pelagius, *hoc & per Scripturas probari poſſibile eſt, Hæretici autem in injuriam Vete-*

ris Testamenti hoc negant. Ego verò Scripturarum auctoritatem secutus dixi, quoniam in Propheta Danieli *scriptum est: Et accipient Sancti regnum altissimi. Quâ ejus acceptâ responsione Synodus dixit, neque hoc alienum est à Fide Ecclesiastica. Nunquid ergò fratres nostros, ut etiam hoc inter cætera objicerent, sine causa verba ista moverunt? Non utique: sed Veteris Testamenti nomen modò duobus dici solet, uno modo secundùm divinarum Scripturarum auctoritatem, alio secundùm loquendi vulgarissimam consuetudinem.* Paulus *nâmque Apostolus dixit ad* Galatas: *dicite mihi, inquit, Sub Lege volentes esse, Legem non audistis? Scriptum est enim, quòd* Abraham *duos filios habuit, unum de ancilla, alterum de libera, quæ sunt allegoria. Hæc enim duo sunt Testamenta, unum quidem in servitute generans, quod est* Agar: Sina *mons est in* Arabia, *quæ conjuncta est ei, quæ nunc est* Jerusalem, *serviens cum filiis suis: quæ autem sursum est* Jerusalem, *libera est, quæ est mater nostra. Cùm ergò Vetus Testamentum ad servitutem pertineat, unde etiam dictum est, Ejice ancillam & filium ejus, non enim hæres erit filius ancillæ cum filio meo* Isaac, *regnum autem cœlorum ad libertatem, quomodo etiam regnum cœlorum ad Vetus pertinet Testamentum? Sed quoniam, ut dixi, etiam sic solemus loqui, ut Scripturas omnes Legis & Prophetarum, quæ ante Incarnationem Domini, ministrante auctoritate Canonicâ, continentur, nomine Testamenti Veteris nuncupemus, quis Ecclesiasticis literis vel mediocriter eruditus ignorat, ità Scripturis illis promitti potuisse regnum cœlorum, sicut etiam illud Testamentum Novum, ad quod pertinet regnum cœlorum?* Refert quoque idem *Augustinus* ejusdem libri *cap.* 11. *Pelagium* coactum fuisse à Synodi Patribus inter cætera hoc quoque dogma suum in terminis damnare, nè ipse scil. damnaretur. En ipsa verba *Augustini: Videmus igitur & tenemus, non solùm à* Pelagio, *verùm etiam à S. Episcopis, qui illi judicio præsidebant, mala perniciosissima hujus hæresis esse damnata,* Adam *mortalem factum; quod ut plenius exponeretur quomodo dictum sit, additum est, qui sive peccaret, sive non peccaret, moriturus esset: quòd peccatum ejus ipsum solum læserit, & non genus humanum:* Quòd Lex sic mittat ad regnum, quemadmodum & Evangelium.

§. 6. Neque mirum videri cuiquam debet, Catholicos Doctores illud *Pelagii* placitum, scil. In Veteri Lege, quatenus

ab

ab Evangelio diſtinguitur, vitam æternam promitti, acriùs impugnâſſe: cùm id dogma apertum bellum indicat duobus Chriſtianæ Fidei notiſſimis principiis, (ſuprà à nobis in Examine *Animadverſionis* 17. *Theſ.* primâ & quartâ expoſitis:) nempe, 1. Fœdus vitæ cum *Adamo* initum in ſtatu integro, per ipſius peccatum irritum fuiſſe non modò ipſi, ſed & poſteris ipſius; ut jam omnes *Adæ* filii, quà tales, ſint filii mortis, h. e, à promiſſo omni vitæ immortalis penitùs excluſi. 2. Nullum unquam æternæ vitæ Fœdus cum lapſi *Adami* poſteris iniviſſe Deum, quod non in Chriſto Servatore noſtro confirmatum ac ſancitum fuerit; proinde ipſiſſimum fuerit Evangelium. Indè etiam inferebat *Pelagius*, poſſe hominem ex quacunque Lege, etiam naturæ, vitam aſſequi cœleſtem atque æternam. Sed è diverticulo in viam.

Viderit itaque D. Trumannus, quomodo de eo ſe purgaturus ſit, quòd hoc ipſum Pelagii dogma γυμνῇ κεφαλῇ defendere auſus fuerit.

§. 7. Iſtis *Auguſtini* lucem non exiguam afferet locus *Hieronymi* lib. 1. adverſ. *Pelag.* ubi *Critobulum* (qui *Pelagii* perſonam ubique in iſtis dialogis ſuſtinet) ſic affatur: *Addis præterea, Regnum cœlorum etiam in Teſtamento Veteri repromitti; poniſque teſtimonia de Apocryphis: cùm perſpicuum ſit regnum cœlorum primùm in Evangelio prædicari per* Johannem Baptiſtam, *& Dominum Salvatorem & Apoſtolos. Lege Evangelia*, &c. *Tu autem nos* Manichæos *vocas, quòd Legi Evangeum præferentes, in illa umbram, in hoc veritatem eſſe dicamus; & non intelligis ſtultitiam tuam impudentiæ copulatam. Aliud eſt damnare Legem, quod* Manichæus *facit; aliud Legi præferre Evangelium, quæ Apoſtolica doctrina eſt*, &c. In hoc illuſtri teſtimonio, præterquam quòd ex eo apertiſſimè conſtat, ſententiam noſtræ contrariam olim à Catholicis in *Pelagio* damnatam fuiſſe, duo alia apprimè notanda: 1°. *Pelagium* aſſertionis ſuæ probationem non aliunde ferè petiiſſe, quàm ex Scriptis V. T. Apocryphis: quæ cùm exarata fuerint diu poſt exilium *Babylonicum*, quo tempore doctrina de futura vita (utì *alicubi in *Harmonia* obſervavimus) clariùs innotuit, nihil mirum ſi in iis ea doctrina diſertiſſimis verbis conſignata reperiatur. 2°. Hæreſiarcham Catholicis ſuæ ætatis, propterea quòd docerent regnum cœlorum in V. T. non promitti, *Manichæiſmum* exprobrâſſe; quaſi ſcil. cum blaſphemo illo Doctore Legem Dei per *Moſen* datam indigniſſimè infamâſſent. Tu igitur videris, mi Cenſor, annon *Pelagianæ*

Diſſert. poſter. cap. 10. *Sect.* 11, 12.

culpæ

culpæ affinis ſis, qui mihi, hanc ipſiſſimam Catholicorum doctrinam adſerenti, hæreſis adeóque blaſphemiæ notam inurere non ſis veritus.

§. 8. Diſcat verò tuo exemplo Lector cordatus, quàm malè ſibi conſulant, qui *Syſtematicorum* & *Neotericorum* Scriptis operam ſuam, ſtudiúmque penè omne impendunt, vel prorsùs neglectis, vel perfunctoriè tantùm lectis, Veterum monumentis. Nimirum præter alia ſatìs gravia incommoda, illud ipſis plerumque accidit, ut Catholica ſubinde Dogmata pro hæreticis repudient, exploſa verò Hæreticorum deliria, tanquam Oracula divina ſuſpiciant atque exoſculentur. Itaque, juvenes, ſi à Theologaſtris iſtis decipi non vultis, poſt Sacro-ſanctas Scripturas,

——*Vos exemplaria Patrum*
Nocturnâ verſate manu, verſate diurnâ.

ANIMADVERSIO XXII.

ad Diſſert. 2. cap. 10. Sect. 4. p. 210.

Hic dico, *Legem* Moſis *eo ipſo quòd promiſſa & minas tantùm temporales contineret, ad ingenerandum hominibus genium atque ingenium humile ac ſordidum, atque à vera ac genuina pietate planè alienum, aptam natam fuiſſe*, &c. Quæ tu hâc acri nimis *Cenſurâ* perſtringis: *Cohibe, obſecro, linguæ petulantiam adversùs Dei ſapientem œconomiam blateramis. Annon* Moſes *per totum penè* Deuteronomium *hiſce argumentis populum excitat & flectit ad fidem, metum, amorem, & obſequium Dei? Num beneficia divina non apta ſunt animum ad Deum erigere? Annon* Moſes, *ſive Dominus ipſe, in* Moſis *Lege proſpexit Religioni, & cavit adversùs hanc ingratitudinem? Sed Deum convitiis petis, quando Legem, à Deo ad pietatem pariendum inſtitutam, id efficere non potuiſſe temerè aſſeris. Legem puram & ſanctam calumniis oneras, quaſi ipſa eſſet avaritiæ & intemperantiæ nutrix. Putidus certè eſt fons, unde hæc ſcaturiit corrupta*

corrupta & inſalubris communicatio. Ex Davidis *de Lege Dei, per* Moſen *data, judicio meliori, quod legendum proſtat* Pſal. 19. 7, 8. *corrige tuum.*

RESPONSIO ad Animadverſionem XXII.

§. 1. Bona, quæſo, verba, O nove *Ariſtarche!* Cohibe iram, ſeu potiùs furorem tuum, & judicio tranquillo ac ſedato perpende, annon hoc convitiorum plauſtrum, quod in me jam ſatìs afflictum & contritum homuncionem exonerâſti, tandem in ſanctiſſimos Eccleſiæ Patres, adeóque in ipſos Scriptores Θεοπνεύστους, recidat. Loquor de Lege ſive Pacto *Sinaitico* carnaliter & juxta literam accepto, & quatenus nihil ultra hæc carnalia ac terrena bona promiſit. Dico Legem iſtam, eo modo ſpectatam, ad ingenerandum hominibus ingenium humile ac ſordidum, atque à vera ac genuina pietate planè alienum, aptam natam fuiſſe. Quis ſanus illud in dubium vocaverit? Quippe rei ipſius evidentia verum eſſe, quod dico, clamat. Te enim appello, cùm apud te ſis, cùm vera & genuina pietas in abnegatione noſtrî, in hujus vitæ contemptu, in animo ad futuram ac meliorem vitam anhelante, imprimis conſiſtat, fieríne potuit, ut pietatem illam in homine efficeret Lex *Moſis*, carnaliter & juxta literam ſpectata, quatenus nihil boni ultra hanc vitam promiſit?

§. 2. Si verò qui hoc dixerit, linguâ petulanti adversùs Dei ſapientem œconomiam blaterâſſe, Deum ipſum convitiis petiiſſe, *&c.* cenſendus ſit, quid tandem, (ut cæteros Patres non commemorem) de *Auguſtino* ipſo fiet? Sic enim ille T. 6. contrà adverſ. Legis & Prophet. lib. 1. c. 117. *Quamvìs in Vet. Teſt. propter temporalium bonorum promiſſionem, malorúmque comminationem, ſervos pariat temporalis* Hieruſalem: *in Novo autem, ubi Fides impetrat Charitatem, quâ Lex poſſit impleri, non magìs timore pœnæ, quàm dilectione Juſtitiæ liberos pariat æterna* Hieruſalem: *tamen & illis temporibus fuerunt juſti ſpirituales, quos non occidebat litera jubens, ſed vivificabat Spiritus juvans.* Idem T. 7. contra *Donatiſtas* cap. 15. *Ex ipſo animali ſenſu, quia homo animalis non percipit quæ ſunt Spiritûs Dei, omnes diſſenſiones & ſchiſmata generantur. In quo ſenſu perſeverantes Apoſtolus dixit ad Vetus Teſtamentum pertinere,*

nere, id eſt, ad terrenorum promiſſorum cupiditatem, in quibus quidem ſpiritualia ſignificantur, ſed animalis homo non percipit quæ ſunt Spiritûs Dei, &c. Idem rursùs T. 4. Expoſ. Epiſt. ad *Gal.* c. 6. *Manifeſtum eſt, etiam illam Scripturam, quæ priori populo data eſt, Legem Chriſti fuiſſe, quam venit implere Charitate, quæ non implebatur timore. Eadem igitur Scriptura, cùm bonis terrenis inhiantes premit ſervos, Teſtamentum Vetus; cùm in bona æterna flagrantes erigit liberos, Teſtamentum Novum, vocatur.*

§. 3. Sed quid de Patribus loquor? Ipſe *Paulus* Apoſtolus (cujus authoritate ad ſomnia tua confirmanda ubique abuteris) idem nobiſcum apertè dicit. Is enim (*Gal.* 4. *v.* 24.) de Pacto *Sinaitico*, ut Evangelio opponitur, locutus, ait, Fœdus illud γεννᾶν εἰς δουλείαν, *generare in ſervitutem.* Quid autem eſt ſervitus illa? Audi Interpretem doctiſſimum. *Servitus autem, ad quam filios ſuos generabat V. T. poſita erat partim in importabili jugo præceptorum ceremonialium, cervicibus filiorum ejus impoſito; partim in affectu & timore ſervili, quo iidem illi regebantur; quem Apoſtolus vocat* (Rom. 8. v. 15.) *Spiritum ſervitutis in timore.* Servitus itaque illa eſt imprimis ſervile ingenium, quo homines ſub V. T. conſtituti, & literæ ejuſdem inhærentes, non ex amore Juſtitiæ, tanquam filii, ſed ex ſpe boni & metu mali impendentis, tanquam ſervi & mercenarii, Deo obſequium præſtiterunt. Utcunque verò *Spiritum ſervitutis* interpreteris, illud certum eſt, Spiritum illum ab Apoſtolo *Spiritui adoptionis*, ſive liberali illi Deo ſerviendi rationi, quæ nobis Chriſtianis præſcribitur, opponi, ideóque in humile ac ſordidum illud ingenium (de quo diximus) à vera ac genuina pietate planè alienum tandem recidere. Dicitur autem à *Paulo* Fœdus *Sinaiticum* ad ejuſmodi *ſervitutem generare*, quia aptum natum erat per ſe, vi promiſſionum & comminationum ſuarum, tale hominibus ingenium indere.

§. 4. *Davidis* judicium in *Pſal.* 19. quod appellas, ad hanc cauſam non pertinet. Nam Lex Dei, quam Vir ſanctus tot Elogiis ibi & paſsim alibi exornat, nequaquam ad Legem ſive Pactum *Sinaiticum* (de quo ſolo loquor) reſtringenda eſt; ſed (notante Vatablo ad *Pſal.* 1. v. 2.) tum Legem, tum omnes Veteris Scripturæ, ſuâ ætate ſcriptis conſignatæ, libros, qui ſunt Legis expoſitio, comprehendit. Ad hæc *David*

vid (si quisquam alius) mysteria in carnali Lege obtecta penitiùs intellexit, atque inter primos fuit spiritualium, *qui* (ut *Augustinum* modò dicentem audivimus) *in Sacramentis V. T. viventes, ad N. T. quod tum occultabatur, occultè pertinerent.* Ut verba, quibus olim antiquissimus Pater & Martyr *Justinus, Judæorum* in Scripturis veteris Instrumenti interpretandis imperitiam perstrinxit, aptè hîc in te tuósque quadrent. Ὑμεῖς δὲ ἀπὸ τῶν ὁμωνύμων λέξεων ἑαυτοὺς ἐξαπατᾶτε· ὅπου γὰρ ὁ νόμος τοῦ Κυρίου ἄμωμος εἴρηται, ἐκεῖ τὸν μετ' ἐκεῖνον μέλοντα, ἀλλὰ τὸν διὰ Μωυσέως ἐξηγεῖσθε· τοῦ Θεοῦ βοῶντος, καινὸν νόμον καὶ καινὴν διαθήκην διαθήσεσθαι. i. e. *Vos autem æquivocis dictionibus in errorem vosmetipsos inducitis. Nam ubi Lex Domini irreprehensibilis dicitur, non eam quæ post illam futura erat, sed per* Mosen *latam Legem, ipsam exponitis; Deo vociferante, novam se Legem, & novum Testamentum conditurum.* *Dialog. cum Tryphon. p. 251.*

§. 5. Objici hîc potest: Si Lex *Sinaitica* ad servile illud ingenium hominibus ingenerandum apta nata fuit, annon Deo Legis istius Auctori imputandum erat, quòd *Judæorum* pars maxima ultra ingenium illud servile non assurgerent? Respondeo, absit. Nam divinâ Providentiâ satìs cautum fuit, ut nè in litera *Sinaitica* Legis Judæi hærerent. Curavit enim Deus, ut traditio de vita futura, à Patriarchis (sive immediatè ab ipso, sive aliis rationibus, ut imprimis *Enochi*, tum Prophetiâ *Judæ* 14. tum exemplo *Gen.* 5. 24. edoctis) derivata etiam sub Lege vigeret, & Prophetarum concionibus, quos singulis ætatibus in populo suo suscitavit, tum exponeretur, tum confirmaretur. Unde constat animæ post interitum corporis subsistentiam ab antiquissimis *Judæorum*, qui post latam Legem *Mosaicam* vixere, creditam fuisse. Constat illud, inquam, (ut alia argumenta taceam) ex historia *Saulis Pythonissam* consulentis ac petentis, ut colloquii cum *Samuele* jam emortuo ipsa copiam sibi faceret: quod neutiquam fecisset, nisi credidisset, defuncti Prophetæ animam tum superstitem fuisse. Certè νεκυία omnium divinationum antiquissima signum erat (utì rectè observavit vir maximus) creditæ τῶν ψυχῶν διαμονῆς. Quorsùm verò maneret anima post mortem corporis, nisi vita ipsi sive misera, sive beata, pro ratione eorum quæ gesserit in corpore, restaret? Justitiam quoque illam spiritualem, cui soli (non Ju-

ſtitiæ externæ & carnali in litera Legis *Sinaiticæ* præſcriptæ) promiſſio vitæ immortalis facta fuit, *Judæis*, pro eorum temporum ratione, ſufficienter revelavit Dominus, tum per *Moſen* ipſum, tum imprimis per ſuccedentes Prophetas. Ipſe *Moſes* in concione *Moabitica*, ſive *Deuteronomio*, (quod *Moſis* Evangelium jure nuncupaveris) ſæpiùs *Iſraelitas* quaſi revocat ab externis, prius datæ ab ipſo Legis, Ceremoniis ad internam pietatem; à circumciſione carnis ad cordis circumciſionem: ac diſertim monet, cardinem ſalutis ipſorum in hoc uno præcepto verti, ut diligant Deum ex toto corde, *&c.* ad quod præceptum præſtandum etiam gratiam atque auxilium ipſis Dei nomine promittit. Vide imprimis *Deut.* 10. v. 12, 13, 14, 15, 16. & 30. v. 6. Idem fecere, & verbis clarioribus, qui *Moſem* ſecuti ſunt Prophetæ, ut videre eſt 1 *Sam.* 15. 22. *Pſal.* 150. à v. 7. ad v. 16. incluſ. & 51. v. 16, 17. *Eſa.* 1. à v. 10. ad v. 20. incluſ. *Jerem.* 7. v. 21, 22, 23. *Oſe.* 6. v. 6 *Mich.* 6. v. 6, 7, 8. & alibi paſſim. Itaque ἀναπολόγητοι erant *Judæi*, qui *Pauli* ætate in litera *Sinaiticæ Legis* hæſerunt; ſive Phariſæi ii fuerint, qui myſterium quidem in litera promiſſi agnoſcentes, non ultra tamen literam præcepti ſapuerunt; ſive *Sadducæi*, qui tum promiſſa, tum præcepta Legis Moſaicæ juxta literam accepere. Sed hæc hactenus.

Vide Harm. poſt. Diſſert. poſter. cap. 11. *Sect.* 3.

§. 6. Quæ in *Diſſertatione* noſtra poſteriori ſequuntur, de argumentis Apoſtoli ad Legem *Moſis* ritualem pertinentibus, (*cap.* 14.) de *Judaicis* dogmatibus, (*cap.* 15, 16, 17.) quæque in operis Epilogo continentur, de quadruplici errore in hac de Juſtificatione controverſia ſedulò cavendo; ea ferè tam plana ac facilia ſunt, (quanquam Cenſor noſter quædam etiam ex iſtis atro dente, ſed fruſtrà, arroſerit) ut nullâ egeant defenſione. Unica tantùm Cenſoris *Animadverſio*, quæ ad Eccleſiæ *Anglicanæ* de hac controverſia judicium ſpectat, à nobis reſtat paucis expedienda.

ANI-

ANIMADVERSIO XXIII.

ad Dissert. 2. Cap. 18. Sect. 6.

HIc in Epilogo Operis Lectorem seriò monens, ut à quadruplici errore, in hac de Justificatione maximi momenti controversia, sedulò sibi caveat, primò errorem impugno eorum, qui bonis hominum Operibus meritum ex condigno attribuunt. Huic autem errori, sive hæresi potiùs, veluti præsens antidotum oppono Ecclesiæ nostræ definitionem his verbis: *Ab hoc potissimum errore, de merito bonorum Operum in Justificationis negotio, cavere voluit filios suos sancta mater Ecclesia* Anglicana *in articulo suo undecimo*, &c. Quæ tu verbis hisce asperioribus perstringis: *Miror equidem, quâ fronte tu Ecclesiæ nostratis Articulum laudaveris. Cui enim non conspicua est tua tum ἀβλεψία, tum ἀναίδεια; illa, quòd ad Solifidianismum (ut tu probrosè sententiam nostram indigitas) expressum sponte cœcutias; ista, quòd almæ matris judicium, partim sophismatis malè consarcinatis, partim convitiis indecoris, lacerare ausis.* Posteà (nempè in margine pag. 340.) me appellas *impudentissimum Scripturæ Sacræ & doctrinæ Ecclesiasticæ interpolatorem.*

RESPONSIO ad Animadversionem XXIII.

§. 1. Agnosco te hîc (ut alibi passim) Solifidianismo tuo, (non qualem Sancta Mater Ecclesia *Anglicana* docet, absit! sed) tuo, inquam, dignos fructus protulisse. Fiduciâ enim illâ tuâ justificatrici confisus, perinde ac si nulla tibi olim ad Tribunal Christi actionum aut verborum tuorum ratio reddenda esset; ac si tremendam illam Spiritûs S. jam latam sententiam, τὰς λοιδόρους, juxtà cum atrioris notæ peccatoribus, à regno cœlorum prorsùs alienos esse pronuntiantis, parùm curares, imò planè contemneres, fratrem tuum (quem vocas) ubique convitiis atrocissimis inverecundè proscindis & laceras, iræ tuæ, à me nunquam vel verbo lacessitæ, & calumniandi libidini fræna laxans, ipsámque adeò χολὴν πικρίας, in hominem innoxium effundens. Sed Deum seriò venerans,

rans, ut tibi det mentem saniorem, rem ipsam aggredior.

§. 2. Ad Judices in hac causa competentes appello, quorum clementiam neq; expeto, neq; expecto: non jus, sed injuriam deprecor: neque ità malè mihi conscius sum, ut exquisitissimum doctrinæ meæ examen, modò iniquum non sit, vel refugiam, vel reformidem. Si vera sint quæ dicis, si uspiam in *Dissertationibus* meis ex ἀναισθησία de Ecclesiæ *Anglicanæ* judicio aliter quàm honorificè locutus sum, nedum si illud convitiis lacerare ausus fuerim; si vel S. Scripturæ, vel doctrinæ Ecclesiasticæ interpolatorem (tuo sensu) omnino, nedum impudentissimum, me præstiterim; liceat tibi (quod in Epilogo tuarum *Dissertationum* facis) ad venerandos Ecclesiæ nostræ *Antistites* provocare, atque obtestari ipsos, ut in me animadvertant: Eat in flammas, quas meruit, infælix liber; Auctor officio suo (quo jam per quatuor ferè annorum lustra, Deo adjuvante, haud prorsùs ignaviter functus est) exauctoretur; adeóque è gremio charissimæ Matris, (cui in afflictissima ipsius fortuna constantissimè adhæsit) ut nothus ac spurius ejiciatur, atque anathema fiat. Vides, Lector, quanta sit mihi innocentiæ meæ Fiducia; quàm verò non temerè concepta sit modò cognosces.

§. 3. Accusat id me Censor, quòd judicium Ecclesiæ *Anglicanæ*, in Articulo undecimo traditum, malè consarcinatis Sophismatis, & indecoris convitiis lacerare, atque Ecclesiasticam doctrinam interpolare, hæc (si sensum ipsius, non vocabuli proprietatem respicias) additamentis meis corrumpere ac depravare, ausus fuerim. Unico utar argumento ad defensionem meam, eo verò tam claro, tam evidente, ut instar multorum esse possit; atque Censori, ejusdémque farinæ cæteris mei delatoribus, os in æternum obstruere sufficiat.

> Quisquis apertè, candidè ac sincerè illum Articuli undecimi Ecclesiæ *Anglicanæ* sensum amplectitur ac profitetur, sempérque amplexus ac professus est, quem ipsa Ecclesia *Anglicana* ut unicum, genuinum ac germanum ejusdem Articuli sensum ex professo ac disertis verbis tradidit, is judicium *Anglicanæ* Ecclesiæ eo in Articulo malè consarcinatis Sophismatis, aut indecoris convitiis laceràsse, &c. injuriâ, immeritò, imò

imò immeritissimò arguitur: Atqui Author Libri, cui Titulus *Harmonia Apostolica*, &c. apertè, candidè ac sincerè illum Articuli undecimi Ecclesiæ *Anglicanæ* sensum amplectitur ac profitetur, sempérque amplexus ac professus est, quem ipsa Ecclesia *Anglicana*, ut unicum, genuinum ac germanum ejusdem Articuli sensum ex professo ac disertis verbis tradidit: Ergo, *&c.*

§. 4. Propositio manifestissimæ veritatis est. Ad Assumptionem verò quod attinet, recolenda hîc sunt nonnulla, quæ ad calcem *Dissertationum* mearum jam attuli. Verba Articuli undecimi hæc sunt: *Tantùm propter meritum Domini & Salvatoris nostri per Fidem, non propter Opera & Merita nostra, justi coram Deo reputamur; quare solâ Fide nos justificari, doctrina est saluberrima & consolationis plenissima, ut in Homilia de Justificatione hominis fusiùs explicatur.* Hîc autem observavi, è triginta novem Articulis Ecclesiæ *Anglicanæ*, triginta & octo nudè & sine Explicatione ulla proponi; hunc verò unum de Justificatione ex sola Fide, traditum esse non sine hac cautione expressâ, ut fusior ac plenior ejusdem explicatio ex *Homilia de Justificatione hominis* petenda sit. Quanquam igitur viri docti & graves permulti in Ecclesia nostra non immeritò fortasse judicârunt, *Homiliarum* librum non esse per omnia paris authoritatis cum Articulis nostris, ità ut contra sententiam aliquam, aut Scripturæ interpretationem in iis traditam, nè hiscere quidem aut mutire liceat; (quia scil. à privatis Doctoribus seorsim singulæ primùm confectæ, atque ad populi ejusce ætatis genium accommodatæ fuerint; & in Articulo 35. nihil aliud de eis decernitur, quàm quòd generatim *contineant piam & salutarem doctrinam, temporibus, quibus natæ sunt, necessariam*) tamen quin sensus Articuli undecimi ad lineam & perpendiculum explicationis, in *Homilia de Salute hominis* traditæ, exigendus sit, nemini dubium esse potest, nisi cui dedità operâ & contra Articuli ipsius verba clara ac diserta cœcutire lubeat. Quin & hoc ipsum in Articulis *Edvardi* Sexti clariùs adhuc (si quid clariùs dici poterit) exprimitur. Námque in ea Confessionis nostræ Editione (quæ prima fuit) Articulus de Justificatione hominis

nis his pauciſſimis verbis totus continetur: *Juſtificatio ex ſola Fide Ieſu Chriſti eo ſenſu (N. B.) quo in Homilia de Juſtificatione explicatur, eſt certiſſima & ſaluberrima Chriſtianorum doctrina.*

§. 5. Itaque illud unum reſtat inquirendum, quo ſenſu doctrina undecimi Articuli in *Homilia de Juſtificatione*, ſive *Salute hominis* explicetur. Explicatio illa, à nobis in Epilogo *Diſſertationum* jam citata, & hîc denuò (ob Cenſoris pertinaciam) recenſenda, hiſce verbis clariſſimis concipitur: *Vera intelligentia hujus doctrinæ, Juſtificari nos gratis ex Fide abſque Operibus; vel, Juſtificari nos ex ſola Fide in Chriſtum; non eſt, hunc actum noſtrum, quo in Chriſtum credimus, ſive hanc Fidem in Chriſtum, quæ in nobis eſt, nos juſtificare, nobiſve Juſtificationem noſtram mereri: (id nimirum idem eſſet, ac ſi affirmaremus, Juſtificari nos actu aliquo, ſeu virtute, quæ in nobis ipſis eſt) verùm recta intelligentia ac ſenſus hujus doctrinæ hic eſt: quòd etiamſi verbum divinum auſcultemus, eique Fidem habeamus; quanquam præſtò in nobis ſint Fides, Spes, Charitas, Reverentia ac timor Dei, iiſque adjiciamus Opera quantacunque; merito tamen omnium harum Virtutum, Fidei, Spei, &c. omniumque bonorum Operum, quæ vel fecimus, vel in poſterum faciemus, vel facere poſſimus, renuntiandum nobis ſit, ut quæ longè imbecilliora atque imperfectiora ſint, quàm ut Remiſſionem peccatorum noſtrorum, ſive Juſtificationem noſtram, mereantur: ideóque fidendum nobis ſit ſoli Dei Miſericordiæ ac Sacrificio illi, quod ſemel pro nobis in Cruce obtulit ſummus Sacerdos noſter ac Servator Ieſus Chriſtus Dei Filius, ut eo ipſo* (Sacrificio) *obtineamus Gratiam Dei ac Remiſſionem peccati noſtri, tum originalis in Baptiſmo, tum omnium actualium peccatorum, à nobis poſt Baptiſmum commiſſorum,* Si modò *per veram ac non fictam Pœnitentiam ad ipſum revertamur.*

Homil. Tom. 1. Homil. de Salute par. 2. p. 17.

§. 6. In hac Explicatione duo ſe ultrò offerunt nobis obſervanda. 1°. Eccleſiam, doctrinâ illâ ſuâ, Juſtificari nos ſolâ in Chriſtum Fide, nihil aliud voluiſſe, quàm meritoriam Juſtificationis noſtræ cauſam quod attinet, oportere nos quibuſcunque Virtutibus, ſive bonis Operibus noſtris, nuntium remittere, ac ſoli Divinæ Miſericordiæ ac Meritis Servatoris noſtri confidere. 2°. Eccleſiam ità bonorum Operum meritum in Juſtificationis negotio rejicere, ut interea eorundem

dem necessitatem ad Justificationem impetrandam satis apertè adserat; dum agnoscat, veram ac non fictam pœnitentiam (quæ certè non modò bonum opus ipsa est, sed & multas Virtutes & bona Opera complectitur) obtinendæ Remissionis peccatorum (quam Auctor *Homiliæ* in hac ipsa ἐκθέσει, & alibi passim, Justificationi ἰσοδυναμοῦντας esse statuit) conditionem esse prorsùs necessariam. Jam verò de hac ἐκθέσει bis dicitur; hanc esse veram, hanc esse rectam, intelligentiam hujus Articuli, solâ Fide in Christum justificamur.

§. 7. Sed & apprimè notandum, quomodo huic ἐκθέσει præfetur *Homiliæ* Auctor. *Quanquam*, inquit, *hæc doctrina, justificari nos gratis, absque omni merito bonorum Operum nostrorum, (ut S.* Paulus *rem exprimit) & justificari nos gratis ex Fide hac viva & perfecta in Iesum Christum sola, (ut veteres Authores loqui soliti sunt) tam vera sit, ut quod verissimum; tamen vera hæc doctrina etiam verè intelligatur, ac planissimè declaretur oportet; nè homines carnales indè vivendi carnaliter, h. e. secundùm appetitus & desideria Mundi, Carnis, & Diaboli, ansam injuriâ arripiant. Itaque nè quis hanc doctrinam perperàm intelligendo erret, genuinum ejus sensum ità perspicuè & breviter explicabo, ut nemo sibi justam indè occasionem dari arbitretur*, &c. *Ubi suprà.* Mox sequitur totidem verbis explicatio jam recitata. In tertia verò parte *Homiliæ* prope initium eorum, quæ in præcedentibus dicta fuerant in explicationem Articuli, hanc ἀνακεφαλαίωσιν habemus: *Audivistis, quid senserint veteres Authores de hoc effato; Fides in Christum sola hominem justificat; ità perspicuè declaratum, ut jam perspiciatis, ipsissimum ac genuinum hujus Propositionis; Justificamur ex Fide in Christum solâ; sensum (juxta Veteres istos) hunc omnium esse: Christo confidimus, justificari nos per ipsum solum, justificari nos ex mera Dei misericordia, & per merita tantùm Christi Servatoris nostri; nullâ verò nostrâ virtute, sive bono opere, quod nobis ineat, quódve habere vel præstare possumus, quo id ipsum* (nempe Justificationem nostram) *promereamur: Siquidem ejusdem* Causa Meritoria *Christus ipse solus est. Videtis hîc multa verba adhiberi, tum ut contentio de verbis evitetur cum iis qui λογομαχίας delectantur, tum ut verâ sententiâ expositâ, pravis interpretationibus occurratur*, &c. Itaque talpâ cœcior

eſt, qui non videt, ἔκθεσιν iſtam pro genuina, perſecta, clara ac perſpicua hujus Articuli, *ſolâ in Chriſtum Fide juſtificamur*, ſententiâ ab Eccleſiæ noſtra proponi; ità ut quiſquis illam amplectitur, ſatisfeciſſe ipſius hac ex parte judicio atque expectationi cenſendus ſit. Quin & illud in verbis *Homiliæ*, ultimo in loco à nobis citatis, apprimè notandum eſt, Authorem ejus expreſsè ſtatuere, quæſtiones & controverſias omnes, quæ de hujus Articuli voculis & phraſibus moventur, aut moveri poſſunt, modò de ſenſu in iſta ejus ἐκθέσει tradito conveniat, tanquam inutiles adeóque noxias λογομαχίας omnino evitandas eſſe.

§. 8. Jam quoties, quàm apertè conſenſum meum, de hac Articuli explicatione, tum in *Diſſertationibus* meis, tum in hoc *Examine* profeſſus ſum? Equidem non vereor invidiam tuam, odiúmque pluſquam vatinianum provocare, ut excuſſis, quæcunque uſpiam ſcripſi, tandem ſententiolam aliquam, ſive dictum meum proferas, quod à doctrina, in hac ἐκθέσει tradita, vel latum, ut aiunt, digitum recedat. Si verò de candore & ſinceritate mea adhuc dubitas, etiam juramento (re exigente) meipſum purgare non refugiam. Itaque coram Deo Judice meo, cujus iram non deprecabor, ſi quid ſciens fefellero, volo hoc omnibus eſſe teſtatum, me undecimo Eccleſiæ noſtræ Articulo, juxta hanc explicationem ab ipſa traditam (cujus verba accipio in ſignificatione hodie uſitata, abſque omni æquivocatione, ſive mentali reſervatione) verè, ſincerè, atque ex animo conſentire ac ſubſcribere.

§. 9. Quid amplius à me requiras? An poſtules, ut quæcunque poſtea de ſuo addiderunt, in explicationem Articuli, privati quidam Doctores, ea omnia ob magna ipſorum nomina, tanquam Oracula venerer atque exoſculer? Nunquam in iſtud me piſtrinum compinges, mi Cenſor. Tuam verò hujus Articuli, *Solâ in Chriſtum Fide juſtificamur*, Expoſitionem, nempe juſtificari nos per ſolam Fidem ſimplicem virtutem, ídque ante omnem veram contritionem, ante omnem Obedientiam noſtram,, quin & Obedientiæ promptitudinem; neque tamen per quemvis Fidei actum, ſed per illum tantummodo, quem *confidentiam* appellas; per illum verò Fidei actum, non quà actus aut virtus eſt, aut condi

ti

tio in Fœdere Evangelico requiſita; ſed ut inſtrumentum apprehendendi Chriſti Juſtitiam eámque noſtram faciens; noſtram quoque faciens Juſtitiam illam non modò effectivè, h. e. quòd ſalutares ejuſdem fructus atque effectus attinet, nempe Remiſſionis peccatorum, atque acceptationis ad Salutem Vitámque æternam; ſed formaliter, ità ut Juſtitia illa noſtra reverà fiat, nóſque præſtitiſſe ipſam à Deo cenſeamur, indéque perfectè juſti atque ab omni prorsùs peccati non modò pœnâ, ſed & culpâ, liberi efficiamur; ità ut in hac Juſtificatione noſtra, nullus peccatorum Remiſſioni propriè dictæ locus remaneat: Hanc, inquam, tuam Expoſitionem, utpote quæ interpretationi Articuli ab ipſa Eccleſia traditæ, necnon S. Scripturis & rectæ rationi è diametro repugnet, ingenuè ac rotundè profiteor, me nequaquam admittere, neque unquam admiſſurum. Atque auſim ſpondere, ſi doctiorum in Eccleſia noſtra Theologorum Suffragia viritim captanda eſſent, vix, ac nè vix quidem centeſimum quemque repertum iri, qui has nænias tuas non prolixè rideat, ſeu defleat potiùs; adeóque indignetur tam craſſum *Antinomiſmum* pro Eccleſiæ Anglicanæ Doctrina Filiis ejus obtrudi.

Epilogus.

ITà tandem, σὺν Θεῷ, *Animadverſiones* Cenſoris noſtri ad præcipua Capita *Diſſertationum* noſtrarum expedivimus. Ubique egi fide bonâ. Et quanquam plurima ejus me prætermiſiſſe non diffitear, tamen ſanctè profiteri poſſum, id à me factum eſſe, quod ſerió judicarem, talia fuiſſe iſta, ut Reſponſionem vel non requirerent, vel jam accepiſſent ex iis, quæ ſive in *Harmonia*, ſive in hac *Reſponſione* noſtra fuſiùs explicavi. Illud autem me tenui hâc opellâ effeciſſe ſpero, ut in poſterum Liber iſte, quem tantâ invidiâ oneravit Cenſor malevolus, in iis ſaltem quæ Caput Controverſiæ ſpectant, Sanus, Catholicus, atque Orthodoxus æquo cuivis arbitro appareat. Quod ſi in Quæſtionibus intercurrentibus, & difficilioribus quibuſdam *Pauli* locis explicandis ceſpitaverim,

(quod licèt nondum à Cenſore monſtratum memini, tamen ingenii mei hebetudinem, ſimul & materiæ ipſius abſtruſiorem naturam penſitans, facilè ſuſpicer) Deum Miſericordiarum Patrem in Ieſu Propitiatore Supplex veneror, ut mea iſta imbecillitas nec mihi in peccatum ſtatuatur, neque aliis fraudi ſit. Claudam hanc Diſputationem verbis viri ſancti atque eruditi, quæ in tenuitatem meam multò aptiùs quadrent: *In Epiſtolis* Pauli *habet Elephas, ubi ſubmergatur; quantò magìs pulex, ut ſum ego? Unde in ſimilibus locis comedam quantum poſſum; quod autem reſiduum fuerit, comburam igne, Sanctorum & Catholicorum Doctorum Expoſitionem ſequens, & eâ contentus. Non enim quiſquam mortalium penetrare valeat profunditatem Epiſtolarum D.* Pauli *Apoſtoli.*

FINIS.

APOLOGIA
PRO
Harmonia,
Ejúſque
AUTHORE,
Contra
Declamationem *Thomæ Tullii* S. T. P.
in Libro nuper Typis evulgato, quem
JUSTIFICATIO PAULINA
inſcripſit.

Per Georgium Bullum *Anglicanæ Eccleſiæ Presbyterum.*

LONDINI,
Typis *Eliz. Fleſher.* Proſtant apud *Richardum Davis*, Bibliopolam Oxonienſem. 1676.

APOLOGIA
PRO
Harmonia,
Ejúſque
AUTHORE, &c.

PRÆFATIO.

§. 1.

PErlecto *Reverendi Viri* Thomæ Tullii *S. Theologiæ Profeſſoris Libro, quem* Juſtificatio Paulina *inſcripſit, fateor me admiratione planè obſtupefactum eſſe. Ferè quinquennium eſt, quod à Fide dignis accepimus, reſponſionem ad tractatum, cui Titulus* Harmonia Apoſtolica, *&c. ab ipſo inſtitutam atque inceptam fuiſſe. Expectabamus itaque omnes, qui de eruditione hominis honeſtam in animo opinionem conceperamus, ut à tanto Authore, poſt tantum temporis intervallum, tandem eximium quoddam in lucem prodiret opus; vel (ſi minùs illud pateretur ſterilis & infructuoſa cauſa, quam ſuſcepit defendendam) certè aliquid, quod juſtæ ac plenæ reſponſionis ſpeciem præ ſe ferret. Scil. illud Poetæ nobis in mentem venerat;*

——————Si Pergama dextrâ
Defendi poſſint, certè hâc defenſa videbo.

Expecta-

Expectabamus ſaltem à celebrata viri humanitate pietatéque reſponſum civile & candidum, quódque adeò Sinceritatem ubique Charitatémque Chriſtianam ſpiraret.

§. 2. *Sed præter expectationem prorsùs evenêre omnia. Nam Libri, cujus exquiſitiſſimum Examen aggredi videri voluit Vir Reverendus (unde & Lectorem ſuum diſertè monet, ſe nihil in ipſo, quod alicujus momenti ſit, conſultò præteriiſſe) nè unum quidem Caput, aut Paragraphum integrum perſecutus eſt. In Diſputatione tantùm de ſenſu* Paulino *in cap. 7. ad* Roman. *quo ad caput nonæ* Diſſertationis *noſtræ poſterioris reſpondet, tale aliquid præſtitiſſe viſus eſt. Quàm verò etiam in ea Quæſtione reverà nihil præſtiterit, ubi ad loci illius tractationem pervenimus, liquidò apparebit. Argumentorum meorum longè maximam partem, quæque ponderis ſunt maximi, prudenter admodum diſſimulat; quæque pauciſſima leviter attingit, ad ea reſponſa adfert à me jam abundè refutata; eadémque tamen, ſine ullo ferè novo munimento iterum in ſcenam producit. Argumentis pugnat ipſe, quibus jam cumulatè ſatisfecerim, ſolutiones meas haud bonâ fide Lectorem celans. Operis mei tantùm diverticula rimatur, & quaſi per ramorum apices ſaltillans, hinc indè paucula carpit admordenda. Denique, (quod omnium graviſſimum) verba & ſententias mihi pro libitu affingit, quæ nuſpiam in Libro meo reperiuntur, adeóque de quibus nè per ſomnium quidem unquam cogitaverim, & cum his larvis ſtrenuè luctatur. Verba quoque mea, quæ, ſi integrè producerentur, ſuæ purgationi ſufficerent, miſerè detruncat, mutilátque, indéque miras excitat tragœdias, neſcio quas abſurditates atque hæreſes in me impingens. Si talibus ſtrophis non undique ſcatet Doctoris Liber, ſim ego Cretenſi vanior. Scil. hoc ipſi eſt Harmoniſtam, quem vocat, ſolidè refellere: biſce artibus (quæ ſanè virum gravem, nedum S. Theologiæ Profeſſorem, parùm decent) præclarum ſibi ex adverſariis triumphum adornat.*

Juſt. Paul. p. 167.

§. 3. *Quid autem libro facias, phaleratis verbis, vacuis Rhetoricationibus, tragicis extra cauſam dictis, ſophiſmatis, ſarcaſmis, adeóque (vera loquor) manifeſtis calumniis conflato? Equidem diu hæſi dubius, annon ſatius foret abſque reſponſo Librum tranſmittere, donec tandem me amici quidam pii & docti, quorum judicio plurimùm tribuo, monuerunt, reſponſione aliquâ opus fuiſſe, nè optimæ cauſæ ulla ex parte deeſſe viderer, néve*

ve Liber ſimplicioribus parúmque eruditis laqueum ſtrueret, ac ſophiſmatum fuco, verborúmque lenociniis fraudem faceret. Addiderunt iidem, proſpiciendum omnino honori atque exiſtimationi clariſſimorum apud nos Theologorum, adeóque venerandorum Eccleſiæ noſtræ Antiſtitum, quos per mea infimi homuncionis latera graviter vulnerari, neminem ferè tam ſtupidum eſſe, quin facilè ſentiat. Nimirum occaſionem ſibi ex Libro meo non natum, ſed arripiens V. R. auſus eſt palàm & coram exteris queritari, de novata apud nos avita Religione reformata, idque ab iis, qui filios Eccleſiæ Anglicanæ obſequentiſſimos ſeſe nuncupant, quique hodie prela noſtra ac pulpita occupárunt; déque noxiis dogmatibus ab iiſdem non modò impunè, ſed etiam (quod ſæpiùs & non obſcurè innuit) cum gratia atque applauſu ſuperiorum paſſim diſſeminatis.

§. 4. *His ſtimulis excitatus calamum continuò arripui, apologiam conſcripturus non tam pro Harmoniſta (quem contemni, conteri, proculcari à quovis facilè patiar) quàm pro Eccleſiæ noſtræ Patribus doctiſſimiſque Theologis, in quos V. R. tam liberè declamandi licentiam ſibi ſumpſerit; cauſámque ſimul excitatæ hujus tragœdiæ integram candidè, ſincerè, dilucidè expoſiturus. Quâ in Defenſione ſicubi in Doctorem, ut fit, ſtylum liberiùs ſtrinxi, rei indignitati, facíque atrocitati, quod ſine Satyra perſtringi haud poterat, illud imputandum.*

Spero tamen me, per Dei Gratiam, animi affectibus, juſto licet ardore concitatis, ità temperâſſe, ut nihil incaleſcenti & currenti calamo exciderit, quod aut exactæ veritatis, aut (omnibus probè expenſis) Chriſtianæ πραότητος *ac modeſtiæ limites, aut demùm inculpatæ tutelæ moderamen (ut loquuntur Caſuiſtæ) exceſſiſſe videatur. Cæterùm in hac Reſponſione (ut ſciat Lector, quid à nobis expectandum ſit) Doctorem* κατὰ πόδας *ſequar tantùm uſque ad finem Capitis quarti. Scil. in quatuor primis Capitibus maximè triumphâſſe nonnullis, & Eccleſiæ veteris, noſtræ, & cæterarum Reformatarum authoritate miſerum Harmoniſtam penitùs oppreſſiſſe viſus eſt. Inter ea verò, quæ ſparſim in reliquis Capitibus, poſt refutatum (ſeu potiùs objurgatum) prolixè modò* Bellarminum, *modò* Baxterum *noſtratem, in* Harmoniæ *Authorem,* ὡς ἐν παρόδῳ, *ab ipſo dicta ſunt, vix quicquam alicujus momenti occurrit, quod jam in* Examine *noſtro non abundè refellimus. Quare, ne actum agamus, Capita illa ſicco pede*

præteribimus. Denique, Dissertatiunculam ejus annexam, de sensu Paulino *in Capite 7. ad* Roman. *(qua de re nullam nobis litem moverat Censor noster) accuratiùs examinabimus. His breviter præfatis, quod fœlix faustúmque sit,* Apologiam *nostram aggrediemur.*

SECTIO I.

ad Libri Titulum.

1. A Libelli Titulo exordior. Hîc autem quid audio? *Justificatio* Paulina, *&c. asserta contra nuperos* Novatores. Invisum nomen, quo in Fronte Libri denigrandos curavit adversarios suos, ut hâc ratione odium ipsis imperitorum conciliaret, & credulos Lectores, hoc præjudicio præoccupatos, à libera veritatis disquisitione arceret. Numero autem loquitur multitudinis, ut omnes facilè intelligant, hanc ipsius declamationem non in me unum dirigi, sed & alios quàm plurimos in Ecclesia nostra, eadem hîc mecum sentientes, perstringere. Nè de mente ipsius dubites,
p. 5. in Præfatione altâ ac flebili voce conqueritur, *Ecclesiam Anglicanam hinc indè impetitam, per compita, prela, pulpita traductam, post currum quasi triumphalem indignè raptatam videri.* Aítque ibidem, se *nota loqui.* Alibi dicit, veritatem quam defendit, convitiis & sannis excipi non modò à *Socip. 76. nianis* & Pontificiis, sed etiam ab iis, *qui sub his, vel illis perfidè merentes, Ecclesiæ Anglicanæ filiorum nomen sibi vix prudenter arrogant.* Addítque ibidem, *se in pulpitis, in prelis ubique locorum personantia loqui.*

2. Quis exterus hæc legens non existimaret, Ecclesiam nostram *Anglicanam*, Orbis quondam Reformati decus illud, in commune Hæreticorum Pontificiorum, *Socinianorum*, omnium receptaculum transformari, ac penè universalem Theologorum nostrorum à primorum Reformatorum Fide ac Doctrina defectionem accidisse? Nihil certè, vel à Schismatico Authore Libelli, *de Apostasia Laudensium*, his magis tragicum dictum unquam

unquam fuit, aut dici potuit. Quid verò interim faciunt Eccleſiæ noſtræ Præſules? An ejuſmodi eos torpor invaſit, ut de Apoſtaſia hac ſufflaminanda nihil laborent, ac nè cogitent quidem? An cum iſtis in Parabola ità arctè, graviter, atque in utramque aurem dormiunt, ut inimicis liceat ſua paſſim ſecurè atque impunè ſpargere *zizania*? Scilicet. Imò ſi Doctori Fidem habebimus, adeò illi huic malo invaleſcenti non obſiſtunt, ut ipſi manus adjutrices porrigant, adeóque paucis illis, (in quibus ſcil. D. *Tullius* principatum obtinet) qui bono zelo contrà nituntur, peſſimè velint. Quid, quæſo, aliud ſonant iſtæ ejus querelæ, doctrinam, quam propugnatum it, apud Noſtrates *maximâ flagrare invidiâ*, in ejuſdem defenſores ſummis *odiis ſæviri*, ipſis non licere *aliam ſperare mercedem, quàm ſannas, odia, contumelias*? Imò Librum ſuum editurus, terribiles *in via Leones* ſibi finxit, quorum formidini nihil par ſit, præterquam *terror Domini, qui ſuo tempore ſe confitentes coram hominibus, confitebitur coram Patre, Sanctiſque ejus Angelis, & diffitentes diffitebitur.* Crederet in rebus noſtris hoſpes, *Marianum* in *Anglia* ſæculum rediiſſe, in quo neceſſariam veritatem liberè profiteri, ſit *Confeſſoris* Elogium mereri, adeóque *Martyrii* coronam affectaſſe. Contrà, ignorare noluit D. *Tullius* Lectorem ſuum, qui adversùs *Harmoniſtam* & cæteros *Novatores*, arma cum ipſo ſocialia ſumere recuſant, eos *ad ſecundum fluminis remigium nimis attentos eſſe*; *Harmoniſtam* cum ſociis ſuis *ſcenæ ſervire.*

p. 6. Ibid. p. 3. p. 43.

3. Unde autem clamor ille, unde vociferationes de novata à nobis avita Religione reformata, quibus aures quà noſtratium, quà exterorum perſonârunt? Dicam paucis, dicam ſincerè, dicam, re exigente, liberé. In hac de Juſtificatione Controverſia, D. *Tullio* ſuíſque *Novatores* ſumus, quòd inanes illas atque inexplicabiles ſubtilitates ac Ἀστρολογίας, (nequid pejus dicam) quibus Articulum Eccleſiæ noſtræ undecimum ipſi temerè interpolârunt, obtrudi nobis ægrè patiamur; interim illum ipſum Articuli ſenſum, quem ipſa Eccleſia noſtra ſe unicè voluiſſe palàm profeſſa eſt, ambabus ulnis amplexantes. Cæterà, *Novatores* ipſis ſumus, quòd unius *Calvini* judicio totius Antiquitatis conſenſum præferamus. Ipſis *Novatores* ſumus, quòd Canones Synodi

Dordracenæ (quos nunquam in *Angliâ*, publicâ aliquâ Eccleſiæ voce, probatos ac receptos fuiſſe, neque unquam recipi debere, dudum ante nos palàm ac liberè monuerunt † præſtantiſſimi quidam Eccleſiæ noſtræ Præſules; quippe quorum nonnulli claris tum noſtræ, tum aliarum Eccleſiarum Reformatarum nobiliorum definitionibus planè * repugnent; unde & antequam nati eſſent in Synodo illâ, damnati & rejecti fuere, ſub nomine *Articulorum Lambethanorum*, à glorioſiſſima Regina *Elizabetha*, ac viris ſpectatiſſimis, qui ipſi erant à ſanctioribus Conſiliis, ut † teſtati ſunt iidem Præſules;) non eodem in loco parique honore cum Decretis Conciliorum Univerſalium, per totum Orbem Chriſtianum receptis, habeamus. Ipſis *Novatores* ſumus, quòd Syſtematicam illam Theologiam (à *Neotericis* Doctoribus, iiſque exteris, Eccleſiæque ferè noſtræ tum Doctrinæ, tum Diſciplinæ, minùs faventibus, conſarcinatam) diutiùs in Scholis & Academiis noſtris obtinere eatenùs nolumus, ut contra ejus Definitiones, Theoremata & Concluſiones nè hiſcere quidem, vel mutire cuiquam liceat, aut S. Theologiæ candidati illic ſtudiorum ſuorum fundamenta jacienda eſſe, edoceantur: quódque Scripta inprimis Veterum Doctorum, ab Eccleſia Catholica probatorum, eorúmque præcipuè, qui Apoſtolicæ ætati viciniores fuere, omnibus ſedulò legenda, debitáque veneratione excipienda proponimus. Verbo, *Novatores* ipſis ſumus, (quis non miretur?) quòd poſt S. Scripturas primævam ac puriorem Antiquitatem unicè colamus ac revereamur ipſi, aliiſque Authores ſimus, ut ejus conſentiens judicium, ubi reperiri poteſt, (ut in omnibus certè reperitur, quæ majoris momenti ſunt; in cæteris verò liberum cuique judicium ſuum, ſalvâ pace Eccleſiaſticâ & Chriſtianâ, relinquendum) religioſè ſequantur: perſuaſum habentes, hanc eſſe optimam, imò hanc unicam rationem eſſe infœliciſſimas, quæ Eccleſiam Chriſti hodiernam tot in partes ſciderunt, controverſias finiendi.

† *Vide* Epiſtolam Epiſcoporum ad Ducem Buckingamiæ *in cauſa* Montacutii *apud* Heylenum Cyprian *Anglic. p.*

* *Vide* Apolog. *noſtræ Sect. 7.*

† *Ubi ſupra.*

4. Hic iis animus, hæc eorum culpa, quos invidioſo *Novatorum* titulo inſignire placuit Theologiæ Profeſſori. Quàm verò indignum ſit genuino Eccleſiæ *Anglicanæ* Filio, cuiquam, hoc nomine, iſtam infamiam inurere, paucis oſtendendum eſt. Nôrunt omnes, qui in hiſtoria noſtra planè hoſpites

hoſpites non ſunt, Reformationem noſtram ad exemplar Veteris Eccleſiæ Catholicæ in omnibus, quatenùs fieri id potuit, atque ætas pateretur, conformatam fuiſſe. Hinc ordo Epiſcoporum in *Anglia* retentus, rejectâ novellâ Regiminis Eccleſiaſtici formâ, quæ *Calvini* conſilio in vicinis Eccleſiis obtinuerat. Hinc vetuſtiſſimæ Publicarum Precum Formulæ, Ritus, Ceremoniæ religiosè apud nos obſervatæ. Hinc antiqua quædam Dogmata, à *Calvini* licèt placitis longiùs abhorrentia, (nempe, de univerſali Propitiatione per Chriſtum Servatorem facta, de Fidei Juſtificæ deficibilitate, (de quibus ſuo loco) de Infantium omnium à Parentibus Chriſtianis oriundorum, ac Sacro Baptiſmate conſignatorum, indéque abſque actuali peccato denatorum, certâ Salute, *&c.*) apud nos fixa & ſtabilita. Ut vel ex ipſa Eccleſiæ noſtræ Reformatæ primâ conſtitutione ſatis edoceantur filii ejus, quantum Veteris Eccleſiæ Catholicæ judicio tribuendum ſit. Hinc Canon ille, (quem alicubi in *Examine* jam indicavimus) primis ferè Reformationis noſtræ temporibus, anno ſcil. 1571. plenæ Synodi Provincialis conſenſu ſancitus, Regiâque Authoritate *Elizabethæ* noſtræ inſuper confirmatus, de Concionatoribus: *Imprimis verò videbunt, nè quid unquam doceant pro Concione, quod à populo religiosè teneri & credi velint, niſi quod conſentaneum ſit doctrinæ Veteris aut Novi Teſtamenti, quódque ex illa ipſa doctrina Catholici Patres & Veteres Epiſcopi collegerint.* *Collect. Canon.* Londini *Edit.* 1671. *p.* 238.

Hinc inter *Directiones* ſive Regulas, quas, conſultis Epiſcopis, ſapientiſſimus Rex *Jacobus*, *Elizabethæ* Succeſſor, Academiæ *Oxonienſis* (gliſcente ibi Puritanicâ Factione quàm ſolito magis) Vicecancellario, Collegiorum atque Aularum Præfectis, duobus Profeſſoribus, biniſque Procuratoribus ſedulò curandas mandavit, hæc numero ſeptima eſt: *Ut Theologiæ candidati admoneantur navare operam & ſtudium ejuſmodi libris, qui Doctrinæ & Diſciplinæ Eccleſiæ* Anglicanæ *maximè conſentanei ſint; hoc eſt, ad lectionem Patrum, Conciliorum, Scholaſticorum, Hiſtoriarum, Polemicorum tempus ſuum conferre; neque compendiis atque abbreviaturis diutiùs, quam par eſt immorari, ità ut in ipſis ſtudiorum ſuorum Theologicorum fundamenta jaciant.* *Vide* Heylen. Cypr. *Anglic. p.* 71, 72.

Cujus prudentiſſimi Conſilii ſi Doctori in mentem veniſ-

set, nunquam certè *Enchiridion* suum didacticum, magìs ad *Calvini* instituta (ut suo loco ostendetur) quàm ad nostræ, aut Veteris Ecclesiæ dogmata amussitatum, Juventuti Academicæ (exemplo apud nos, ni fallor prorsùs novo) obtrusisset.

5. Hinc præstantissimi Ecclesiæ nostræ Theologi constanter & palàm omnibus testati sunt, se Veterum Doctorum consensum ambabus ulnis amplexos fuisse, neque quicquam sive in Doctrina, sive in Regimine Ecclesiastico, quod ab eo alienum esset, admittere unquam voluisse. Sic doctissimus *Saravia* (quem meritò inter nostros Theologos numeramus) in Prologo Defensionis contra *Bezam*. *Contra unanimem*, inquit, *& constantem omnium Patrum Veteris Ecclesiæ consensum, nihil sine expresso Dei verbo est innovandum. Hoc enim liberè dico, quisquis Patribus omnem authoritatem adimit, ipse sibi nullam reliquit.* Idem in eadem Defensione. *Fortassis negat Dominus* Beza, *& quotquot cum eo sentiunt: at Patres rem tamen aliter intellexerunt; quorum concordi & unanimi sententiæ, absit, ut* Bezæ *aut* Calvini, *aut alicujus cujuspiam ex* Neotericis, *præferam judicium, & hos sapere, illos verò desipuisse judicem.* Ità clarissimus *Juellus* in Apologia. *Accessimus*, inquit, *quantum maximè potuimus ad Ecclesiam Apostolorum & Veterum Catholicorum Episcoporum*, &c. *Neque tantùm doctrinam nostram, sed etiam Sacramenta Precúmque Publicarum Formam, ad illorum Ritus & Instituta direximus.* Similiter doctissimus *Bilsonus* contra Puritanos: *Nè sitis injurii*, inquit, *nihil eorum recusamus, quæ prima & antiqua Christi Ecclesia, tanquam apertè, aut tacitè comprehensa in Scripturis, generatim unquam approbavit, vel usurpavit. Mos ille vester est.* Sic quoque magnus *Casaubonus* Regis & Ecclesiæ nostræ interpretem agens: *Rex*, inquit, *cum Ecclesia Anglicana pronuntiat eam demum doctrinam se pro vera & necessaria agnoscere, quæ à fonte Sacræ Scripturæ manans, per consensum Veteris Ecclesiæ, sicut per canalem ad nostra tempora fuerit derivata.* Idem alibi. *Quòd si me conjectura non fallit, totius Reformationis pars integerrima est in* Anglia, *ubi cum studio veritatis viget studium Antiquitatis.* Vehementer autem, pro more suo, doctissimus *Montacutius* in *Originibus*. *Consensum hunc* καὶ συμψηφισμὸν *totius antiquitatis agnoscunt, qui nobis prodiêre nuper Theologi novi, stulti fortasse, certè adolescentes. Sed non mo-*

Cap. 7.

De perpet. Eccles. Reg. cap. 15.

Epist. ad Peron. p. 20.

Epist. l. ad Cl. Salmas. 709.

moventur traditione. Eſt multum, aiunt, deferendum veneratione priſcarum Eccleſiarum, & ſanctiſſimorum Patrum. Ἔγε γελᾶς, ὑπὲρ εὖ. *Sed quid verba audiam, quum facta videam? venerandæ Antiquitatis canitiei inſultantes, non obſtrepentes tantùm, eos qui nondum ære lavantur, capite cenſos, non fortunis: qui ubi videntur ſapere, cùm ſint capreæ. Sed oportet Deum potiùs audire, quàm homines. Et hoc præclarè, ſi modo Deus unum, aliud præcipiat homo. Sed eſt hoc* τὸ κρινόμενον· *probandum ipſis fuerat, non pronuntiandum: imò nè* κρινόμενον. *Conſtanter tenemus contra totam factionem* Novatorum, *à Deo, Dei verbo, mente & ſententiâ nunquam receſſiſſe Antiquiores. Affirmant ipſi: Vah! Nam quantula eſt* Novatorum *authoritas, ut cùm ipſi dicant, illi negent, ipſis quàm illis potiùs accedamus? Nam quando receſſit Spiritus Domini ab Eccleſia, ut contra Eccleſiam ſtantes alloqueretur?* Huic ſuccinit Reverendiſſimus ejus in Cathedra *Norvicenſi* Succeſſor *Joſephus Hallus: Profectò*, inquit, *qui verbo Dei æternis literarum monumentis conſignato, qui Symbolis quibuſque primoribus, qui Conciliis quatuor Generalibus, qui communi Patrum per ſexcentos annos à Chriſto judicio lubens ſubſcripſerit; quod nos facere religiosè profitemur Reformati; ſi errare in minimis poterit, Hæreticus eſſe non poterit.* Agmen claudat clariſſimus *Hammondus* noſter. *Eccleſia*, inquit, *Anglicana hoc ſe univerſo orbi charactere dignoſcendam, hoc æquæ poſteritati æſtimandam proponit, quòd in controverſiis Fidei aut praxeos diſcernendis, illud ratum firmúmque habuerit, & huic baſi Reformationem* Britannicam *niti voluerit, ut Scripturis primæ, deinde primorum ſæculorum Epiſcopis, Martyribus, Scriptoribus Eccleſiaſticis ſecundæ deferrentur.* Ex quibus omnibus conſtat, quinam, ſi judicio ſtandum ſit ſummorum in Eccleſia noſtra Theologorum, ipſiúſque adeò Eccleſiæ noſtræ, pro *Novatoribus* reverà habendi ſint; illi ſcil. qui aut dogmata cudunt à Veterum Epiſcoporum conſenſu diſcrepantia, aut Regimen in Eccleſia Catholica ubique receptum, novatum eunt.

Conc. ad Cler. 1623.

Diſſert. cont. Blondel. *præm. cap.* 14. *Sect.* 13.

6. Hîc itaque pedem figo, oſtendat, proferat D. *Tullius* ex *Harmonia* noſtra, à capite ad calcem perluſtrata, vel unam propoſitionem à me defenſam, quæ Veteris Eccleſiæ Catholicæ Decretis repugnat, & protinùs victas ipſi dabo manus; haud cunctanter fatebor, mihi *Novatoris* infamiam meritiſſimo jure ab ipſo inuſtam eſſe; meum ſive errorem, ſive hæreſim

sim palàm ac publicè retrectare, & coram Orbe Christiano palinodiam canere non refugiam; æterno deinceps linguæ calamíque silentio (quod feciſſe olim *Sulpitium* ferunt) temeritatis atque ἑτεροδοξίας meæ pœnas luiturus. Deus novit cordis mei ſecreta: In dogmatis Theologicis, à novaturiendi prurigine (quam etiam ſupremi Judicis Tribunale inſiliens fidenter mihi tribuit Theologiæ Profeſſor) adeò alienus ſum, ut quæcunque Catholicorum Patrum & Veterum Epiſcoporum conſenſu comprobata ſunt, etiamſi meum ingeniolum ea non aſſequatur, tamen omni reverentiâ amplexurus ſim. Nimirum non paucis experimentis monitus didiceram, cùm adhuc juvenis *Harmoniam* ſcriberem, (quod mihi jam confirmatâ ætate perſuaſiſſimum eſt) neminem Catholico conſenſui repugnare poſſe, quin is (utcunque ipſi aliquantiſper adblandiri videantur Sacræ Scripturæ loca nonnulla perperàm intellecta, & levicularum ratiuncularum phantaſmata) tandem & divinis Oraculis & ſanæ rationi repugnâſſe deprehendatur. Quotidiano gemitu & ſuſpiriis deflere ſoleo effrænem illam prophetandi licentiam quæ in *Anglia* noſtra (etſi non in Eccleſia noſtra *Anglicana*, ut conqueritur D. *Tullius*) per aliquot annos, dirâ neceſſitate, utì nonnullis viſum eſt, efflagitante, obtinuit. Ut verbo dicam; hoc animi mei votum ſincerum τὰ ἀρχαῖα ἤδη, δόγματα κρατεῖτω. Neque alia ferè de cauſa D. *Tullii* placita quædam magìs averſor, quàm quòd iſta unanimi Veterum Doctorum ſententiæ prorsùs adverſa eſſe, pro comperto habeam.

Gennad. *in catalog.* Vir. illuſt. *Juſt. Paul.* p. 139.

7. Quoniam verò Doctorem non puduit, popularia iſta convitia de Papiſmo & Sociniſmo (quæ ſanè non bene conveniunt nec in una ſede morantur) in *Novatores*, quos ſibi confinxit, paſſim in hoc invectivo ſuo intorquere, viſum eſt hîc ſemel duabus iſtis calumniis ſpeciatim occurrere. Ad Papiſmum quod attinet, nos appellat *Pontificiorum æmulos*, p. 4. & *Jeſuitarum palpones*, p. 8. *ſub Pontificiis perfidè merentes*, *& Eccleſiæ Anglicanæ filiorum nomen nobis vix prudenter arrogantes*. p. 76. Per totum autem Caput undecimum hoc unum agit, ut Lectori perſuadeat, ſententiam noſtram Juſtificationis ſuper articulo, à Pontificiorum, eorúmque adeò, qui Operum meritum in Juſtificationis negotio adſtruunt, nè latum quidem unguem, aut digitum tranſverſum diſcedere.

Atque

Atque ut ipſum pus maligni & exulcerati animi ſentias, en Doctoris verba: *Neque hoc quidem negare ſolent aut Pontificii, aut qui alio nomine* adhuc *internoſci malunt adverſarii.* Quos adverſarios, à Pontificiis tantùm nomine tenùs diſcriminatos, intelligat, omnibus, qui Librum ipſius legerunt, nimis manifeſtum erit; nempe, non modò exoſum ſibi *Harmoniſtam*, ſed & alios quàm plurimos in *Anglia* noſtra Theologos, Eccleſias, Pulpita, Prela (Doctore ipſo Fidem faciente) occupantes, quibuſcum ille ſentit. In hos omnes quàm atrocem jacit contumeliam unâ illâ voculâ (ut peritiores calumniarum artifices pulchrè callent aliorum famam verbulo occidere) *adhuc?* Quaſi ſcil. Theologi iſti, qui huc uſque nomine quidem, & ſolo nomine Reformatorum gaviſi ſunt, mox, cùm occaſio ſe commoda obtulerit, & nomen ipſum facilè deponere, & in Pontificiorum caſtra apertè tranſire parati eſſent. Verùm obteſtor omnes, quibus veritas, pietas, candor, pax cordi ſint, ut nè facilè hîc Doctori Fidem habeant. Sciant exteri (nam domi nemo, niſi qui ex Fanaticorum grege ſit, inverecundo convitio aurem præbebit) eſſe & ſemper fuiſſe Theologorum iſtorum in numero, quos pro *Novatoribus* habet D. *Tullius*, quàm plurimos, qui editis Scriptis luculentiſſimis Pontificiorum errores ſtrenuè & fœliciſſimè impugnârunt; neque ab aliis, quàm ab eorum nonnullis, de caſtris & copiis *Romanenſium* glorioſiùs triumphatum eſſe. Nominibus abſtineo, quòd & ipſorum, quotquot in vivis adhuc ſunt, modeſtiæ, & aliorum invidiæ parcendum duxi. Interim verum eſſe, quod dico, nôrunt, ſentiunt, & macerantur Pontificiæ apud nos cauſæ pugiles, gratulantur boni omnes, & candidi rerum æſtimatores, neque diffitebitur æqua & grata poſteritas. Ad me verò quod attinet, (minimum Theologorum, qui propter veritatem Catholicam & genuinam Eccleſiæ noſtræ doctrinam contra novitia quorundam placita liberè aſſertam, digni habiti ſunt, qui contumeliâ afficerentur) adjuvante Domino, centiès emori mallem, quàm Fidem in conciliabulo ſive conſpiratione *Tridentinâ* cuſam amplecti. Quoſcunque Pontificiorum errores ſive in Articulis ſuis, ſive alibi damnavit Eccleſia *Anglicana* (non temerè hæc effutio, ſed conſultò loquor) & ipſe pariter damno. Pro virili meâ parte & exiguæ gregis

Christi portione, meæ curæ commissa, sedulò operam navavi, ut de laqueis, quos Emissarii *Romani* apud nostrates hîc, illic, latenter struxerunt, atque etiamnum struere non desinunt, incautiores tempestivè monerem: Deóque etiam opt. max. gratias ago, quòd me peccatore instrumento uti dignatus fuerit, ad animas quasdam ex orco & barathro errorum & Superstitionum Papisticarum extrahendas. Sed quid attinet istis diutiùs immorari? Certè nemo prudens ægrè tulerit, pro Pontificio haberi à Doctore nostro, qui *Harmoniæ* Authorem hoc solo nomine, quòd doceat, *veram contritionem necessariò præcedere Justificationem hominis*, atque hanc fuisse Veterum Protestantium constantem doctrinam affirmet, tanquam *domum suam* Romæ *fundantem*, irridet atque insectatur. Scilicet ipsi Pontificii sunt omnes, quotquot in hac controversia cum *Antinomis* non idem sentiunt.

Justif. Paulin. p. 32.

8. Jam ad *Socinismum* quod spectat, in *Examine* semel atque iterum coram Deo testatus sum, me ab ista hæresi, ut perniciosissima, animo prorsùs abhorrere. Cogit me verò repetita à Doctore calumnia Fidem meam, infaustissimi Hæresiarchæ placitis oppositam, hîc distinctiùs exponere. Duo sunt inprimis Theologiæ capita, in quibus *Socinum* à Catholicæ doctrinæ semita longissimè, & maximo cum suo aliorúmque periculo, recessisse nimis manifestum est; alterum ad Christi Servatoris personam pertinens, ad beneficia ipsius alterum.

De priori, docet impurus dogmatista, Christum, quantus quantus sit, naturâ suâ ψιλὸν ἄνθρωπον, sive merum hominem fuisse; dempto, quòd per ineffabilem Spiritûs Sancti inumbrationem, absque virili concursu, in utero *Mariæ* conceptus fuerit; proinde ante nativitatem suam ex beatissima Virgine omnino non extitisse: quam ego blasphemiam omni execratione digniſſimam censeo. Christo præter humanam, etiam divinam naturam inesse, quâ non modò ante *Mariam*, sed & ante omnia sæcula à Deo Patre genitus, unà cum ipso extiterit, ut genuina ipsius proles; quáque ex voluntate Patris, universi hujus, h. e. cœli & terræ, omniúmque quæ in iis sunt, tam invisibilium, quàm visibilium δημιουργὸς fuerit, tum sacra Oracula toties támque apertissimè testantur, tum ab Ecclesia Catholica semper, ab ipsis usque Aposto-

Apoſtolorum temporibus, tanto conſenſu creditum eſt, ut hunc de Servatoris noſtri divinitate articulum, eodem planè aſſensûs gradu recipiam, quo ipſum Chriſtianiſmum amplector, hoc eſt, Deo laus fit, ſummo. Atque ut non modò à *Socinianiſtarum*, ſed etiam ab alia quavis hæreſi in hoc Articulo me prorsùs alienum, adeóque omni ex parte Catholicum eſſe, appareat, Fidei *Nicænæ*, quæ eſt *in unum Deum Patrem omnipotentem, &c. & in unum Ieſum Chriſtum Filium Dei, natum de Patre unigenitum, h. e. de ſubſtantia Patris, Deum de Deo, Lumen de Lumine, Deum verum de Deo vero, natum non factum, unius ſubſtantiæ cum Patre, per quem omnia facta ſunt, &c. qui propter nos homines & noſtram ſalutem deſcendit, & incarnatus eſt, &c.* ex animo, Deus mihi teſtis eſt, ſubſcribo. Quin & ante aliquot annos delineavi Theſes quaſdam *Hiſtorico-Eccleſiaſticas*, de Filii Divinitate, quibus Veterum Doctorum, qui Concilium *Nicænum* anteceſſerunt, cum Patribus *Nicænis* conſenſum tam de Filii τῷ ὁμοουσίῳ, quàm de τῷ συναϊδίῳ ejuſdem, (derivatâ traditione ab ipſa Apoſtolica ætate) contra *Petavium* & alios me liquidò demonſtrâſſe confido. Sed per adverſam corporis valetudinem, per alias curas variáque negotia, quibus in dies ſingulos diſtineor, non licuit mihi hactenus ſparſas ſchedas recolligere, atque opus imperfectum ad umbilicum perducere.

9. De beneficiis Servatoris noſtri, † negat *Socinus* Chriſtum pro peccatis noſtris ſatisfeciſſe, ſive peccatorum noſtrorum pœnas ſolviſſe, ſive vice noſtrâ mortem ſubiiſſe. Ego

† *Socin. diſſ. de Ieſu Chriſto Servat. par. 2. cap. 7.*

Ego nego Chriſtum Juſtitiæ divinæ quicquam pro nobis ſolviſſe. Et paulò ante idem: *Fateor Ieſum Chriſtum propter iniquitates noſtras & pro peccatis noſtris mortuum eſſe; ſed indè tamen conſequi conſtanter nego, ipſum Chriſtum alicui divinæ Juſtitiæ pro peccatis noſtris ſatisfeciſſe, ſive id ſolviſſe, quod nos propter peccata noſtra ſolvere debuiſſemus. Movi enim propter peccata, ſeu pro peccatis alicujus, nihil aliud eſt, quàm causâ ſive occaſione peccatorum illius mori. Causâ autem ſive occaſione peccatorum alicujus is certè moritur, qui ideò moritur, ut quis à peccatis ſuis retrahatur, atque illi fides fiat, peccata ſibi, ſi ab illis ſe retraxerit, condonatum iri, ac præterea, ut is fructum ejuſmodi condonationis, & ità ipſam condonationem re ipsâ ſentiat & conſequatur. Atqui, ut nobis hæc omnia evenirent, mortuus eſt Chriſtus.* Idem ejuſdem libri cap. 26. *Non ſolùm ſatisfaciendi verbum, cùm de ſalute nobis per Chriſtum parta agitur in S. Scripturis, ut ipſe fateris, nuſquam apparet; ſed nihil ejuſmodi, nè ſemel quidem, expreſsè in iis ſcriptum reperitur. Quale eſſet, quòd Chriſtus morte ſuâ nobis Deum reconciliâſſet; vel quòd pœnas univerſas noſtris iniquitatibus debitas, moriendo divinæ Juſtitiæ perſolviſſet; vel quòd nos è manibus divinæ Juſtitiæ ſanguinem ſuum redemptionis noſtræ pretium ille dans liberâſſet; vel quòd ſcelera noſtra obedientiâ ſuâ compensâſſet; vel quòd ut remiſſionem peccatorum Deus nobis largiretur, dignè commeritus eſt; vel denique ſaltem, quòd aliquâ ratione Dei iram nobis placâſſet.*

verò ex innumeris, iísque diſertiſſimis, S. Scripturæ locis liquidò liquere credo, Chriſtum non modò *bono* noſtro, (quod ſcil. fatetur Hæreſiarcha, & de quovis Martyre verum eſt) ſed etiam *vice* noſtrâ mortuum eſſe; hoc eſt, (ut omni vocabulorum ambiguitati occurratur) niſi Chriſtus eſſet mortuus, nos, ex decreto ſaltem divino graviſſimis de cauſis concepto, neceſſariò fuiſſe morituros, & quia Chriſtus mortuus eſt, nos non neceſſariò morituros morte æternâ. Hoc verò poſito, futurum ſcil. ut nos morte afficeremur, ni mortuus eſſet Chriſtus, ſolutio, ſive ſatisfactio deinde (utì optimè obſervavit ſummus Catholicæ veritatis in hac quæſtione Vindex) rectè colligitur ex ipſa rei natura. Aut enim injuriâ eramus morte afficiendi, aut jure: non injuriâ; mortem enim commeriti eramus; jure igitur: Si jure, eramus igitur mortis debitores. Ab hoc debito liberationem nobis Chriſtus impetravit aliquid dando. Dare autem aliquid, ut per id ipſum alter à debito liberetur, eſt ſolvere aut ſatisfacere. † Negat diſtrictè *Socinus*, Chriſtum crucis ſuæ Sacrificio commeritum eſſe, ut Remiſſionem peccatorum Deus nobis largiretur: imo * negat *Deum ob fuſionem ſanguinis Chriſti quicquam nobis promiſiſſe.* Scilicet hæc conſtans ejus doctrina, Chriſtum non ideò mortuum fuiſſe, ut aliquid nobis impetraret à Deo promittendum; ſed tantummodo ut promiſſorum, jam quaſi ſponte, & abſque propitiatione ulla interveniente, à Deo factorum, Fidem nobis faceret. Ego verò firmiſſimè credo, Chriſtum Servatorem noſtrum, utpote Dei Patris Filium genuinum ipsíque chariſſimum, ſtupendâ ſuâ in aſſumpta humana natura κενώσει, ſive ad mortem uſque crucis exinanitione, bona illa maxima, quæcunque in Evangelico Fœdere promittuntur, (Remiſſionem nempe peccatorum, vitam æternam, quódque ad utrumque illud beneficium aſſequendum eſt neceſſarium, Spiritûs Sancti donum) nobis, ſub conditionibus in eodem Fœdere præſcriptis, à Deo Patre impetrâſſe, ſive ut Deus tanta nobis beneficia eâ ratione largiretur, dignè commeritum eſſe; proinde gratioſiſſimum Evangelii Fœdus integrum in Chriſti obedientia, cujus mors ipſius & oblatio in cruce facta complementum fuit, tanquam in cauſa ſua θεοκατηρκτικῇ meritoria, eáque unica, omnino niti & fundari. Hæc omnia complexus

Grot. *de de Satiſf.* c. 9. p. 177. *Edit.* Oxon. 1636.

† *Ubi ſupra.*

* *Lib.* 1. *cap.* 3.

eſt

eſt pauciſſimis verbis (quæ ſæpiùs in *Examine* citavi, & ideò toties repeto, quòd veram & genuinam Satisfactionis Chriſti notionem, in ipſis clarè explicatam, Lectoris animo quaſi inculcare vellem) vir Apoſtolicus, & Scriptor tantùm non Θεόπνευς *Clemens* in Epiſtola ad *Corinthios*; ubi fideles monet, ut ſeriò perpendant; *Quàm pretioſus Deo ſit Chriſti Sanguis, qui propter Salutem noſtram effuſus, toti mundo pœnitentiæ Gratiam obtulerit.* Quæ verba hunc ſenſum manifeſtum habent: Tanto apud Deum Patrem in pretio habitam fuiſſe, adeò ipſi placuiſſe Filii ſui ad mortem uſque Crucis obedientiam, (quòd ſcil. cum ineffabili φιλανθρωπία, atque adversùs Deum Patrem ſummiſſione conjuncta fuerit; & præterea ex οἰκονομία illa, gloria divinorum attributorum, Juſtitiæ imprimis & Miſericordiæ Divinæ, mirandum imò prorsùs ſtupendum in modum eluxerit) ut propterea cum univerſo humano genere, peccati reatu involuto atque iræ ſuæ obnoxio, (quódque adeò unà cum Angelis Apoſtatis perdere funditus jure poterat) Fœdus gratioſiſſimum iniverit, quo Remiſſionem peccatorum, Vitámque adeò æternam omnibus ſub Lege Pœnitentiæ (quæ univerſum hominis lapſi & peccatoris, ad Deum redeuntis, officium complectitur) daturum ſe receperit. Hæc eſt vera, Apoſtolica, & Catholica de Satisfactione Chriſti Doctrina, *Socini* placitis adverſa ſatìs, quam ità me Deus amet, ut ex animo amplector. Vulgares verò iſtas, atque auguſtiſſimo myſterio planè indignas opiniones, dogmata illa inſulſa & pernicioſa, à Chriſtianiſmo non minùs quàm Sociniſmo abhorrentia, quæ in hac quæſtione Theologi quidam *Neoterici* commenti ſunt, abſit ut cum hac Catholica Fide commiſceam. Placita volo eorum, qui docent, vel Deum Patrem Filio ſuo, ipſi nunquam non chariſſimo, etiam tum cùm in cruce ſeſe εἰς ὀσμὴν εὐωδίας, *Eph.* 5. 2. ipſi offerret, reverà iratum fuiſſe; vel Chriſtum in Paſſione ſua damnatorum pœnas ac tartareos cruciatus ſubiiſſe; vel communem Servatorem tantùm pro paucorum quorundam peccatis Sacrificium ſuum obtuliſſe; idque in eorum, ut loquuntur, perſona, ità ut ipſi Juſtitiæ Divinæ ſatisfeciſſe, pérque eam Satisfactionem formaliter juſti, atque ab omnis peccati non modò reatu, ſed & culpa planè liberi à Deo cenſeantur; vel, (quod indè conſequi-

tur) paucos istos, ad quos solos Satisfactio Christi pertinet, per eam ipso facto liberatos fuisse, ac proinde justificatos in foro Dei antequam nati essent; eámque Justificationem, quæ Fidei in Scripturis tribuitur, de Justificatione in foro tantùm conscientiæ, sive de sensu & perceptione Justificationis anteà peractæ, intelligi debere; vel denique fructus Satisfactionis Christi salutares, voluntate Dei Patris & Christi in Evangelio patefactâ, ex una conditione Fidei simplicis virtutis suspendi, quæ manifesta est Doctoris nostri sententia. Qui super fundamentali hoc Religionis Christianæ Articulo, unà cum auro Catholicæ Doctrinæ, hujusmodi *ligna, fœnum, & stipulam* non modò ipsi temerè ædificârunt, sed & ista sua additamenta, tanquam ipsum essent fundamentum, aliis tantùm non cum anathemate obtruserunt, viderint ipsi, quomodo olim ad Tribunal Domini rationem reddituri sint.

10. Verùm urgent Adversarii, in hac saltem de Justificatione Controversia planè *Socinianum* esse Harmonistam, atque in *Socini* castra apertè transiisse. *Resp.* Hoc apertè falsum esse, vel ex iis, quæ jam à nobis dicta sunt, satis liquet. Nam inter *Socinum* & *Harmonistam* ingens est hîc dissidium de re omnium præcipua, nempe de causa Justificationis nostræ προηγουμενικῇ meritoria, quam *Harmonista* in solo Iesu Christi Sacrificio propitiatorio sitam esse constanter docet; *Socinus* verò nullam prorsùs agnoscit. Sed quid multis opus est? Hæc summa est Doctrinæ meæ de Justificatione hominis, (& si quid ultra hæc duo docuisse me, D. *Tullius* evicerit, vicerit) neminem ex Pacto Evangelico, meritoriâ Iesu Christi Sanguinis effusione impetrato ac sancito, Remissionem peccatorum, sive Justificationem absque Fide & Pœnitentia comparare posse; absque Fidei verò & Pœnitentiæ fructibus acceptam Justificationem custodire & conservare posse neminem. Jam hæc doctrina *Sociniana* si sit, tum certè (liceat hîc ad Doctoris verba alludere, quibus ille *Harmonistam* alicubi irrisit) *Socinianos* habemus Patres, *Socinianam* Ecclesiam *Anglicanam*, *Socinianos* Reformatos omnes saniores, *Socinianum* quoque ipsum Evangelium: Quem nunc pudebit hujus *Socinismi* talibus Patronis ornati?

Justif. Paulin. p. 42.

11. In

11. In abſtergenda hac de *Socinismo* calumnia eò diutiùs moratus ſum, quòd & per ſe gravis illa ſit, atque à multis reſcivi, iſtam de me famam inimicorum meorum artibus & induſtriâ tam latè ſparſam eſſe, ut jam penè ubique pro *Socinistâ* habear. Sanè expertus loquor, inſignem calumniam non modò ceſſiſſe in familiæ meæ detrimentum, ſed etiam ſucceſſui laborum meorum in Sacro Miniſterio (quod me angit maximè) gravi impedimento fuiſſe. Deus opt. max. ex effuſiſſima ipſius Miſericordia Gratiam illis largiatur, quâ de tam atroci in fratrem ſuum injuriâ ſeriam & tempeſtivam agant Pœnitentiam, ut tremendum illud judicium, quod in futuro ſæculo calumniatores manet, effugiant. Interim me ſolabor benedictione Dei, Domini, ac Servatoris mei Ieſu Chriſti, qui dixerit: *Beati eritis, quum vos convitiis affecerint, & mentientes dixerint quidvis mali adversùs vos propter me. Gaudete & exultate, quoniam merces veſtra multa eſt in cœlis*, &c. Mat. 5. v. 11, 12.

Atque hactenus de Titulo *Novatorum*, quo in Libri inſcriptione adverſarios ſuos gravare voluit D. *Tullius*; cujus invidiam ità amolitus ſum, ut nihil ferè, quod eòdem ſpectat, in ipſo Libri corpore omiſerim. Hoc autem eo feci conſilio, ut deinceps Lector cordatus animo à præjudiciis libero atque inoffenſo pede in Examine eorum, quæ ad cauſam ipſam pertinent, mecum progrederetur.

SECTIO II.

ad Libri Præfationem.

1. EX Præfatione Doctoris prudenti Lectori conjecturam liceat capere, quid ab ipſo in Operis progreſſu expectandum ſit. Nimirum ſimulatque è carceribus exiit, à meta longiùs aberrat; cùm in Sermonis initio magnâ verborum pompâ explicare aggreditur, quanti ſit momenti, judicio Prophetarum, Chriſti, Apoſtolorum, Doctorum, Eccleſiarum antiquarum, recentiorum, omnium, Controverſia de

de Juſtificatione peccatoris; nempe hominúmne an unius Chriſti Servatoris noſtri meritis ipſa nitatur. Quis enim ex adverſariis, quos præcipuè in hoc Opere impugnat, illud unquam in dubium vocavit? Certè meâ iſthuc refert nihil. Quare Rhetoricationem illam bene longam, ut planè ἀπροσδιόνυσον prætereo.

2. Deinde V. R. illos acriter Theologos perſtringit, qui à lite, quam ipſe tanto fervore contra *Harmoniſtam* & alios intendit, abſtinendum cenſuêre, quòd lis illa tandem in meram λογομαχίαν recidat, hoc eſt, quòd nihil ipſi dicant, quod non Proteſtantes omnes ſaniores, etſi aliis fortaſſe verbis, dixerint. Hos ut torpidos, & ſomnolentos, ac planè Galliones, quibus nihil curæ ſit, ſumma Chriſtianæ Doctrinæ capita utram in partem definiantur, modò ſuo ipſi fruantur otio, irridet atque infectatur his verbis: *Haud paucos quoque, qui nihil fortaſſe contrà definiunt, neſcio quis animi torpor (reſide hoc ſæculo) invaſit, ut omnium nobiliſſimam, maximique ponderis controverſiam pro inutili habeant* λογομαχίᾳ, *ſicque cavent, nè ſuaves illis unquam abrumpat ſomnos.* Certè λογομαχίαν eſſe quæſtionem illam, utrum Fides *quæ eſt viva*, an Fides *quâ viva eſt*, hominem ex Pacto Evangelico juſtificet, ipſe obſervavi *Harm. Apoſt.* Diſſert. prior. cap. 6. §. 2. Ubi & Proteſtantium omnium ſaniorum in re ipſa conſenſum oſtendi. Tantùm ibidem monui, ex Juſtificationis doctrina, à Theologis quibuſdam Reformatis, quorum alioqui mens & ſententia ſana & orthodoxa fuit, incommodis verbis explicatâ, vulgus hominum pernicioſiſſimos de re ipſa errores concepiſſe, quibus poſtea Theologi illi diſtinctiunculis & cautelis ſuis fruſtrà conati ſunt remedium afferre. Laudavi ſapiens illud maximi *Grotii* hac de re effatum; *Locutiones incautas res ſequuntur periculoſæ.* Neque ſanè λογομαχίαις iſtis inſumitur *Harmonia* noſtra, cujus ſcopus & inſtitutum eſt conciliatio ἐναντιοφανείας inter duos Apoſtolos in re graviſſima; cujúſque pars longè maxima agit de *Pauli* δυσνοήτοις, quæ ab indoctis malè & in pernicioſos ſenſus intellecta fuiſſe, conqueſtus eſt olim *Petrus* Apoſtolus; atque utinam nobis hodie ejuſdem querelæ deeſſet juſta occaſio. Si ex hoc opere nimiùm neceſſario contentioſi quidam homines inanes λογομαχίας ac lites inutiles ſerendi anſam arripuerunt, non

p. 3.

eſt illud mihi vitiovertendum. Cæterùm cùm D. *Tullius* Theologos illos (qui mihi videntur viros fuiſſe prudentes, & temperatioris ingenii) ibidem tam ſeriò monet, *ut nè veritatis divinæ magnalia pro nihilo habeant*; operæ pretium eſt ſcire, quænam ſint iſta divinæ veritatis magnalia, pro quibus tantopere digladiandum cenſuit. Purgatis auribus accipite ſubtilem Doctoris Theologiam. Juſtificamur, inquit, per Fidem ſolam, idque non ut opus humanum, etſi bonum, neque ut conditionem tantummodo in Evangelio præſcriptam; ſed ut inſtrumentum apprehendens & applicans unius Chriſti Juſtitiam. Juſtificamur quidem per Fidem, quæ eſt *ſincera Chriſti acceptatio, ut Domini & Servatoris noſtri*; ſed cave nè reſpectui illi Fidei, quo in Chriſtum, ut Dominum refertur, Juſtificationem tribuas. *Cùm enim Chriſti Sacerdotis & Domini ſive Regis munia, licèt eadem ſemper & indivulſa ſubjecto, ſuis tamen formalitatibus ab intellectu ſeorſim collocantur, neceſſe eſt, ut Juſtificatio, quæ ex ſola Satisfactione Chriſti oritur, non dominio, quæque conceptu ſuo formali non in mortificatione peccati, ſed in non-imputatione, ſeu peccatoris abſolutione continetur, pro objecto quoque primo & formali Chriſtum Sacerdotem ſive Servatorem habeat. In reliquis conceptibus Chriſtus, fateor, eſt objectum Juſtificationis ut quod, ſive materiale; ut Servator tantùm & Sacerdos, formale, ſive ut quo; hoc eſt, (nè cui fortè terminorum Scholaſticorum ſpinæ tenellos lædant pedes) etſi idem Chriſtus ſit Dominus & Sacerdos, totúſque in Juſtificatione recipiatur, totus tamen omni ſenſu, i. e. omnium promiſcuè munerum intuitu, ad Juſtificationem formaliter minimè requiritur, ſed tantùm quà ſacerdos & Legi ſatisfaciens.* Quis ſanus non indignetur has λεπτολογίας (quarum aliquas vix, ac nè vix quidem ad congruum ſenſum reducas, ut cùm Chriſtus toties dicitur *objectum Juſtificationis*) pro veritatis divinæ magnalibus venditari? Et tamen hoc parum eſt. Ut veritatis divinæ magnalia veneratur D. *Tullius*, dogmata quædam valdè pernicioſa, à quibus Chriſtianorum aures abhorrent, atque pro iiſdem, tanquam pro aris, pugnat. Hujuſmodi ſunt, hominem juſtificari, h. e. peccata ipſi remitti, atque jus ad Salutem dari, antequam Pœnitentiam agat & verè contritus ſit; Hominem impium juſtificari in ſenſu compoſito, dum impius ad-

Juſtif. Paulin. p. 112, 113.

p. 30, 31, 32, 102.

p. 103. huc manet; ſive ante Juſtificationem (quovis ſigno rationis) unumquemque eſſe impium; nihil virtutis, aut operis humani ad Juſtificationem hominis requiri, magìs quàm ad hominem jam natum ut naſcatur, *&c.* Certè cavet abundè D. *Tullius*, nè poſthæc controverſia pro inutili λογομαχία habeatur, cùm ipſas *Antinomiſmi* fæces, tanquam Apoſtolicam, Catholicam, atque Eccleſiarum omnium Reformatarum doctrinam γυμνῇ κεφαλῇ defendit, nobíſque tam fidenter obtrudit.

p 53.

3. Quis verò ad ſermonem illum verè tragicum, quem D. *Tullius* veluti è ſuggeſto, in *Harmoniſtam* aliósque ſuos adverſarios intonat, nempe, "Juſtificationis doctrinam ma-
p. 3, 4. "lè intellectam lapidem fuiſſe iſtum offenſionis & petram "ſcandali, ad quam Judæi impegerunt, quòd utique vitam "quærerent inter operum ſepulchra, Juſtificationem non ex "Lege Fidei, ſed ex Operibus; non de terminis, ſed de to-"ta poſſeſſione in confeſſo litem eſſe; non de muris, ſed de "Palladio Chriſtiano: ubi vel ex minima titubatione (ſic-"uti per glaciem ambulantibus) maximum oriatur diſcri-"men; nullam eſſe ſpem apud Deum conſequendi ſalutem, "ſi unica ignoratur via; denique cùm binas omnino juſti-"ficandi coram Deo vias ſacra nobis pagina indigitat, Fidei "ſcil. & Operum, horúmque adverſas planè frontes oſten-"dit, & medii quicquid eſt temperamenti toties & tam a-"pertè faſtidit, utram quis ſemitam elegerit non eſſe teſſe-"rarum luſum, ſed potiùs æternæ ſortis quaſi pignus & "ſponſionem: quis, inquam, ad hæc dicta non totus obſtu-peſcat? Serióne credit D. *Tullius*, nos in quæſtione de Juſtificatione hominis cum Judæis ſentire, hoc eſt, ex Lege *Moſis*, ſive ex ullis Operibus noſtris abſque Chriſto Mediatore Juſtitiam ac Salutem ſperare? Serióne credit nos totam Fidei noſtræ poſſeſſionem, atque ipſum Palladium Chriſtianum amiſiſſe, unicam ſalutem conſequendi rationem ignorâſſe, atque ex binis juſtificandi (utì loquitur) coram Deo viis, ad ſalutem alterâ, alterâ ad interitum ducente, poſteriorem illam, tanquam æternæ ſortis noſtræ miſerrimæ pignus & ſponſionem elegiſſe? Si ità eſt, Deus miſereatur hominis, quem ſive judicium ſive charitas ſua ità prorsùs deſtituerit. Sciat V. R. me aliam Juſtificationis ac Salutis obti-

obtinendæ rationem ignorâſſe præter hanc: Firmiſſimè credo, mihi Chriſti Evangelio firmum aſſenſum præbenti, atque ex ea Fide veram agenti Pœnitentiam, hoc eſt, per Gratiam Chriſti omnis peccati mortalis jugum excutienti, ſerióque me devoventi in Evangelicæ Legis obſequium, ex ſumma Dei Patris Miſericordia, propter merita tantùm Filii ſui, Domini ac Servatoris mei Jeſu Chriſti, qui pro meis ac totius mundi peccatis Sacrificium verè Propitiatorium Patri ſuo obtulit, præterita peccata mea omnia, quotcunque quantacunque, plenè remiſſum iri. Ità verò confido, peccata mihi actu remiſſa eſſe, méque in ſtatu Gratiæ ac Salutis jam conſtitui, ut ex ſerio conſcientiæ examine, ad Evangelii normam inſtituto, de Fidei & Pœnitentiæ meæ ſinceritate mihi conſtat. Credo, me, dum Fidei & Pœnitentiæ dignos fructus proferam, hoc eſt, dum ab iis criminibus, quæ hominem è Regno Cœlorum, juxta Evangelium, excludunt, abſtineam; bonáque Opera tum pietatis adversùs Deum, tum juſtitiæ & charitatis erga proximum gnaviter exerceam, acceptam Remiſſionis ac Juſtificationis Gratiam conſervaturum; tandémque ſi in hoc Juſtitiæ ſtatu moriar, ex eadem Miſericordia Dei per ac propter Chriſtum, æternam vitam ac ſalutem adepturum. Credo, labi me poſſe, ac poſt acceptum Spiritum Sanctum (ut loquitur Eccleſia noſtra) à Gratia recedere; eóque *Salutem meam* (monente Apoſtolo ipſo) *cum timore ac tremore operor.* Credo, in Evangelio quidem lapſis quibuſcunque & quotieſcunque, modò ante mortem reſipiſcentiam ſuam renovaverint, ac *priora opera fecerint*, veniam promitti; iiſdem verò neque vitæ ſpatium, neque gratiam, quâ agant pœnitentiam, uſpiam promitti; proinde illud *Auguſtini* veriſſimum eſſe, *Deum filiis ſuis quibuſdam quos regeneravit in Chriſto, quibus fidem ſpem, dilectionem dedit, non dare perſeverantiam.* Credo gratiam quandam extraordinariam ex Divino beneplacito quibuſdam dari; ſed extremæ dementiæ eſſe cenſeo, quenquam talem gratiam præſumere, aut ultra promiſſiones Dei in Evangelio facta, ſibi quicquam certò ſpondere. Denique per totum ſalutis meæ curriculum, à carceribus ad metam uſque, gratiam atque auxilium Spiritûs Divini mihi planè neceſſarium eſſe, méque ſine Chriſto nihil boni ſpiritualis unquam vel

Phil. 2. 12.

Apoc. 2 5.

De Corrupt. & Grat. cap. 8.

feciſſe, vel facere poſſe, perſuaſiſſimum habeo. Neque tamen Gratiæ neceſſitatem ſocordiæ meæ velum obtendo; utpote qui ſciam Gratiam illam non dari niſi *aſſiduè petentibus*, neque effectum ſuum ſortiri niſi invigilantibus. Scilicet ipſe Dominus hæc duo conjunxit προσευχὴν καὶ προσευχήν. Eóque nos docuit (notante Interpretum doctiſſimo) quam aptè conſpiret cum humana diligentia auxilium divinum. Qui enim vigilare jubetur, non agitur *ut nervus alienis mobile lignum*; qui precari, oſtenditur opis divinæ indigere, ſine quâ inanis eſt omnis humana induſtria. Hæc eſt via ſalutis obtinendæ, quam ipſe per Dei Gratiam ingreſſus ſum, aut ingredi certè volui; quam ideò elegerim, quòd & in Sacris ea Scripturis mihi clarè monſtretur, & via trita ac tuta ſit, quam Chriſtiani omnes Catholici per quindecim ad minimum à nato Servatore annorum centurias ante me calcârunt. Aliam ſi novit viam D. *Tullius*, eam, ſi quidem ità ſecum (quod nollem) ſtatuerit, ſequatur ſuo periculo: me certè non habebit comitem.

Mat. 26. 41. Luc. 21. 36.

4. Neſcio autem quâ ſinceritate dixerit D. *Tullius*, ſe in hujus controverſiæ arenam perinvitum deſcendiſſe. An ille perinvitus in arenam deſcendit, qui non vocatus, imò & invitis Eccleſiæ Rectoribus, quorum judicio acquieſcere debuerat, in arenam ſe intulit & intrufit; qui poſt tres repulſas, ab iis, penès quos præli cura erat, acceptas, (comperta loquor) tandem clanculùm atque arte non admodum laudabili Typographiæ licentiam adeptus eſt? Sed cauſæ tam præclaræ ſtimuli ipſum ſcil. incitârunt. Primùm, quanta hæc in illos Eccleſiæ noſtræ ſummos Antiſtites, qui cauſæ tam præclaræ non modò non faverint, ſed & authoritatem ſuam oppoſuerint? Deinde, ſi ſolum, quod obtendit, præclaræ cauſæ ſtudium, & veritatis auguſtæ (utì mox loquitur) vindiciæ ipſum in hanc arenam traxiſſent, cur amicam per ſcripta collationem, quam ipſi obtuli, recuſavit? Sciat enim Lector, cùm aliquando cum Doctore de Libro ejus adversùs me ſcripto (in partu tum, ut loquitur, hærente) coràm conferrem, me ab ipſo obnixè petiiſſe, ut paci Eccleſiaſticæ conſuleret, ac diligenter caveret, nè ex publico diſſidio inter duos ejuſdem Eccleſiæ Theologos, vel Schiſmaticis & Eccleſiæ noſtræ hoſtibus calumniæ occaſio,

P. 5.

vel

vel infirmis ſcandalum oboreretur; ac propterea chartas ſuas mecum âmicè communicare vellet, hâc lege, ut ſi iiſdem evinceret, me ſcripſiſſe aliquid quod à ſana doctrina alienum eſſet, errorem meum publicè retrectare non recuſarem: reſpondiſſe verò ipſum, *ſe fortaſſe ſchedarum ſuarum exemplar brevi ad me miſſurum.* Novit D. *Tullius* me vera ſcribere, & hujus rei teſtem quoque habere ſpectatæ Fidei Theologum, qui colloquio noſtro interfuit. Sed chartas iſtas mihi nunquam licuit videre, donec per Typographum publici juris factæ eſſent, atque omnium oculis expoſitæ.

5. Sub finem Præfationis V. R. adverſarios ſuos ſcriò obteſtatur his verbis: *Hoc tantùm adverſæ cauſæ Patronos hortor & rogo, ut ſi qui reſponſionem meditentur, id eo fiat animi candore, eâ calami ſobrietate, eâ pacis Evangelicæ reverentiâ, ut ſi non idem ſalvâ veritate, incolumi ſaltem amicitiâ diverſum ſentiamus.* p. 6. Præclarè ſanè! Atque utinam legem, quam aliis ſtatuit, ipſe ſervâſſet. Sed quomodo ille candori ſtuduit, qui artibus, quas ſuprà commemoravi, tam ab omni candore alienis, reſponſum ad Librum adverſarii ſui adornavit? Quomodo illi calami ſobrietas, pacis Evangelicæ reverentia, amicitiam cum diverſum ſentientibus ſartam tectam conſervandi ſtudium cordi fuit, qui ſecum non ſentientes, ut Sophiſtas, Novatores, Doctrinæ Eccleſiæ *Anglicanæ* deſertores contra toties repetita juramenta ſua & ſubſcriptiones, Pontificiorum æmulos, Jeſuitarum palpones, ſub filiorum Eccleſiæ *Anglicanæ* ementito nomine, ſive Pontificiis, ſive Socinianis perfidè merentes, Scenæ ſervientes, *&c.* paſſim depingit? Lepida ſanè eſt excuſatio, quam huic calami ſui intemperiei obtendit, cùm ait, *poſcat, fateor, interdum veritas ſtyli vehementiam, furorem nunquam.* p. 5. Quaſi verò omnis ſtyli vehementia, quæ intra furorem ſe contineat, pro calami ſobrietate habenda ſit. Si ità eſt, ſecurum eſſe jubeo virum Reverendum de calami ſobrietate ab adverſæ cauſæ Patronis ſervandâ, cùm nihil ſit in Libro ipſius, quod quenquam adverſariorum ad furorem adigat.

SECTIO III.

Ad Caput primum *de ſtatu Quæſtionis.*

1. IN definiendo Quæſtionis ſtatu videtur D. *Tullius* oſtendere voluiſſe, quàm *aſſuetus* ſit *pilis in controverſia findendis*; cujus artis peritiam ſibi in Præfatione non obſcurè
p. 3. tribuerat. Mirè autem hîc ſeſe effert V. R. ſuóſque veluti è ſublimi adverſarios deſpicit. Quippe hos irridet ut *Sophiſtas* & deluſos homunciones *cum larvis luctantes*; aítque ab ipſis *ſtatum quæſtionis miſerè turbatum eſſe*; ſe verò ipſum *breviter, ſimpliciter*, & *diſertè* expoſiturum ſpondet. Neque his contentus, Caput concluſurus, hortatur Lectorem, ut ſtatum Quæſtionis ab ipſo explicatum, *ſi in nubibus errare nolit, memoriâ teneat*; facilè ſcil. indè perſpecturus, *quàm leves ratiunculorum ſtipulæ, pro ſolidis argumentis*, ab adverſariis in hac cauſa porrigantur. Agè videamus, ecquid tantâ oſtentatione támque magnificis promiſſis dignum proferat.

2. *Dicimus*, inquit, *primò nullam eſſe reformatis vel ſecum, vel cum aliis controverſiam, an Fides quæ juſtificat ſit res ſterilis, & infructuoſa, ſeu bonis Operibus, utì fert occaſio, nudata: talem quippe Fidem à Juſtificatione procul univerſi abigunt*, &c. Hoc ſi verum ſit, viderit ipſe, quo pacto doctrinam ſuam Reformatorum omnium communi ſententiæ conciliare poterit. Nimirum juxta ipſius Theologiam, Fides juſtifica, cùm juſtificat, eſt res planè ſterilis, atque omni bono opere ac virtute vacua; utpote quæ juſtificat ante omnem animi ſanctificationem, adeóque ante veram de peccatis contritionem, dum homo adhuc impius atque omni bonâ qualitate deſtitutus manet. Quomodo autem is Fidem bonis Operibus nudatam à Juſtificatione procul abigit, qui Fidei ante omne Opus bonum (etiam internum) Juſtificationem tribuit? Fruſtrà autem hîc occinitur illud quorundam Theologorum, *Fides fœta bonis Operibus juſtificat ante partum*; ſiquidem ſcitum hoc apothegma à nobis alibi abundè refutatum atque exploſum eſt. Præterea concipi non poteſt,

Harm. Apoſt. Diſſert. 1. c. 6. p. 42, &c.

quo-

quomodò homo quovis ſigno rationis ante Juſtificationem reverà impius ſit, atque omni bonâ qualitate deſtitutus (quod aſſerit D. *T.*) qui aliquo ſigno rationis ante Juſtificationem fidem habet fœtam bonis Operibus.

3. Pergit: *Neque ſecundò quæritur an cum fide Juſtificâ, reliquarum quoque virtutum ſemina radicalia, ſeu mavis habitus, ſimul infundantur. Hoc enim utrinque conceditur*, &c. Iterum non video, quomodo hîc ſibi conſtet Doctoris Theologia. Si enim unà cum habitu fidei Juſtificæ, reliquarum quoque virtutum habitus ſimul infunduntur, tum infuſio iſta habituum reliquarum virtutum Juſtificationem præcedat, neceſſe eſt: Nam fidem Juſtificam præcedere Juſtificationem fatetur D. *Tullius*, & per ſe manifeſtum eſt. Atqui alibi V. R. ſanctificationem, quam in habituum illorum infuſione conſtituit, Juſtificatione omninò poſteriorem, atque (ut vidimus) hominem eo momento, quo Juſtificatur, impium prorſus adhuc eſſe, ſtrenuè contendit. *Enchir. Didact. cap.* 10.

Dixerit fortaſſe (quod & reverà dicit) D. *Tullius*, infuſionem quidem habitûs Fidei Juſtificatione omninò naturâ priorem eſſe, infuſionem verò habituum reliquarum virtutum eſſe naturâ Juſtificatione poſteriorem; ſed tamen hæc tria gratiæ divinæ opera, nempe, tum infuſionem habitûs fidei, tum Juſtificationem, tum denique infuſionem reliquarum virtutum ſimul eſſe tempore, atque uno eodémque inſtanti, ut loquuntur, peragi.

Mira ſubtilitas! Sed reſpondeo, 1°. Si concederemus, dari talem aliquam omnium ſimul virtutum *inſtantaneam* (ut dicitur) infuſionem, illud nodum non ſolveret. Cùm enim fateantur adverſarii, hominem non per merum Fidei habitum, ſed per actum aliquem Fidei (qualiſcunque demum is ſit) ex habitu illo profluentem, juſtificari, neceſſe eſt inter infuſionem habitûs Fidei Juſtificæ, & hominis Juſtificationem aliquod temporis momentum interveniat, quo actus ille Fidei Juſtificus perficiatur: unde cuivis manifeſtum fit, ſi habitus Fidei Juſtificæ, & reliquarum virtutum ſimul infunduntur, fieri non poſſe, ut infuſio iſta cæterarum virtutum ſit ullo modo, hoc eſt, ſive tempore, ſive naturâ, Juſtificatione poſterior. Verùm, 2°. Ut liberè dicam quod res eſt, puto vulgatam iſtam doctrinam, de ſimplici & inſtan-

ſtantanea virtutum ſimul omnium Chriſtianarum in hominis animum, ſive ante, ſive poſt Juſtificationem, infuſione, prorſus erroneam eſſe, aliorúmque adeò errorum non levium in S. Theologia fontem & ſcaturiginem fuiſſe. Liceat mihi cum bona Lectoris venia veritatem utiliſſimam, atque ad multa conſideranda apprimè neceſſariam, (ὡς ἐν παρόδῳ) paucis explicare.

4. Ac primùm quidem illud fundamenti loco ſtatuendum eſt, Chriſtianas & ſalutares Virtutes eſſe habitus neq; ſimpliciter infuſos neq; ſimpliciter acquiſitos, ſed ex utriſq; mixtos, hoc eſt partim infuſos, partim acquiſitos. Me explico: Virtutes illæ non ſunt habitus ſimpliciter acquiſitæ, quia neutiquam acquiruntur ullis actibus noſtris præviis, abſque Gratia Dei atque auxilio Spiritûs Sancti præſtitis. Neque ſunt habitus ſimpliciter infuſi, ob hanc invictam rationem: Quod ſimpliciter infunditur, id nobis ut officium noſtrum, ſive conditio ad ſalutem obtinendam neceſſariò præſtanda, fruſtrà prorſùs adeóque ridiculè præſcribitur; (quorsùm enim illud à Deo nobis injungitur faciendum, quod ipſe Deus ſolus in nobis facit?) at Virtutes illæ non fruſtrà nobis præſcribuntur; ergo, &c. Quid ergo? Virtutes illas actus quoſdam noſtros dixerim (cum viro doctiſſimo) excitatos & effectos à Gratia præveniente & eliciente, adſiſtente, comitante & ſubſequente, ità tamen, ut iſtorum actuum frequens & crebra præſtatio habitus tandem quoſdam in animo ingeneret, quibus facilè, lubenter & conſtanter actus ipſos præſtare velimus & poſſimus. In ſupernaturalibus enim actuum ipſorum principium motum à ſupernaturali cauſa ſtatuatur, neceſſe eſt, quod in naturalibus non eſt neceſſe. Et hoc ſi ſtatuatur, ſalvari poterit univerſa Gratiæ divinæ neceſſitas, dignitas & efficacia cum natura ipſa creata, & manente etiam ſub peccato. Ità enim ſtatuenda Gratia, ut non tollatur tota rei natura creata; quod fieri neceſſe eſt, ubi talis infuſio & infuſi habitûs immediatus influxus in actum ſtatuitur. Hôc poſito fundamento, haud difficile erit univerſæ οἰκονομίας, quâ per Spiritûs Sancti Gratiam Virtutes ſalutares animis noſtris ingenerentur, & ſalus noſtra procuretur, rationem, ordinem, & quaſi methodum intelligibiliter (quantùm fert humana imbecillitas) explicare. Juſtificationem

tionem hominis neceſſariò præcedunt actus quidam, ceu diſpoſitiones, (ut loquuntur) quibus homo ad tantum beneficium à Deo recipiendum aptus atque idoneus reddatur; cujuſmodi ſunt dolere de peccato, deteſtari peccatum, humiliter ſe Deo ſubjicere, ad Dei miſericordiam confugere, in Chriſto Mediatore ſpem figere, divinum favorem ante omnia ambire, novæ vitæ firmum propoſitum inire, aliáque conſimilia, quæ omnia Sacra Scriptura ſub *Fidei* & *Pœnitentiæ* vocabulis complectitur. Hi autem actus, ſive diſpoſitiones neutiquam ex meris humani arbitrii viribus proficiſcuntur; ſed per Spiritum Sanctum, hominem prævenientem, excitantem, adſiſtentem, comitantem (nondum verò in ipſo homine habitantem) omnino efficiuntur. Efficiuntur verò in homine atque ab ipſo per Dei Gratiam, non in inſtanti, (quod fieri nequit, ſiquidem ut exerat quis actus illos omnes, tempore & quaſi ſerie quâdam pii diſcurſûs omnino opus eſſe per ſe manifeſtum eſt:) neque neceſſariò ſive *irreſiſtibiliter*, ut loquuntur; ſed gradatim & prout homo ſe ductui verbi, Spiritûſque Divini obſequentem præbuerit. Homini ità per Gratiam diſpoſito, ex ſumma Dei miſericordia per ac propter Chriſtum maximum illud Juſtificationis beneficium confertur, hoc eſt, peccata ipſi ſua, quotcunque & quantacunque pleniſſimè remittuntur, atque jus ad ſalutem æternam conceditur. Demum in hominem jam juſtificatum, eóque υἱοθεσίας privilegio donatum, in ſignum amoris ac veluti teſſeram adoptionis, *Spiritum adoptionis* à Deo emittitur, *Gal.* 4. v. 6. Hæc Spiritûs donatio, quæ Juſtificationem ſequitur, à Gratia ejuſdem Spiritûs hominis converſionem præveniente & operante bifariàm imprimis differt: primò, quòd animæ jam à vitiis purgatæ, Spiritus Divinus arctiùs atque intimiùs, quàm antea, unitur, in ipſam altiùs penetrat; pleniúſque ejus facultates omnes pervadit. Unde in Scripturis dicitur Spiritus Divinus ante Converſionem hominis, quaſi ad cordis oſtium pulſare, poſt Converſionem verò interiora domûs intrare, *Apoc.* 3. 20. Deinde, quòd Sanctiſſimus ille Spiritus in anima, quam antea veluti inviſerat tantùm, & Gratiâ ſuâ præveniente in domicilium ſibi præparaverat, jam habitat & quaſi ſedem ſuam figit, nunquam indè diſceſſurus, niſi per peccatum aliquod gravius

foràs extrudatur; adeóque, si quando tale quid acciderit, lubenter redituru, modò per seriam ac tempestivam pœnitentiam revocetur. Hæc non sunt *Novatorum* somnia, sed ipsa veritas in Sacris Scripturis manifestissimè tradita. Quæ cùm passim ac verbis disertissimis donationem Spiritûs Sancti post Fidem & Pœnitentiam ponant, ipsúmque Spiritum Sanctum non nisi animis jam bene præparatis ac dispositis infundi doceant; tam Fidem tamen, quàm Pœnitentiam Gratiæ divinæ verbis æquè claris tribuunt. Obtestor Lectorem, ut non perfunctoriè legat, sed attentè ac seriò expendat hæc Scripturæ loca, *Prov.* 1. 23. *Esa.* 57. 15. & 66. 1, 2. *Luc.* 11. 9, 13. *Joan.* 14. 17, 23. *Act.* 2. 38. & 5. 32. *Gal.* 3. 14. *Eph.* 1. 13. 1 *Pet.* 5. 5. *Apoc.* 3. 20. coll. *Joan.* 6. 44. *Act.* 16. 14. *Eph.* 2. 8. 2 *Tim.* 2. 25. Cæterùm hæc donatio Spiritûs Sancti, quæ Fide, Pœnitentiâ, adeóque Justificatione posterior est, non novos (quod apprimè notandum) in homine creat Virtutum habitus, sed tantùm imperfectiores illas Virtutum dispositiones, quæ antea in homine per Gratiam prævenientem effectæ erant, quæque sub Fidei & Pœnitentiæ nomine comprehendi diximus, confirmat, corroborat, intendit, auget, atque in habitus tandem solidos provehit. Nimirum veræ Pœnitentiæ (utpote quæ timorem divinum, charitatem erga Deum licet imperfectiorem, odium peccati, amorem justitiæ, &c. complectitur) insunt omnium Virtutum semina, quæ deinceps à Spiritûs Sancti Gratia uberiùs irrigata, in amplam Virtutum ac bonorum Operum segetem excrescunt. Unde bona Opera omnia quæ ab homine jam justificato fiunt, in Sacris Scripturis dicuntur ἄξιοι κάρποι, ἄξια ἔργα τῆς μετανοίας· *digni fructus*, & *opera pœnitentiæ*, Mat. 3. 8. *Act.* 26. 20. Cùm autem variis modis (de quibus hîc non est differendi locus) in homine justificato pias illas dispositiones prævias adaugeat Spiritus Sanctus; tamen inter modos illos emineré videtur efficax illa & potens (ut verbis utar viri doctissimi) favoris divini in animum impressio, quâ fidelium corda jam antè spe æternæ vitæ, quam ex verbo Fœderis hauserant, imbuta, certiori plerumque spei istius sensu ità blandè & suaviter afficiuntur ac perfunduntur, tanquam gustarent jam & perciperent aliquo modo virtutes futuri sæculi, & præ-

præmio promiſſo aliquatenus fruerentur. Ex hoc ſenſu favoris divini mirè inflammatur Charitas noſtra erga Deum; Charitati autem (præſertim ardenti) nihil in Virtute difficile.

Hæc, quantùm patitur rei ſublimitas, plana ſunt ac facilia; quæ verò philoſophatur D. *Tullius*, de ſimplici atque inſtantanea omnium ſimul virtutum infuſione, nunquam vel ipſe, vel alius quiſquam intelligibiliter explicare poterit. Sed è diverticulo in viam.

5. Progreditur D. *Tullius*: *Nec* 3°, inquit, *litem movemus ipſi, an bona Opera ſint ad Salutem neceſſaria, modo ſcil. loco, ordine, & ex fundamento ſibi proprio*, &c. Verùm cur modum illum, locum, ordinem, & fundamentum proprium, juxta quod ad Salutem reverà neceſſaria eſſe fatetur bona Opera, non hîc (ubi proprius locus erat) explicavit? Certè quia, ſalvâ hypotheſi ſuâ, non poterat. Nam lepidæ iſtæ ſimilitudines & metaphoræ, quibus adeò delectatur, nihil planè ad rem faciunt. *Ad exſtruendum*, inquit, *ædificium cujuſvis bajuli neceſſarius eſt uſus, at non qualis Architecti; ancillæ opus in domo, quæ tamen ſi matrem protervè agat familiâs, cum* Hagare *foràs ejicienda.* Quaſi ſcil. quiſquam noſtrûm Architecti in ædificio ſalutis noſtræ exſtruendo, aut Matris familiâs in eodem negotio diſponendo vices, non Gratiæ Divinæ & Meritis Chriſti, ſed bonis Operibus noſtris aſſignare auſus fuerit. Piget tam manifeſtam calumniam toties refellere. Sufficiet nobis ſi verum aliquem ad Salutem obtinendam bonorum Operum uſum neceſſarium (ſit illa, qualis ancillæ in domo matrifamiliâs ſervientis) ſine fraude & fuco agnoverit D. *Tullius*; neque veram ſanctimoniam pro *Hagare* habeat, foráſque prorsùs ejiciat. Sed qualem, quæſo, ad Salutem bonorum Operum neceſſitatem fatetur ille, qui homini tantùm credenti ante omne opus bonum, etiam internum, jus ad ſalutem, ídque irrevocabile, non veretur concedere? An dicet, neceſſaria eſſe bona Opera tantùm ut ſigna Fidei veræ & ſalvificæ? Verùm hæc neceſſitas non Deum, cujus omniſcientia ſignis illis atque indiciis non indiget, ſed homines tantùm reſpicit. An ut effectus veræ Fidei prorsùs neceſſarios prædicat? Sed magnum aliquid & ſe dignum præſtabit D. *Tullius*, ſi Fidem aliquam nobis de-

ſcripſerit, quæ ſit mera Fides, quæque charitatem ſuâ notione non includat, unde bona Opera neceſſariò profluant. Sat ſcio, hoc ab ipſo præſtari non poſſe. Utinam verò depoſito & præjudicio & faſtu, ſeriò legeret V.R. quæ de natura Fidei in *Examine* fusè diſſeruimus; aut, ſi noſtra contempſerit, Clariſſimum *Hammondum* (quo uti magiſtro non eſt quòd dedignetur) adiret in brevi Tractatu poſthumo de Concordia inter *Jacobum* & *Paulum*, alteri de æternitate cruciatuum Tartareorum annexo, qui errori iſti refellendo penè totus inſumitur.

Reſp. ad Animadverſ. 13.

6. Pergit D. *Tullius*: *Nec* 4°, inquit, *controvertitur, an ſenſu declarativo ſua bonis Operibus tribuenda ſit Juſtificatio, tum domi ſcilicet, & in foro conſcientiæ apud ipſum juſtificatum, tum foris apud alios; arbor enim cognoſcitur ex fructibus.* Egregium verò monitum! Quaſi ſcil. quiſquam ſanus in quæſtione de Juſtificatione hominis declarativa (ut loquuntur) ſive in foro conſcientiæ, ſive foris apud alios, controverſiæ inter Doctorem ejúſque Adverſarios τὸ κεκρίμενον ſitum eſſe ſuſpicaretur. Interim neſcio, quare pro conceſſo habeat D. *Tullius*, hominem foràs apud alios juſtificari, hoc eſt, juſtum declarari bonis ſuis Operibus. Certè nulla bona Opera noſtra in ſenſus aliorum hominum incurrunt, præter externa; externa verò illa Opera æquè præſtare poteſt hypocrita à Fide juſtifica alieniſſimus, atque verè Chriſtianus. Quod adeò verum eſt, ut clarè nos doceat Apoſtolus, poſſe hominem Opera exteriùs præſtare maximè Heroica (cujuſmodi ſunt facultates ſuas omnes egenis impendere, & Martyrium pro divina veritate ſubire) qui verâ Charitate ac proinde Fide juſtificâ planè deſtitutus ſit. Quod enim ad hoc alicubi reſpondet Dominus *Tullius*, eſſe quidem forum humanum fallibile, & poſſe homines juſtificare impium & damnare innocentem, ſed & idem facere fora civilia, neque tamen fora eſſe deſinere; proinde hoc culpam ponere judicum, jus fori non tollere; hoc, inquam, nullius momenti eſt. Neque enim quòd homines de pietate aliorum non certò judicant, culpa eſt judicum, ſed in cauſa eſt defectus regulæ, juxta quam ea de re certò dijudicare poſſent. Quin & in forum alienum ſe intrudit miſellus homuncio, qui de alterius conſcientia, divinæ tantummodò cognitioni ſubjecta, ſententi-

1 Cor. 13.

Juſt. Paulin. p. 148, 149.

tentiam ferre auſus fuerit. Poſſumus quidem de alterius interna pietate bene ſperare; ſed hoc non eſt ſententiam ferre. Vid 1 Co 4. v. 3, 4, 5.

7. Tandem ad ipſum Controverſiæ τὸ κεινόμενον explicandum ſe accingit D. *Tullius*: *Hoc itaque*, inquit, *eſt* τὸ κεινόμενον, *ſive ſtatus quæſiti genuinus (prout ab Eccleſiis Reformatis defenditur) quid nimirum illud ſit, cujus intuitu, vel propter quod hominem peccatorem, iræ filium, & Legis maledictioni obnoxium, Deus in gratiam recipiat, ab execratione Legis abſolvat, vitæ demùm æternæ hæredem faciat.——Et quidem ex parte Dei, convenire videtur, meritum hoc eſſe ſolius Chriſti, in quo complacuit Pater. Diſſidium ex hujus meriti applicatione oritur, nempe quid illud ſit, quod inæſtimabilem hunc theſaurum noſtrum facit: Fidem & Opera cum Pontificiis aiunt Adverſarii domeſtici, nos Fidem ſolum, idque non ut Opus humanum, etſi bonum, ſed ut apprehendens, obſignans & applicans unius Chriſti Juſtitiam*, &c. Multa hîc cenſuram merentur; ſed tria tantùm annoto. 1. Malè à Doctore dicitur, *convenire videtur* de Merito ſolius Chriſti. Apage iſtud incertæ rei vocabulum. Non modò videtur, ſed & conſtat, nos nihil noſtrî, quod meritorium ſit, in Juſtificationis ac Salutis negotio admittere. 2. Pro eodem ſuo candore Adverſarios domeſticos cum Pontificiis, quaſi connubio, lubenter conjungit; quanquam ſatis nôrit inter partes nondum conveniſſe. 3. Quod ad rem ipſam ſpectat, præclarè, ac prout Doctorem Academicum decet, ipſum τὸ κεινόμενον, ſive ſtatum quæſiti genuinum explicat terminis figuratis, ſive metaphoricis, eóque incertis. Quid ſit inæſtimabilis theſaurus (Deo laus ſit) non ignoramus quidem; de applicatione verò quæritur, ſcil. an per illud *apprehendens, obſignans, applicans*, conditionem ex parte noſtra requiſitam velit? Si ità eſt, conſtanter aſſerimus, Fidem ſimplicem Virtutem non eſſe unam Remiſſionis, ſive Juſtificationis obtinendæ conditionem in Evangelio præſcriptam, ſed pœnitentiam præterea ad id requiri; & fruſtrà expectamus, dum V. R. ad argumenta, quibus hanc aſſertionem noſtram firmamus, quicquam ſolidi reſpondeat. Sin aliud quid, & altius, voluerit, utinam ipſi tandem vacaret tantum nobis myſterium intelligibiliter explicare. Hactenus D. *Tullium* audivimus.

Lectoris autem conſcientiam appello, an ex hac tam ſollicita quæſtionis explicatione vel hilum profecerit. Videamus, an à *Novatoribus* his certiora & clariora proferri poſſint.

8. Ut de cauſa προηγουμένη Juſtificationis noſtræ (quam in Miſericordia Dei Chriſtiani omnes ſtatuunt) nihil dicam; convenit inter Reformatos de ejuſdem cauſa, ſive ratione *formali*, quòd nempe ſita illa ſit in Remiſſione peccatorum & acceptatione hominis ad Salutem æternam. Sic Confeſſio *Auguſtana* in Articulo de Fide, adductis quamplurimis *Pauli* locis, in quibus de Juſtificatione hominis agitur, ſubjicit: *Significat autem Juſtificatio in his* Pauli *ſententiis Remiſſionem peccatorum, ſeu Reconciliationem, ſeu Imputationem Juſtitiæ, hoc eſt, acceptationem perſonæ.* Similiter Eccleſia noſtra *Homil.* de Salute hominis par. 1. in ipſo penè initio; ubi poſtquam dixerat, neminem in conſpectu Dei perfectè juſtum eſſe, ac peccati planè expertem, ſubdit: *Itaque unicuique neceſſitas incumbit aliam quærendi Juſtitiam, ſive Juſtificationem, quæ Deo accepta referenda ſit, nempe Remiſſionem peccatorum ſive offenſarum ſuarum in quibuſcunque deliquerit.* Pleniùs verò rem exprimit paulò pòſt, ubi Juſtificationem infantium baptiſmate conſignatorum, atque abſque actuali peccato denatorum ſic deſcribit: quòd *per ſacrificium Chriſti à peccato* (nempe originali) *abluti, in gratiam Dei reſtituantur, ipſique ſque filii ac regni cœleſtis hæredes fiant.* Sunt quidem inter Reformatos Doctores nonnulli, qui in una remiſſione peccatorum rationem Juſtificationis formalem conſtituunt; ſed horum ſententia, prout ab ipſis explicatur, non re, ſed verbis tantùm à priori diſcrepat. Aiunt enim plenam omnium peccatorum Remiſſionem requirere, ut cui Deus ſecundùm fœdus Evangelicum remittit peccata, is ſimul juſtus, & juſtitiæ præmio, quod eſt vita æterna, dignus cenſeatur. Nam (inquiunt) cùm peccata partim ſint commiſſionis, quibus mandatum aliquod prohibens violatum eſt, partim omiſſionis, cùm jubens neglectum eſt; ille, cui utriuſque generis peccata fuerint remiſſa, pro perfectè juſto, ac proinde remuneratione digno habetur. Addunt, plenam Remiſſionem eſſe omnis pœnæ, tam damni, quàm ſenſus; proinde cuicunque plena remiſſio contingit, eidem hoc ipſo jus ad regnum cœleſte,

leſte, unde per peccatum exciderat, reſtitui. Ut hîc ſit mera λογομαχία. Vide tamen quæ de verâ notione Juſtificationis fusè diſputavimus Exam. Cenſ. Reſponſ. ad Animad. 3. & Reſp. ad Animad. 7.

9. Secundò, Convenit inter Reformatos omnes (nam *Socinianos* ex albo Reformatorum meritò eraſimus) de Juſtificationis noſtræ causâ προκαταρκτικῇ meritoriâ; quòd nempe ipſa in Chriſti Domini noſtri ſatisfactione unicè quærenda ſit.

10. Tertiò, Convenit inter ſaniores Theologos Reformatos, Chriſtum ſatisfactione ſuâ Remiſſionem peccatorum ac jus ad ſalutem æternam nobis non *abſolutè* impetrâſſe, ſed ſub certa quadam conditione in novo Fœdere præſcriptâ; ac proindè neminem per Chriſti ſatisfactionem *immediatè*, ſed eos ſolos, qui conditionem illam præſtiterint, juſtificari. Certè in hoc conſentiunt Reformatarum Eccleſiarum Confeſſiones ad unam omnes. Non deſuere (ſat ſcio) Theologaſtri quidam Schiſmatici è noſtratibus, (quorum princeps fuit Criſpus ille, quem alibi commemoravimus) qui auſi ſunt palàm docere, Electos omnes ſtatim à Chriſti morte, adeóque ab æterno, quatenus mors Chriſti, ut præſtita, in decreto Divino ſpectata fuerit, à reatu peccatorum ſuorum abſolutos fuiſſe; eam verò hominis Juſtificationem, quæ in tempore fit, & tantoperè in Scripturis celebratur, nihil aliud eſſe quàm lætum quendam ſenſum, ſive perceptionem Juſtificationis anteà peractæ & abſolutæ. Sed jam diu eſt, ex quo apud nos iſta fæx hominum cum inſano ipſorum dogmate exploſa fuerit.

11. Itaque lis tota eſt de cauſa ſine qua non, ſive de conditione ex parte noſtra ad Juſtificationem requiſitâ. Scil. hoc tandem eſt revera τὸ κρινόμενον controverſiæ, hîc cardo vertitur quæſtionis; *ſub quibus conditionibus remiſſio peccatorum, ac jus ad ſalutem æternam nobis in Evangelico fœdere promittantur?* Sub conditione ſolius fidei, ſimplicis virtutis, ait D. *Tullius*; ſub conditione Fidei & pœnitentiæ nos cum Prophetis, Chriſto, Apoſtolis, cum veteris Eccleſiæ Catholicæ Doctoribus univerſis, cum Eccleſiæ noſtræ Patribus, cum ſanioribus Reformatis Theologis omnibus, conſtanter affirmamus. Breviter, ſumma (ut dictum eſt) doctrinæ noſtræ

hæc

hæc est; Ex fœdere Evangelico, Christi servatoris meritoriâ satisfactione impetrato ac sancito, Remissionem peccatorum atque jus ad salutem fide & pœnitentiâ ex parte nostra comparari; fidei verò & pœnitentiæ fructibus conservari. Qui ad hanc quæstionis explicationem attenderit, is mirabitur (nullus dubito) quomodo de re tam plana, facili ac perspicua, inter Theologos judicio pollentes, atque pacis & veritatis amantes, controversia aliqua (nedum tam acris) oboriri potuerit.

12. Ut summam hujus disputationis paucis contraham, atque Lectori controversiam totam, uno quasi intuitu, conspiciendam exhibeam; concluso nostra adversùs Doctorem probanda hæc est, Præter fidem, etiam veram pœnitentiam in novo Fœdere prorsùs necessariò ad id requiri, ut quis Remissionem peccatorum & jus ad salutem ac vitam æternam acquirat. Ad hanc thesin probandam non leves ratiuncularum stipulas, ex sacra pagina pessimè intellecta, coacervamus; (ut fingit D. *Tullius*) sed loca Scripturæ disertissima, quæque nullâ ferè egeant consequentiarum deductione, adhibemus. Sanè universa Biblia à capite ad calcem testimoniis referta sunt, quæ necessitatem veræ resipiscentiæ, ad remissionem peccatorum, sive Justificationem obtinendam, evidentissimè evincunt. Ex tantâ copiâ loca quædam hîc illustriora attulisse sufficiet.

Vox est Evangelii per Evangelicum prophetam sonantis: *Lavamini, mundi estote, auferte malignitatem actionum vestrarum è conspectu meo; definite malefacere, discite benefacere, &c. venite jam & disceptemus, inquit Jehova; si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur; & si fuerint rubra quasi vermiculus, similia lanæ erunt.* Esa. 1. v. 16, 17, 18. Ubi promissio Remissionis annexa pœnitentiæ mandato, ostendit, quanta sit hujus tum necessitas tum efficacia, ad illam consequendum. Quid autem expressius fingi potest istis: *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis, quæ operatus est, & custodierit omnia præcepta mea, & fecerit judicium & justitiam, vitâ vivet, & non morietur; omnium iniquitatum ejus, quas operatus est, non recordabor; in justitia sua, quam operatus est, vivet. Nunquid voluntatis meæ est mors impii, dicit Dominus, & non revertatur à viis suis, & vivat?*

vivat? Ezech.c.18. v.21,22,23. Et rursùs, *convertimini & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus veſtris, & non vobis erit in ruinam iniquitas*, &c. v.30,31. His gemina habentur Ezech.33. v.11,14,15,16. In novo T. dicitur *Joannes* Baptiſta *à Deo miſſus, qui prædicaret baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum*, Mar.1.4. Ubi ſimul ponuntur finis & media ad eum conducentia: finis eſt remiſſio peccatorum, ſive Juſtificatio; media ſunt baptiſmus & pœnitentia. Qui itaque docet peccata homini remitti, antequam veram pœnitentiam agat, finem in executione ponit, antequam medium exiſtat; quo ſanè nihil abſurdus. Hinc Dominus Ieſus diſcipulis ſuis dicebat, *oportere prædicari in nomine ſuo pœnitentiam & remiſſionem peccatorum.* Luc.24.46,47. Quò reſpiciens *Petrus* concionabatur Judæis ad hunc modum: *pœnitentiam agite & baptizetur unuſquiſque veſtrum in nomine Ieſu Chriſti in remiſſionem peccatorum veſtrorum.* Act. 2.38. Item: *Pœnitemini igitur & convertimini, ut deleantur peccata veſtra*, &c. Act.3.19. Item ad *Simonem Magum*; *Pœnitentiam age ab hâc malitiâ tuâ, & Deum deprecare, ſi forte remittatur tibi hæc cogitatio cordis tui.* Act.8.22. Denique *Joannes* Apoſtolus; *Si confiteamur peccata noſtra, fidelis eſt* (Deus) *& juſtus, ut remittat nobis peccata noſtra, & mundet nos ab omni iniquitate.* 1 Epiſt. c. 1. v. 9. Ubi per Synecdochen voce confitendi, univerſam pœnitentiam intelligi, apud omnes Interpretes in confeſſo eſt. Idem quoque dicit Apoſtolus ejuſdem capitis v.7. Jam penès lectorem eſto judicium, utrum nos, qui tot diſertiſſimis Scripturæ locis ſententiam noſtram confirmamus, (quibus alia plurima, nec minùs diſerta, in proclivi eſſet adjicere) leves ratiuncularum ſtipulas ex ſacrâ paginâ, peſſimè intellectâ, coacervâſſe jure dici poſſimus.

13. Quid autem contra hæc tam clara, tam manifeſta adfert D.*Tullius*? Certè non leves ratiuncularum ſtipulas, ſed miſellum ſophiſma unum, quo neque ipſæ paleæ leviores. Ità ſcil. adversùs conſtantem doctrinam Prophetarum, Chriſti, Apoſtolorum, Doctorum, Eccleſiarum (antiquarum, recentiorum, exterarum, omnium) argumentatur. *Si ponatur reſipiſcentia vera & Evangelica ante Juſtificationem, tum vel ponetur ante fidem, vel poſt: ſi poſt fidem, tum poſt Juſtificationem* *Juſt. Paulin. p. 102.*

sionem quoque ; alioqui vir fidelis non erit Justificatus, & sic simili erit (quoad rem) conditione cum infideli, quod neque ratio (vel Adversariorum) feret. Si resipiscentia ponatur ante fidem, tum fides non erit initium & radix resipiscentiæ, &c. Nimirum dilemmate hîc nos urget V. R. sed debili quidem illo ac valdè infirmo, utpote quod altero suo cornu manifestè deficit. Namque intrepidi affirmamus, veram & Evangelicam pœnitentiam, sive resipiscentiam, post fidem Evangelii poni debere ; siquidem fieri non potest, ut pœnitentiam ex Evangelio concipiat, qui fidem priùs Evangelio non habet. Atqui, inquit D. *Tullius*, si post fidem ponenda sit resipiscentia, ergo post Justificationem quoque. Negamus consequentiam : quomodo probat ? Argumento scil. ab absurdo ; quia alioqui sequeretur, fieri posse, ut vir fidelis nondum justificetur, ac proinde simili conditione sit cum infideli. Crassa homonymia in voce *fidelis* sita. Fidelis bifariàm dicitur, vel qui fidem habet per charitatem perfectam, vel qui fide quidem præditus est, nondum tamen tali, quæ in cor ipsius ac voluntatem potenter influat, indéque veram adversùs Deum charitatem eliciat. Si priori modo vox accipiatur, rursus consequentiam negamus. Nam ex repudiatâ hac propositione, si post fidem, nempe simplicem virtutem, ponenda sit resipiscentia, ergo post Justificationem quoque, non sequitur fieri posse, ut vir Fidelis, hoc est, qui Fide formatâ præditus est, nondum justificetur ; cùm fides formata veram & Evangelicam pœnitentiam suo ambitu comprehendat. Sin posteriori sensu vocabulum intelligatur, nempe ut Fidelis dicatur is, qui fide tantum præditus est nondum per charitatem perfectâ, quæque veram pœnitentiam in homine nondum produxerit, tum propositio hæc, *fieri potest ut vir Fidelis nondum Justificetur*, adeò nihil absurdi in se habet, ut certissimæ veritatis sit. Imò hoc illud ipsum est, quod contendimus, atque allatis modò Scripturæ testimoniis aliisque multis argumentis abunde evicimus. Hîc itaque manifesta est petitio principii, *quo* (ut alicubi monet D. *Tullius*) *vix ullus in disputante molestior paralogismus : neque enim hoc est disputare, sed nugari, & bonas horas malè perdere.* Ac de Quæstionis statu hactenus.

Just. Pan. p. 140.

SECTIO

SECTIO IV.

ad Cap. 2. *De Patrum ſententia.*

HIc primùm Authorem *Harmoniæ Apoſtolicæ* nominatim adoritur D. *Tullius*: Sed eheu quàm infœliciter! Nam poſtquam de Authore iſto mentionem feciſſet, pauculis lineis interjectis, hæc ſubjicit: *Habemus venditantem omnes naves in* Pyræo *ſtantes ſuas eſſe. Patres pleroſque omnes ante* Auguſtinum *pro Juſtitia Operum ad ipſius caſtra tranſire. Quis ei impoſuit, niſi Scriptor aliquis Pontificius, ignoro. Certè, cùm iſta ſcriberet, in lectione Patrum ipſum modicè verſatum conſtat.* Quis non crederet, hæc à me reverà ſcripta fuiſſe, præſertim qui in ipſo capitis Elencho hæc legerit verba, *Authoris Harm. Apoſt. mira de Patribus jactantia?* Sed proh fidem & conſcientiam hominis! Percurrat Lector *Harmoniam* totam à capite ad calcem, & nihil tale reperiet. Unde & D. *Tullius* neque caput, neque paragraphum, neque paginam, ubi hæc ſcripſerim, ſive in textu, ſive in margine ſuo indicavit. Non nego, me perſuaſum habere, Operum Juſtitiam, qualem ipſe defendo, non modò à pleriſque, ſed ab univerſis Patribus ante *Auguſtinum*, quin & ab ipſo *Auguſtino*, adeóque à Catholicis omnibus poſt *Auguſtinum* defenſam fuiſſe; ſed me in *Harmonia* ità ſcripſiſſe omnino nego. Hiccine candor ille, quem profitetur V. R. cujúſque exemplum adverſariis ſuis exhibere voluit? *Juſtif. Paulin. p. 13.*

2. Sed & unde ipſi conſtat, me, cùm *Harmoniam* ſcriberem, in lectione Patrum tam modicè verſatum fuiſſe? Reſcivit hoc fortaſſe à viris illis fide dignis, quos in Præfatione ſua commemorat. Fateor lubentiſſimus, omnia mea modica eſſe; ſed palàm eſt, Doctorem voluiſſe, me tum temporis in Scriptis Veterum planè hoſpitem fuiſſe. Unde autem, inquam, hoc ipſi conſtat? Alicubi non rogatus V. R. Harmoniſtæ largitur induſtriæ atque ingenii laudem. Sanè autem liquidò affirmare poſſum, Harmoniſtam per quinquennium, antequam Harmoniſta audiret, hoc eſt Harmoniam ſcripſiſſet, induſtriam ingeniúmque penè omne (poſt S. *Juſt. Paulin. p. 139.*

Scripturæ ſtudium) lectioni Veterum, eorum verò imprimis, qui intra tria prima ſæcula floruerunt, impendiſſe. Scil. à Viro maximo admonitus (cujus memoriam cum honore recolit) ſtudiorum ſuorum Theologicorum initia ità inſtituerat. Atque utinam dignus eſſet, qui Sacræ Theologiæ in Academia noſtra Candidatis Author fieret (reclamante licet, utì ſat ſcio, D. *Tullio*) ut idem ipſi facerent.

3. Cæterùm non obſcurum videtur, quo conſilio D. *Tullius* miram iſtam (ut loquitur) de Patribus jactantiam Harmoniſtæ affinxerit. Voluit Adverſarii ſententiam hâc invidiâ onerare, quòd nova illa ſit, veteríſque Eccleſiæ Catholicæ conſenſui repugnet ; atque in eum finem neceſſarium duxit, verba ipſi tribuere, quæ occaſionem præberent de Patrum in hac quæſtione ſententia differendi. Ut ut verò illud ſit, venerandum Catholicorum Doctorum tribunale adeò non refugimus, ut eò lubentes ac læti, tanquam ad aſylum noſtrum, confugiamus. Et ſiquidem ad Patres appellat V. R. ad Patres ibit.

4. Illud autem generatim de Patribus affirmamus, in locis illis omnibus, ubi juſtificari hominem ex ſola Fide docent, loqui ipſos non de Fide ſimplici virtute, ſed de Fide ſenſu complexo accepta, ſive de Fide formata, & cum vera interna Contritione & Charitate conjuncta ; ut Fides opponitur vel 1. Operibus externis, ſive actuali Operum juſtitiæ ; vel 2. Operibus Legis naturalis, ante & citra cognitionem, Fidem & Gratiam Evangelii præſtitis ; vel 3. Operibus Legis Moſaicæ ; vel denique, Operibus quoviſcunque nomine meritoriis, ex quibus gloriatio hominis coram Deo conſequatur. Atque in hanc ſententiam Veterum quorundam teſtimonia ab Authore *Homiliæ* de Salute hominis rectè & appoſitè allegantur. Ad Doctorem verò quod attinet, (ut ipſius verba ipſi regeram) *quanquam in hac controverſia tot ei pugilibus & ducibus veteranis ex adverſo ſtantibus, arma non faſtidit ſocialia ; imò ſollicitè ambit, ſi quo pacto ſibi demerendi aditus pateret ; tamen (quæ ſua eſt infœlicitas) nemo in auxilium prodit, & fruſtrà ſudat, ut reluctantes trahat.* Audivimus ipſum ſententiam ſuam, noſtræ oppoſitam, ità explicantem, ut affirmet, per Fidem ſimplicem virtutem ante omnem

omnem veram contritionem, ſive pœnitentiam, hominem juſtificari; hominem impium juſtificari, hoc eſt, peccata ipſi remitti, ipſúmque ad Salutem acceptum haberi, dum adhuc impius ſit, &c. Si autem vel unum ex Patribus proferre poteſt V. R. qui tam pernicioſam ſententiam Scriptis ſuis uſpiam tradiderit, herbam ipſi porrigemus. Tam longiſſimè à vero abeſt, quod affirmat D. *Tullius*, *Patres in hac controverſia eandem prorsùs ſecum ſententiam apertè milliès profiteri.* Sed jam ipſos Patres audiamus. *Juſt. Paulin.* p. 15.

5. *Irenæus* lib. 4. cap. 13. de *Abrahamo*. *Didicerat enim à Verbo Domini, & credidit ei. Quapropter & deputatum eſt ei ad Juſtitiam à Domino. Fides enim, quæ eſt apud Deum altiſſimum, juſtificat hominem.* Audio quidem optimi Patris verba, ſed de ſenſu ejus adhuc quæritur. Liceat ipſi ſui ipſius agere interpretem; neque interpretatio longiùs petenda, quàm ex ejuſdem Libri capite ἀμέσως ſequente, ubi ità ſcribit: *Ad hoc Filius revelavit Patrem, ut per eum omnibus manifeſtetur, & eos quidem, qui credunt, &c. in æternum refrigerium recipiat. Credere autem ei eſt facere ejus voluntatem.* Quis ſanus tali Fidei Juſtificationem detraxerit? Hîc quoque repetenda ſunt, quæ jam in *Examine* citavimus ex hoc ipſo *Irenæi* Libro cap. 27. ubi hæc duo, *per naturalia Legis juſtificari*, & *per Fidem juſtificari*, ut ἰσοδυναμοῦντα, ab ipſo ponuntur. *Reſp. ad Animad. verſ. 12. Sect. 6.* p. 90.

6. Sequitur *Origenes*, (primus Patrum, qui à D. *Tullio* pro ſua ſententia confirmanda teſtes citantur) qui in Libro 3. comment. in Epiſt. ad *Rom.* cap. 3. (ſi *Rufino* interpreti Fides habenda ſit) ità quidem ſcribit: *Dicit Apoſtolus, ſufficere ſolius Fidei Juſtificationem, ità ut credens quis tantummodò juſtificetur, etiamſi nihil ab eo Operis fuerit expletum.* Sed facilis eſt reſponſio, loqui nempe manifeſtè *Origenem* de Fide cæteris internis virtutibus formata, ut opponitur *Expletioni* Operum externorum. Liquet illud tum ex ipſis Adamantii verbis allatis, *etiamſi nihil ab ipſo Operis fuerit expletum*; tum ex addito mox exemplo, fidelis nempe Latronis, qui certè ſine internis animi virtutibus Juſtificationem non adeptus eſt. Pleniùs autem hac de re mentem ſuam aperit *Origenes* eorundem Commentariorum lib. 4. ad cap. 4. ad *Rom.* ubi hæc habet: *Sed cùm ad Scripturas redeo, non omnibus credentibus invenio, quòd Fides ad Juſtitiam reputetur. Denique ſcriptum*

eſt de filiis Iſrael *quia crediderunt Deo & famulo ejus* Moſi: *nec tamen additur, quod de* Abraham *ſcriptum eſt, quia reputatum eſt illis ad Juſtitiam. Ob hoc arbitror, quòd non illis erat, ſicut in* Abrahamo *docuimus, ex multis partibus fidei in unum coacervata perfectio, quæ mereretur ad Juſtitiam reputari.* Et paulò pòſt: *Credenti verò in eum, qui juſtificat impium, Fides ad Juſtitiam reputatur: ſiquidem bene meminimus ſuperiorà, in quibus oſtendimus, non ei qui ex parte, ſed qui ex integro, & qui perfectè credit, Fidem poſſe ad Juſtitiam reputari: quæ Fides tanta eſt, ut juſtificet etiam eum, qui impius fuerit, ut ultrà jam non ſit impius, ſicut ille Latro, qui pendebat in cruce & blaſphemabat, ſed ſit ſicut ille, qui confitebatur & dicebat; Domine Ieſu, memento mei, cùm veneris in regnum tuum.* Quid his clarius? Idem *Homil.* 3. in *Levit.* in ipſo fine *Moſen* allegoricè exponens: *Hæc eſt ergo,* inquit, *Legiſlatoris moderatio, ut niſi quis habeat certum pecuniæ modum, peccatum ejus non poſſit abſolvi. Quod apertè ſecundùm literam quidem videtur abſurdum. Secundùm verò ſpiritualem intelligentiam certum eſt, quòd Remiſſionem peccatorum nullus accipiat, niſi detulerit integram, probam & ſanctam Fidem, per quam mereri poſſit arietem: cujus natura hæc eſt, ut peccata credentis abſtergat. Et hic eſt Sielus ſanctus, probata (ut diximus) Fides, id eſt, ubi nullus perfidiæ dolus, nulla hæreticæ calliditatis perverſitas admiſcetur, ut ſinceram Fidem offerentes, pretioſo Chriſti Sanguine tanquam immaculatæ hoſtiæ diluamur.* Si quis autem nondum intelligat, quid *Origeni* ſit ex multis partibus Fidei in unum coacervata perfectio, quæ ſola ad Juſtitiam reputari mereatur; quid integra, proba & ſancta Fides, in qua nullus perfidiæ dolus, & ſine qua Remiſſionem peccatorum nemo accipiat; quid denique ſincera illa Fides, quam Deo offerentes, Chriſti Sanguine abluamur; adeat ille luculentiſſimum *Origeniani* Operis indubitati locum cont. *Celſ.* lib. 3. Ubi *Celſo* abſurdam hanc ſententiam Chriſtianis affingenti, *quòd quemadmodum quidam miſericordiâ vincuntur, ità Deus miſericordiâ coactus malos ſublevet, bonos verò, cæterùm hoc affectu carentes, ob hoc ipſum aſpernetur;* ità Chriſtianorum nomine reſpondet *Origenes:* Καθ' ἡμᾶς γὰρ ἔτι ἀδύνατα μὴ προτεταγμένον εἰς ἀρετὴν κακὸν κωφίζει ὁ Θεὸς, καὶ ἀδύνατα ἤδη ἀγαθὸν ἀποβίπτει· ἀλλὰ καὶ ἀδύνατα οἰκλιζόμενον πρὸς τὸ οἰκλίζεσθαι κωφίζει

Exh. Cant. p. 154.

κυφίζει ἢ ἐλεεῖ, ἵνα κοινότερον τῷ ἐλέει χρήσωμαι· ἀλλὰ τὸς σφόδρα ἑαυτῶν ἐπὶ τοῖς ἡμαρτημένοις καταγνώκοτας, ὡς ἐπὶ τέτῳ ὄντι πενθεῖν καὶ θρηνεῖν ἑαυτὸς ὡς ἀπολωλότας, ὅταν ὁπὶ προσπεσαγμένοις, καὶ ἀξιόλογον ἐπιδεικνυμένοις μεταβολὴν, προσίεται τῆς μετανοίας χάριν ὁ Θεὸς, καὶ τὸς ἐμμεταβολῆς κακίας εἶν· ἀμνησίαν δὲ τοῖς τοιέτοις δίδωσιν ἀρετὴ, ἐπιδημέσα ἀυτῶν ταῖς ψυχαῖς, καὶ ἀναβεβλημένα τὴν προκαταλαβέσαν κακίαν. i. e. *Juxta noſtram ſententiam, neminem malum niſi ad virtutem converſum ſublevat Deus, ſicut neminem, qui jam bonus ſit rejicit : nec propter miſerationem aut miſericordiam, ut miſericordiæ vocabulo cum vulgo utar, quenquam ſublevat ; ſed qui peccata ſua damnant voto pectore, ſeque ipſos deflent ac lugent, tanquam ob malefacta meritò perditos, ac mutationem præ ſe ferunt, quæ reſipiſcentes deceat, eis demùm propter mutatam in meliùs mentem condonat errata præterita : eam præteritorum oblivionem impetrante virtute, quæ in locum profligatorum ex anima vitiorum ſucceſſit.* Papæ! Quàm hæc diſſimilia placitis D. *Tullii* docentis, hominem per Fidem, neſcio quam, juſtificari, antequam verè contritus ſit ; hominem impium juſtificari, dum impius adhuc manet? Et tamen *Origenes* ibidem clarè teſtatur, ſententiam, quam explicat, fuiſſe Catholicorum omnium ipſius ætate (demptis quibuſdam ἀνοήτοις) communem. His autem addi poſſent, ſi opus eſſet, loca quædam, in quibus *Origenes* diſertè docet, bona quædam Opera ad Juſtificationem hominis neceſſariò requiri ; cujuſmodi is eſt in *Mat.* Tract. 25. *In converſationibus noſtris quædam ſunt principalia, & neceſſaria ad Juſtificationem animarum noſtrarum, qualia ſunt gravia Legis, Judicium & Miſericordia & Fides :* Sed de *Origene* jam ſatìs dictum eſt.

7. Ab *Origene* ad *Cyprianum* tranſeamus. Is lib. 3. ad *Quirin.* cap. 42. docet, *Fidem in totum,* (ut legit *Pamelius*) ſive (ut *Eraſmici* codices) *tantùm prodeſſe, & tantum nos poſſe quantum credimus.* Sed lege caput, quod ἀυτὸς ſequitur, nempe cap. 43. & ſenſum *Cypriani* mox habebis. Verba hæc ſunt : *Poſſe eum ſtatim conſequi, qui verè crediderit ; in Actibus Apoſtolorum : Ecce aqua, quid eſt quod me impedit baptizari? tunc dixit* Philippus, *ſi credis ex toto corde tuo, licet.* Scil. loquitur *Cyprianus* de eo qui verè atque ex toto corde credit ; quem per baptiſmum, antequam actualem bonorum Operum Juſtitiam præſtiterit, ſalutem conſequi poſſe affirmat.

mat. *Cyprianum* autem ſenſiſſe, quenquam Remiſſionem peccatorum, ſive Juſtificationem obtinere poſſe, antequam veram agat Pœnitentiam, qui ſomniaverit, næ is in Patris optimi ſcriptis planè hoſpes ſit, neceſſe eſt. Nimirum ille, ſi quiſquam alius, Pœnitentiæ tum neceſſitatem tum efficaciam ad Remiſſionem peccatorum conſequendum mirificè (imò, ut nonnullis videtur, immodicè) ubique prædicat. Locum unum & alterum eò ſpectantem hîc adferam. Sic de lapſis: *Confiteamini ſinguli, quæſo vos fratres dilectiſſimi, delictum ſuum, dum adhuc, qui deliquit, in ſæculo eſt*, &c. *Convertamur ad Dominum mente totâ, & pœnitentiam criminis veris doloribus exprimentes, Dei miſericordiam deprecemur. Illi ſe anima proſternat, illi mœſtitiæ ſatisfaciat, illi ſpes omnis incumbat. Regare qualiter debeamus dicit ipſe*; Revertimini, *inquit*, ad me ex toto corde veſtro, ſimúlque & jejunio, & fletu, & planctu, & ſcindite corda veſtra, & non veſtimenta veſtra. *Ad Dominum toto corde redeamus. Iram & offenſam ejus jejuniis, fletibus, planctibus, ſicut admonet ipſe, placemus.* Sic Epiſt. 55. docet: *Satisfactionibus & lamentationibus juſtis delicta redimi, & vulnera lachrymis ablui.* Denique ad *Novatian.* hæret. propè finem: *Dum patet*, inquit, *fratres, indulgentiæ aditus, Deum plenis ſatisfactionibus deprecemur. Humiliemus nos, ut exaltari poſſimus.*

Edit. Pamel. p. 145.

Joel. 2.

8. Sequitur *Hilarius*, qui Can. 8. in *Mat.* expreſsè quidem dicit, *quòd Fides ſola juſtificat*; ſed verba producantur integra, & manifeſtum erit, quàm nihil Doctorem juvet iſte optimi Patris locus. Agens ibidem *Hilarius* de *Paralytico*, quem ſanavit, cujúſque peccata remiſſa pronuntiavit Chriſtus, ità ſcribit: *Movet Scribas remiſſum ab homine peccatum; hominem enim tantùm in Chriſto Jeſu contuebantur; & remiſſum ab eo, quod Lex laxare non poterat, Fides enim ſola juſtificat.* Scil. apertè ſatis Fidem ſive Evangelium opponit Legi *Moſaicæ*. Quod & mox è Canone 9. clariùs adhuc apparet, ubi hæc habemus verba: *Nemo juſtus ex Lege eſt. Oſtendit ergo inanem Juſtitiæ eſſe jactantiam: quia ſacrificiis infirmis ad ſalutem, miſericordia erat univerſis in Lege poſitis neceſſaria. Nam ſi Juſtitia fuiſſet ex Lege, venia per Gratiam neceſſaria non fuiſſet.*

9. Magnum

9. Magnum jam *Baſilium* audiamus. Is Homil. 22. *de Humilitate*, ità quidem loquitur: αὕτη γὰρ ἡ τελεία καὶ ὁλόκληρος καύχησις ἐν Θεῷ, ὅτε μήτε ὅλη δικαιοσύνη τὶς ἐπαίρεται τῇ ἑαυτῦ, ἀλλ' ἔγνω μὲν ἑαυτὸν ὄντα ἑαυτοῦ δικαιοσύνης ἀληθῶς, πίστει δὲ μόνῃ τῇ εἰς Χριστὸν δεδικαιωμένον· i. e. *Nam ea demùm perfecta & omnimoda gloriatio eſt in Deo, quando neque propter ſuam ipſius quis Juſtitiam extollitur, ſed agnoſcit ſe quidem verâ deſtitui Juſtitiâ, verùm ſolâ in Chriſtum Fide juſtificatum eſſe.* Sed ex iis quæ apud *Baſilium* mox ſequuntur, clarè liquet ab ipſo excludi tantùm opera meritoria, ex quibus gloriatio ſequatur, ſive Juſtitiam omnibus numeris abſolutam & perfectam, quam quis proprio marte præſtet, neque veniæ, neque auxilii Spiritûs Sancti indigus. Ità enim mox ibidem pergit: ἐνταῦθα πέπαυκε πᾶν ὕψος ὑπερηφανίας· οὐδὲν καταλέλειπταί σοι θεῖς ἀλαζονείαν, ὦ ἄνθρωπε, ᾧ τὸ καύχημα καὶ ἡ ἐλπὶς, ἐν τῷ νεκρῶσαι μὲν πάντα τὰ ἑαυτῦ θελήματα, ζῆται δὲ τὴν ἐν Χριστῷ ζωὴν τὴν μέλλουσαν, ἧς ἀπαρχὰς ἔχοντες ἤδη ἐν τούτοις ἐσμὲν, τὸ ὅλον ἐν χάριτι ζῶντες καὶ δωρεᾷ Θεῦ· Καὶ Θεὸς μέν ἐστιν ὁ ἐνεργῶν ἐν ἡμῖν καὶ τὸ θέλειν καὶ τὸ ἐνεργεῖν ὑπὲρ τῆς εὐδοκίας· i. e. *Decidit hîc univerſa arrogantiæ ſublimitas. Nihil tibi relictum eſt, O homo, de quo gloriari poſſis, cujus gloriatio & ſpes in eo ſita eſt, ut omnes tuas voluntates mortifices, & futuram in Chriſto vitam quæras, cujus primitias habentes in his nunc ſumus, per univerſum in gratia ac dono Dei viventes. Et Deus eſt, qui operatur in nobis & velle & perficere pro bona voluntate*, &c. Lege quæ ſequuntur. *Baſilio* autem nunquam in mentem veniſſe, hominem per ſolam Fidem ſimplicem Virtutem, ante veram pœnitentiam, juſtificari, hoc eſt, Remiſſione peccatorum donari, atque ad Salutem acceptum haberi, ex iis, quæ alibi ſcripſit, abundè conſtat. Nam diſertè affirmat, Fidem non ſufficere ſine pœnitentia, *Moral. Sent. Reg.* 1. Alibi quoque non minùs expreſsè docet, Fidem non perfici niſi per Baptiſmum, quo pactio noſtra cum Domino obſignatur. Sic enim lib. de *Spiritu Sancto* cap. 11. prope finem loquitur: Πίστις καὶ βάπτισμα, δύο σχέσεις τῆς σωτηρίας, συμφυεῖς ἀλλήλοις καὶ ἀδιαίρετοι· πίστις μὲν γὰρ τελειῦται διὰ βαπτίσματος· βάπτισμα δὲ βεβαιῦται διὰ τῆς πίστεως· i. e. *Fides ac Baptiſma duo ſunt modi parandæ ſalutis, inter ſe cognati & inſeparabiles. Nam Fides perficitur per Baptiſmum, Baptiſmus verò fundamento Fidei nititur.* Et mox in ipſo fine capitis: καὶ

Tom. 1. p. 473. *Edit.* Paris. 1638

Tom. 2. p. 410.

Tom. 2. p. 316.

προάγει μὲν ὁμολογία πρὸς τὴν σωτηρίαν εἰσάγουσα· ἀκολουθεῖ δὲ τὸ βάπτισμα βεβαιοῦν ἡμῶν τὴν συγκατάθεσιν· i. e. *Ac præcedit quidem profeſſio ad ſalutem introducens, ſequitur autem Baptiſma conſenſum noſtrum obſignans.* Ac ſanè neceſſitas Baptiſmi, eorúmque quæ ad Baptiſmum diſponunt, ad Remiſſionem peccatorum conſequendum, quæ paſſim in Sacris Scripturis celebratur, atque in Scriptis Veterum ferè utramque facit paginam, argumentum præbet, quod ſolum ſufficiat funditùs evertendo Solifidianiſmo iſti, quem multi tum Sacris Scripturis, tum Patrum teſtimoniis aſtruere conati ſunt; utì egregiè docuit doctiſſimus & pientiſſimus *Th rndicius* noſter ὁ μαγειτης in Scriptis ſuis paſſim. Namque hinc apparet Fidem per ſe non ſufficere ad Juſtificationem obtinendum; ſed requiri præterea externum Baptiſmum, ubi haberi poteſt; omnino verò neceſſariò requiri ſponſionem illam novæ vitæ, quæ per Baptiſmum fieri ſolet. Hoc *Petrus* clarè nos docet, 1 Epiſt. cap. 3. v. 21. ἡμᾶς σώζει βάπτισμα, οὐ σαρκὸς ἀπόθεσις ῥύπου, ἀλλὰ συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα εἰς Θεὸν δι' ἀναστάσεως Ἰησοῦ Χριστοῦ. Ubi συνειδήσεως ἀγαθῆς ἐπερώτημα à doctis Interpretibus optimè vertitur, *ſponſio*, ſive *ſtipulatio bonæ conſcientiæ*, atque idem ſignificat, quod συγκατάθεσις apud *Baſilium*. Nimirum in Baptiſmo interrogabat Epiſcopus, Ἀποτάσῃ τῷ Σατανᾷ, reſpondebat baptizandus Ἀποτάσομαι. Rurſùm interrogatus Συντάσσῃ τῷ Χριστῷ, reſpondebat συντάσσομαι. Hanc *ſponſionem ſalutis* vocat *Tertullianus* de Baptiſmo. Idem de Reſur. carn. dixit, *anima enim non lavatione, ſed reſponſione ſancitur.* Cyprianus *interrogationem Baptiſmi* vocat Epiſt. 80. & 76. Jam huic bonæ conſcientiæ ſtipulationi diſertè à *Petro* tribuitur ſalus, quæ baptiſmate confertur, nempe Remiſſio peccatorum & jus ad vitam æternam, non ipſi externæ ablutioni. Quippe ſine hac ſtipulatione (quæ ſanè nihil aliud eſt quàm univerſi Chriſtianiſmi, ſive Legis Evangelicæ, etiam quâ parte crucem tolli jubet, ſuſceptio) nemo quâviſcunque Fide præditus, Remiſſionem peccatorum & jus ad vitam æternam obtinere poteſt; ſed iſti Baptiſmi effectus nequaquam abſolutè ſuſpenduntur exteriori Sacramenti ceremoniâ, utpote quâ, aliquâ rerum humanarum περίστασει, prohiberi poſſit is, qui ſincerum intra animum Chriſtianiſmum conceperit. Sed à *Baſilio* ad alios Patres tranſeamus.

10. Suc-

10. Succedat *Ambroſius*, ſive Author Commentariorum, qui *Ambroſio* tribuuntur. Is ad *Rom.* 3. v. 24. hæc annotat: *Juſtificati ſunt gratis, quia nihil operantes, neque vicem reddentes, ſolâ Fide juſtificati ſunt dono Dei.* Sed manifeſtum eſt, Fidem ab ipſo opponi non Operibus ullis ex Fide profectis, nedum internis Virtutibus Spei, Contritionis, &c. ſed Operibus Legis *Moſaicæ*, vel etiam Operibus Naturæ ante & citra Fidem & Gratiam Evangelii præſtitis. De prioris generis Operibus diſertè loquitur ad ejuſdem capitis v. 27, 28, 29. *Redditâ ratione*, inquit, *ad eos loquitur qui agunt ſub Lege, quòd ſine cauſa glorientur blandientes ſibi de Lege, & propter quod genus ſint* Abrahæ, *videntes non juſtificari hominem apud Deum, niſi per Fidem.* Arbitramur enim juſtificari hominem per Fidem ſine Operibus Legis. *Gentilem dicit hominem pro certo haberi, quòd juſtificetur credens, nulla faciens Opera Legis, id eſt, ſine Circumciſione, aut Neomeniis, aut Veneratione Sabbathi, &c.*

De utriſque, nempe, tum Legis *Moſaicæ*, tum Naturalis Operibus conjunctim mox agit ad cap. 4. v. 2. *Quia qui Legem*, inquit, *ſervant ſive* Moyſi, *ſive Naturæ, juſtificantur ad præſens, nec rei in præſenti judicio, ideò ait, ex Operibus Legis ſi* Abraham *juſtificatus eſt, non habet apud Deum gloriam; quia qui fecerit*, inquit, *Legem vivet in ea; id eſt, non morietur ut reus, nec tamen meritum ex hoc habebit apud Deum, ſed Fidei causâ.* Hinc idem Author alibi, nempe, ad 1 *Cor.* 13. v. 2, 3. diſertè docet, Fidem abſque Charitate *ad meritum non proficere*, hoc eſt, Juſtificationem ac Salutem non impetrare; addita hâc ratione, *quia caput Religionis Charitas eſt, & qui caput non habet, vitam non habet*; & mox, *ſine Charitate nihil prodeſt, quia fundamentum Religionis Charitas eſt.*

11. Audiatur jam *Chryſoſtomus*. Is ſermone de Fide & Lege ità loquitur: *Sine Operibus fidelem poſſum oſtendere & vitâ & regno donatum. Nemo ſine Fide vixit. At Latro tantùm credens juſtificatus eſt. Nec mihi dicas, tempus rectè vivendi non habuit; neque enim id eſt de quo diſputo: ſed hoc apertum feci, Fidem etiam per ſe ſolam ſervare. Nam certè ſi ſupervixiſſet Fidei, & operari neglexiſſet, excidiſſet à Salute.* Verùm loqui hîc *Chryſoſtomum* de Fide vera & interna Charitate formata, oppoſita externis Operibus, ſive piis factis, quæ

fidelis tempore & occaſione intercluſus, exercere nonnunquam non poſſit, ex ipſis verbis ſatis manifeſtum eſt, & aliquot argumentis jam demonſtravi *Harm. Apoſt. Diſſert. poſter.* cap. 18. per totum: quò, nè actum agam, Lectorem remitto.

11. Agmen claudat ipſe *Auguſtinus*, (cujus unius, ut ut Doctoris eximii, ſententiam univerſæ Antiquitatis, ubi ab ipſo diverſum ſentiat, judicio mirâ temeritate præponit D. *Tullius*) qui alicubi quidem (nempe 83. quæſt. q. 76.) ità ſcribit: *Siquis cùm crediderit, mox de hac vita deceſſerit, Juſtificatio Fidei manet cum illo: nec præcedentibus bonis Operibus, quia non merito ad illam, ſed gratiâ pervenit, nec conſequentibus, quia in hac vita eſſe non ſinitur.* Sed palàm eſt, per bona Opera præcedentia, quæ hîc excludit *Auguſtinus*, intelligi Opera bona, Cognitionem, Fidem & Gratiam Evangelii prævenientia, quæ ſanè nulla ſunt; per conſequentia verò bona Opera voluiſſe *Auguſtinum* Opera externa, vel actualem (ut loquuntur) Juſtitiam, ſive ſanctam converſationem, quam fieri poteſt ut quis verè fidelis & Deum amans non præſtet, utpote morte præventus. Etenim expreſsè agit *Auguſtinus* de Operibus, abſque quibus poſſit homo ſalutem conſequi; atqui ſine internis Operibus Spei, Charitatis, Contritionis, *&c.* ad ſalutem & vitam æternam neminem poſſe pervenire, *Auguſtinus* milliès docuit, & apud ſanos omnes in confeſſo eſt.

Juſt. Paulin. p. 13, & 14.

Itaque loquitur manifeſtè *Auguſtinus* de Fide Charitate formata. Ac profectò peſſimè cauſæ ſuæ conſuluit D. *Tullius Auguſtini* imprimis judicio appellando, quo nemo Veterum ejus ſententiam ſæpiùs, aut apertiùs damnaverit. In *Examine* jam notavi, ſanctiſſimum Patrem (Tract. 29. in *Joan.*) hæc tria diſtinxiſſe, *credere Deo, credere Deum*, & *credere in Deum*, & huic poſtremæ tantummodo Fidei Remiſſionem peccatorum, ac jus ad Salutem (Juſtificationis vocabulo abſtineo, quòd illud ab *Auguſtino*, aliter quàm à nobis fit, plerumque uſurpari notum ſit) tribuiſſe; Fidem autem in Deum ſic explicâſſe; *Quid eſt ergò credere in Deum? credendo amare, credendo diligere, credendo in Deum ire, & ejus membris incorporari.* Atque hanc fuiſſe conſtantem *Auguſtini* doctrinam, norunt omnes, qui in ejus Scriptis verſati ſunt.

Reſp. ad Animadverſ. 13. *Sect.* 15.

Imò

Imò integrum Librum ſcripſit Pater optimus *de Fide & Operibus*, in quo eorum errorem ex profeſſo impugnat, qui docerent, Fidem per ſe ſufficere, abſque Pœnitentia, ad ſalutares Baptiſmi effectus, nempe Remiſſionem peccatorum, & jus ad vitam æternam percipiendum. Operæ verò pretium eſt audire, & quomodo *Auguſtinus* libri iſtius inſtitutum ipſe explicaverit, & quid in ipſo libro hac de re expreſsè docuerit. De Libri inſtituto ſic ipſe ſcribit lib. 2. *Retract.* cap. 38. *Interea miſſa ſunt mihi à quibuſdam fratribus laicis quidem, ſed divinorum eloquiorum ſtudioſis ſcripta nonnulla, quæ ità diſtinguerent à bonis Operibus Chriſtianam Fidem, ut ſine hac non poſſe, ſine illis autem poſſe perveniri ſuaderetur ad æternam vitam. Quibus reſpondens Librum ſcripſi, cujus nomen eſt de Fide & Operibus. In quo diſputavi, non ſolùm quemadmodum vivere debeant Gratiâ Dei regenerati, verùm etiam quales ad lavacrum Regenerationis admitti.* In ipſo Libro Solifidianos iſtos multis argumentis obruit, prolixè oſtendens, neminem Remiſſionem peccatorum ac Salutem in Baptiſmo conſequi poſſe, per ſolam Fidem, abſque vera de peccatis pœnitentia. Summam verò Libri habes cap. 20. *Tom. 4. p.* ubi integrum methodum Remiſſionis & Salutis obtinendæ, *33.* in Evangelio propoſitam, ità pulchrè deſcribit *Auguſtinus*: *iſte curationis ordo eſt, ut baptizandi credant in Deum Patrem, & Filium, & Spiritum Sanctum eo ritu quo Symbolum traditur; & à mortuis operibus agant pœnitentiam, omniùmque ſe omnino præteritorum Remiſſionem in Baptiſmo accepturos eſſe non dubitent: non ut peccare liceat, ſed ut peccâſſe non noceat, ut ſit facilis remiſſio, non permiſſio faciendi. Tunc verè dici poteſt, etiam ſpiritualiter*, Ecce ſanus factus es, jam noli peccare.

Concludam hanc Sectionem ipſis D. *Tullii* verbis: *De Patribus, ut puto, ſatis habent adverſarii, plura, ſi opus eſſet, habituri. Pergamus jam ad Eccleſias Reformatas.*

SECTIO V.

ad Cap. 3. *de Eccleſiæ* Anglicanæ *judicio.*

1. IN hoc capite mirum in modum tragœdias agit D. *Tullius*, exclamat, vociferatur, intonat, & mox triumphat, inſultat victo *Harmoniſtæ*, oſtentat trophæa, canit pæana, quum nondum ad aciem noſtram pervenerit. Obteſtor verò candidum Lectorem, ut ſeriò relegat quæ de Eccleſiæ *Anglicanæ* in hâc quæſtione ſententiâ fusè diſſerimus, *Harm. Apoſt. diſſert. poſter. cap.* 18. §. 6. *& ſeqq. & Exam. cenſ. reſponſ. ad* 23. *Animadv.* facilè indè perſpecturus, quàm fruſtra ille hanc tantam verborum copiam profuderit. Certè apud prudentiores haud neceſſe eſt cauſam hîc rursùs dicere. Veruntamen cùm V. R. in hujus capitis argumento præcipuum cauſæ ſuæ ſtatumen collocâſſe videatur, & facile ſit incauto & minùs attento Lectori iſtis verborum præſtigiis falli ac decipi; non pigebit ipſum hîc quoque κατὰ πόδας ſequi.

2. Poſt levem velitationem initio capitis, ita deinceps pugnam conſerit: *Audiatur itaque* (ſcil. Eccleſia *Anglicana*) *de hac circa Juſtificationem perſtrepente nuper controverſiâ; recitetur decretum Art.* 11°. Tantùm propter meritum Domini & Salvatoris noſtri per Fidem, non propter opera & merita noſtra juſti coram Deo reputamur. Quare ſolâ fide nos Juſtificari doctrina eſt ſaluberrima, &c. *Ecquid clarius? ne Sol quidem meridianus.* Verùm cur prope finem articuli, veluti in clivo, (ut in diverbio eſt) ſubſiſtit vir Reverendus? Quin integrum profert decretum? Quare ſuum hîc nobis *& cætera* obtrudit? Certè non longâ morâ aut reſpiratione opus fuiſſet ad pauciſſima verba, quæ articulum claudunt, recitanda; nempe, *ut in Homiliâ de Juſtificatione hominis fuſiùs explicatur.* Sed vidit D. *Tullius*, poſtrema illa verba cauſæ ſuæ ruinam minitari, ideóque ſupprimenda curavit. Nimirum iſti, expreſsè nos remittit Eccleſia noſtra ad Homiliam de Juſtificatione hominis, ut inde ipſius articuli verum & genuinum ſenſum & explicationem petamus; neque aliter hanc

hanc doctrinam, *ſolâ nos fide Juſtificari*, tanquam ſaluberrimam filiis ſuis commendat, quàm *ut in Homil. de Juſtif. hominis fuſiùs explicatur.* Adii Homiliam, fuſiorem illam articuli explicationem ipſiſſimis Homiliæ verbis recitavi, demum quàm ex animo iſti explicationi ſubſcribam, omnibus teſtatus ſum. Cur ad iſta omnia filet & ne γϱῦ quidem reſpondet V.R.? Iſtæne artes hominem probum & veri amantem decent?

3. Cæterùm mox ne prorsùs iniquè nobiſcum egiſſe videretur, permittit nos D. *Tullius* ad Homilias ire; verùm non ad fuſiorem illam explicationem, quæ, tanquam genuina, plena, ac perfecta articuli ſententia, ab Authore Homiliæ ex profeſſo proponitur, quámque ipſe in *Harmoniâ* integrè atque ad verbum tranſcripſeram; ſed ad Homiliæ quaſdam lacinias, eáſque haud bonâ fide ab ipſo verſas, ſuíſque adeò interpretamentis miſerè depravatas. Sic enim primùm Harmoniæ Authorem ex Homiliâ adoritur: *Conſulamus-itaque (de quâ totus ille, unde neſcio, ſilet) Homil. 1. de ſalute Gen. Human. ſub finem.* Fides, *inquit Eccleſia*, pœnitentiam, ſpem, &c. non ita excludit, quin in omni homine Juſtificato cum eâ conſocientur, excludit tamen à Juſtificandi munere. *Nihil diſertius. Hîc ſcil. altum Harmoniſtæ filentium; qui ſi locum animadverti-, ſilentio ſuffocare haudquaquam debuit.* Ad quæ reſpondeo: Si antehac neſcivit V. R. unde *Harmoniſta* de primâ parte Homiliæ totus ſiluerit, jam ſciat, in cauſâ fuiſſe, quòd in iſta parte non tam fusè & ex profeſſo agatur de particulâ excluſiva *ſolâ*, & quo ſenſu rectè dicatur, *Juſtificari hominem ſolâ fide*, de quo tantùm quæſtio movebatur in illo *Harmoniæ* capite, ubi homiliam citaverit *Harmoniſta*. Nam in primâ Homiliæ parte docet Author, tria omnino ad Juſtificationem hominis neceſſariò concurrere, nempe, ex parte Dei Patris, meram & miram ejus gratiam & miſericordiam; ex parte Chriſti, mortem ejus, & ſacrificium meritorium; deniq; ex parte hominis, veram ac vivam fidem. Quod poſtremum cùm Author in primâ illâ parte leviter admodum propè finem perſtrinxerat, in partibus duabus ſequentibus, imprimis verò ſecundâ, prolixè & operosè explicat; quin & tam accuratè & ſolliciтè, ut nullus jam de genuinâ ſententiâ hujus propoſitionis, *ſolâ fide juſtificamur*,

(nili

(niſi Sophiſtis, & qui λογομαχίαις delectantur) reſtet dubitandi locus. Itaque ſi candori, ut præ ſe fert, ſtuduiſſet D. *Tullius*, certè laudare potiùs, quàm in ſuſpicionem vocare debuit integritatem & ſimplicitatem meam, qui angulos non quæſiverim, neque verba Homiliæ carptim protulerim; ſed ea loca appellaverim, ubi Author Homiliæ ſe mentem ac ſententiam ſuam de hâc quæſtione, dilucidè, plenè, ac perfectè aperuiſſe, palam profitetur. Utinam pari candore uſus fuiſſet V.R. Verùm neſcio ſanè, unde ille de tam prolixâ & diſertiſſimis verbis conceptâ hujus articuli, *ſolâ fide Juſtificamur*, explicatione, à me è ſecundâ Homiliæ parte allatâ, adeò totus ſiluerit; niſi quòd apertam lucem, quam ferre non poterat, refugere ſatius duxerit.

4. Ut ut illud ſit, certè cauſæ meæ à primâ iſtâ Homiliæ parte nihil eſt quod metuam; neque enim mihi conſcius ſum, quicquam me uſpiam ſcripſiſſe, quod ab Authoris ſententiâ, ibi traditâ, vel latum unguem recedat. Ad locum autem à Doctore indè allatum quod attinet, ſanè mirari ſatis nequeo, eum tantopere ab ipſo venditari, qui ſi integrè producatur & fideliter transferatur, apertè contra ipſum faciat. Locus ad verbum ſic habet: *Fides illa* (nempe vera & viva, de quâ verbis proximè præcedentibus dictum fuerat) *non ità excludit pœnitentiam, ſpem, charitatem, reverentiam ac timorem Dei, quin cum fide conjungenda ſint in omni homine, qui Juſtificatur; ſed excludit à Juſtificandi officio, ut quanquam omnia ſimul adſint in eo, qui Juſtificatur, tamen omnia ſimul nequaquam juſtificent. Neque fides excludit juſtitiam bonorum operum noſtrorum, poſteà ex officio erga Deum neceſſariò præſtandorum; (nam obſtrictiſſimi tenemur ad ſerviendum Deo præſtatione bonorum Operum, ab ipſo in S. ſuâ Scripturâ præſcriptorum, per omnem vitam) ſed eatenus excludit, ut nobis nequaquam liceat ea facere in hunc finem, ut eorundem præſtatione juſti conſtituamur. Namque Opera bona omnia, quæ præſtare poſſumus, imperfecta ſunt, ac proinde ad promerendam Juſtificationem noſtram non valent*, &c. Quibus in verbis duo potiſſimùm obſervanda ſunt. 1° Authorem Homiliæ apertè agnoſcere neceſſitatem aliarum virtutum, præter fidem, nempe pœnitentiæ, ſpei, charitatis, timoris divini, quibus diſponatur homo ad Juſtificationis gratiam accipiendam.

Homil. Tom. 1. p. 14, 15.

Non

Non enim dicit tantùm virtutes illas cum fide *conjunctas*, ſed *conjungendas* eſſe in omni homine, qui Juſtificatur; (*Ang.* to be joined with faith in every man that is Juſtified, quod peſſimè vertit D. *Tullius*, *quin in omni homine Juſtificato cum eâ conſocientur*) qui loquendi modus neceſſitatem illam manifeſtè indicat. Quod inde adhuc manifeſtius eſt, quòd Author diſtinguens habitualem (ut dici ſolet) Juſtitiam noſtram, virtutibus internis fidei, ſpei, pœnitentiæ, charitatis, &c. conſtantem, ab actuali Juſtitiâ Operum bonorum, ſive factorum conſpicuorum, de priori docet, quòd neceſſariò requiratur in omni homine qui Juſtificatur; de poſteriori, quòd poſteà (nempe poſt Juſtificationem) neceſſariò præſtanda ſit. Nimirum prior Juſtitia requiritur (ut diximus) ad gratiam Juſtificationis accipiendam; poſterior ad eandem gratiam conſervandam. Unde (ut id obiter notem) conſtat apertiſſimè, me genuinam ſententiam Eccleſiæ *Anglicanæ* Art. 12°, ubi docet bona Opera Juſtificationem ſequi, omninò aſſecutum eſſe; qui articulum interpretatus ſim de actuali tantummodò Operum juſtitiâ. Nam in hoc Homiliæ loco apertè diſtinguit Eccleſia illam Operum juſtitiam, quæ poſt Juſtificationem neceſſariò præſtanda ſit, ab internis fidei, pœnitentiæ, ſpei, &c. virtutibus, conjunctim requiſitis in omni homine, qui Juſtificatur. Quomodo autem conſtabit hæc diſtinctio, ſi omnis juſtitia noſtra, tam habitualis, quàm actualis, ſit Juſtificatione poſterior?

Harm. Apoſt. Diſſert. Poſter. cap. 18. ſect. 8.

5. Hiſce commentarii vicem ſupplebit illuſtris locus Theologi perilluſtris *Richardi Hookeri* noſtri (quem alicubi fruſtrà appellat D. *Tullius*) Tract. de Juſtif. n. 21. Ubi vir magnus poſtquam duplicem ſtatuiſſet Chriſtianorum juſtitiam, *alteram extra nos, quam imputatione habemus, in nobis alteram fide, ſpe, charitate aliiſque virtutibus Chriſtianis conſtantem*; deinde diſtribuiſſet *ſanctificantem*, quam vocat, *juſtitiam in habitualem, ſive ſanctimoniam illam, quâ animi noſtri interiùs imbuti ſunt eodem momento, quo templum Spiritûs S. fieri incipiunt*; *& actualem*, ſive *ſanctimoniam illam, quæ poſteà omnes vitæ noſtræ partes & actiones ornat*: deinceps de ordine, quo triplex illa juſtitia, nempe imputata, habitualis & actualis nobis donetur, ſic diſſerit: *Si quæritur, quam ex his primam accipiamus, reſpondeo, Spiritum, Spiritûs virtutes, habitualem*

justitiam insitam, externam Jesu Christi justitiam imputatam, simul, atque eodem temporis momento accipimus; & quandocunque ex his alterutrum habemus, habemus omnia. Veruntamen cùm nemo justificetur, nisi credat, nemo verò credat nisi fide præditus sit, nemo denique fide præditus sit, nisi Spiritum adoptionis acceperit; cùm hæc Justificationem necessariò inferant, & hæc, justificatio necessariò præsupponat; omninò tenendum est, imputatam justitiam, dignitate licèt primam, ordine tamen postremam esse; actualem verò justitiam, hoc est, justitiam bonorum Operum, cætera omnia consequi & ordine & tempore. Quod attentiùs consideratum, liquidò ostendit, quatenus fides verè fidelium à spe & charitate divelli nequeat; quatenus fides, cùm sit pars sanctificationis, ad justificationem tamen necessaria sit; quatenus fides bonis Operibus perficiatur, non Opera nostra absque fide; denique quatenus Patres nostri poterant statuere justificari nos solâ fide, & simul tamen rectè statuere nos absque Operibus nequaquam justificari. Hanc explicationem etiamsi (quod pace tanti viri dixerim) non omni ex parte probem; præsertim quâ Spiritum adoptionis ejusdémque Spiritûs inhabitationem ordine saltem naturæ Justificatione nostrâ priorem facit; (quâ de re repete quæ diximus Sect. 3. n. 4.) tamen afferendam duxi, quòd in summa rei mirè faciat ad illustrandum Homiliæ verba modò citata, & cum Doctoris nostri sententiâ directâ acie pugnet. Nam, 1° Disertè hîc docet *Hookerus*, quanquam actualis Operum justitia sit Justificatione omninò posterior, Justitiam tamen illam, quæ virtutibus internis fidei, spei & charitatis constat, quámque justitiam insitam, habitualem & sanctificantem appellat, ordine naturæ justitiæ imputationem, sive Justificationem nostram antecedere. Planè, quemadmodum in verbis Homiliæ statuitur, bonorum Operum, sive factorum justitiam, post Justificationem necessariò præstandam esse; pœnitentiam verò, spem, charitatem cum fide omninò conjungenda esse in omni homine, qui Justificatur. *Apollo* mihi magnus erit D. *Tullius*, si cum his conciliare valeat doctrinam suam, quâ statuit, Justificari hominem ante veram & salutarem contritionem, Justificari hominem impium dum impius adhuc sit, denique (quod in Catechismo suo tanquam Theologiæ principium juventuti tradit) sanctificationem nostram omnem ordine naturæ Cap. 10.

Justi-

Juſtificatione poſteriorem eſſe. 2° Expreſsè notat vir clariſſimus, hæc duo, Juſtificari hominem ex ſolâ fide abſque Operibus, & abſque Operibus hominem non Juſtificari, nequaquam eſſe pugnantia, ſi diſtinctio illa inter habitualem & actualem Operum Juſtitiam attendatur. Nimirùm rectè dicitur, Juſtificari hominem ex ſolâ fide, nempe charitate formatâ, abſque Operibus, hoc eſt, abſque actuali Operum Juſtitiâ, quippe quæ primam Juſtificationem ſequatur. Contrà rectè dicitur, hominem non ſolâ fide Juſtificari abſque Operibus, nempe internis illis ſpei, charitatis, &c. quippe quæ Juſtificationem hominis ordine ſaltem naturæ præcedant, atque ad ipſam omninò neceſſariò requirantur. Appello Doctoris conſcientiam, annon hanc ipſam articuli explicationem ſæpiùs in *Harmoniâ* diſertis verbis ipſe tradiderim? Sed ad Homiliam redeamus.

6. 2° Alterum, quod in citatis Homiliæ verbis apprimè attendendum Lectori propono, illud eſt, Authorem per *Juſtificandi officium*, quod Operibus adimit, nequaquam intelligere inſtrumentalitatem illam in Juſtificationis negotio, quæ tantopere celebratur à quibuſdam, vel quicquam aliud, quod fidei propriè concedendum ſit; (ut exiſtimâſſe videtur D. *Tullius*) ſed efficientiam Juſtificationis noſtræ ſive principalem, ſive meritoriam, quæ tam fidei ipſi, quàm cæteris virtutibus noſtris pariter detrahenda ſit. Neſcio ſanè, quibus oculis Homiliam lectitaverit V. R., quem obſervatio tam obvia, & ubique ex verbis Homiliæ Lectori ſeſe ingerens, prorsùs fugerit. Nam ex verbis quæ locum citatum, tribus tantummodò lineis interjectis, antecedunt, ſatis apparet, quid ſit, *Opera excludi à Juſtificandi officio*. Verba ſunt: *Gratia Dei non excludit à Juſtificatione noſtra Dei, ſed hominis Juſtitiam, hoc eſt Juſtitiam Operum noſtrorum hactenus, ut eorum merito Juſtificationem noſtram nequaquam promereamur.* In ipſo quoque loco citato verba clara ſunt: *Fides excludit juſtitiam bonorum Operum eatenùs, ut nobis non liceat ea facere in hunc finem ut eorundem præſtatione juſti conſtituamur. Namque Opera bona omnia, quæ præſtare poſſumus, imperfecta ſunt, eóque ad promerendam Juſtificationem noſtram non valent.* Quid, quòd Author Homiliæ parte 2ª *Juſtificandi officium* diſertis verbis detrahit omni virtuti, ſive Operi

nostro, idem soli Deo per Christum tribuens? Audiamus ipsissima ejus verba: *Justificatio*, inquit, *non hominis officium est, sed Dei; hoc est, nequaquam potest homo suis Operibus se justum facere, sive ex parte, sive in totum; (quippe summæ res esset arrogantiæ & præsumptionis, quâ majorem statuere adversùs Deum neque ipse Antichristus possit, affirmare, hominem posse suis Operibus tollere & expiare peccata sua, adeòque seipsum Justificare): sed Justificatio est Dei solius officium*, &c. Lege quæ sequuntur. Quomodo autem, inquies, excludit fides & seipsam & cæteras virtutes nostras à Justificandi officio, hoc est, à meritoriâ Justificationis nostræ efficientiâ? Respondeo, quia fides respectum connotat ad gratuitum Dei promissum, Iesu Christi Domini nostri sanguine & sacrificio propitiatorio impetratum ac sancitum, quo maximis peccatoribus, sed de peccatis suis verè pœnitentiam agentibus, remissio peccatorum & salus æterna propter solum Christum gratis conceditur. Sed hâc de re mox plura.

Homil. tom. 1. p. 17.

7. Pergit D. *Tullius* ad alium Homiliæ locum, quem & ipse in *Harmoniâ* citaveram. Hîc autem mirâ copiâ parique vehementiâ rhetoricatur V. R. Juvenilem Harmoniſtæ ἀζηλίαν satis fastuosè exprobrat, ipsúmque adeò incusat, quòd Ecclesiæ *Anglicanæ* in os obloquatur: obstupescere se totum profitetur: conqueritur professionem Ecclesiæ affingi, quæ nusquam, nisi in Archivis forsan Eutopianis, reperiatur: ait denique ab Ecclesiâ filiísque ejus genuinis omninò hîc dicendum, quod olim *Cæsar* dixit in Senatu mox jugulandus, *profectò ea vis est*. Verùm iterum obtestor Lectorem, ut istis verborum μορμολυκείοις neutiquam perterritus, ad rem ipsam præsenti animo attendat, visurus quàm hîc, ut solet, de re nihili tantas ille tragœdias excitaverit. Ut verò res tota clariùs eluceſcat, repetenda sunt hîc nonnulla quæ in *Harmonia* jam attuli. Locum ibi adduxeram ex Homil. *de Salute*, Hom. par. 3. qui sic ad verbum habet: *Verum quidem est opera nostra nequaquam nos justificare, si de Justificatione propriè loquimur, hoc est, non mereri remissionem peccatorum nostrorum, neque ex injustis nos justos facere in conspectu Dei; sed Deum ex infinita ipsius misericordia per meritum tantùm filii sui Jesu Christi nos justificare. Nihilominus quia*

Justif. Paulin. p. 22, 23.

Differt. Poster. p. 332, 333. Homil. tom. 1. p. 18, 19.

Fides

Fides rectà nos ad Chriſtum ablegat, ad veniam peccatorum conſequendum noſtrorum; quódque per Fidem à Deo nobis datam; promiſſum miſericordiæ divinæ remiſſioniſque peccatorum noſtrorum amplectamur; (quod nulla alia ex virtutibus aut operibus noſtris propriè facit) ideò dicere ſolet Scriptura, Fidem abſque operibus juſtificare. Citato Homiliæ loco hæc mea ſubjicio: *Ex quibus verbis clarè elucet, quid ſummum illud ſit, quod in negotio Juſtificationis, ex Eccleſiæ noſtræ ſententiâ, fidei diſtinctè tribuendum ſit; nempe quòd licèt cæteræ virtutes non minùs neceſſariæ ſint ad hominis Juſtificationem, quàm ipſa fides, ac fides propriè nihilo plus agat in iſto negotio, quàm alia virtus; quia tamen fides ex omnibus virtutibus una promiſſum amplectitur Evangelicum, quo Juſtificamur, ideò non incommodâ locutione ipſi ſoli Juſtificatio noſtra tribui poſſit ac debeat; viz. per Metonymiam quandam, quâ actus ponitur pro objecto, circa quod verſatur.* Audi jam, quid ad hæc D. *Tullius*. *Quis*, inquit, *ad iſta totus non obſtupeſcit, cùm Eccleſiam audit centies, idque terminis terminantibus, contrà definientem? Statuit nimirum Eccleſia (neque verbis potuit evidentioribus) fidem ideò Juſtificari dictam,* quoniam id confert ad Juſtificationem, quod nulla virtus, nullum aliud opus humanum poteſt. Verum quis hîc fidem & candorem à Doctore non deſideret? Ubi enim Homiliæ Author hæc verba habet, quæ tanquam ipſiſſima ejus verba diſtincto charactere imprimenda curavit D. *Tullius*, *quoniam id confert* (nempe fides) *ad Juſtificationem, quod nulla virtus, nullum aliud opus humanum poteſt?* Certè tantum abeſt, ut centies, idque terminis terminantibus, hoc dicat, ut neſemel quidem illud dicat, ex quo hoc per legitimam aliquam conſequentiam deduci poſſit. Imò conſtanter docet, neque fidem, neque aliam quamvis virtutem noſtram quicquam conferre ad Juſtificationem noſtram, aliter quàm per modum diſpoſitionis, ſive conditionis ex parte noſtrâ requiſitæ; quomodo non modò fidem, ſed & pœnitentiam ad Juſtificationem conducere pari conſtantiâ agnoſcit. Ad locum, quem præ manibus habemus, quod attinet, tria ibi docet Homiliæ Author; 1° Nullum opus, ſive virtutem noſtram, nos juſtificare, ſi de juſtificatione propriè loquimur, hoc eſt, non mereri remiſſionem peccatorum noſtrorum, neque ex injuſtis nos juſtos facere in conſpectu

Dei ; 2° Fidem tamen ex omnibus virtutibus unam rectà nos ad Christum ablegare, & gratuitum promissum misericordiæ divinæ amplecti ; 3° Ideo in Scripturis dici, fidem absque Operibus Justificare ; quò nempe meritum omne nostrum à Justificationis negotio excludatur, uti sæpiùs in homiliâ Author ipse rem explicat. An horum alterutrum unquam negavit Harmoniæ Author ? Imò certè hæc omnia agnovit Harm. Apost. Dissert. Poster. cap. 5. §. 5. disertis hisce verbis : *Vocabulum Fidei meritum excludit & hâc ratione, quòd fides, quatenus ad promissionem gratuitam refertur, μισθαποδοσίαν expectat ex solâ gratiâ Dei promittentis. Atque hæc, ni fallor, præcipua causa est, quamobrem Spiritus S. universam, quæ à nobis in Evangelio postulatur, obedientiam fidei nomine soleat exprimere ; nempe ut voce istâ indicetur, obedientiam, quam nos Deo præstamus, non impetrare justitiam, sive salutem, suâ vi aut merito, sed vi pacti, seu promissionis gratuitæ, quæ fide apprehenditur.* Quomodo autem fides ad Christum nos rectà ableget, ibidem docco his verbis : *Quia promissio vitæ æternæ, in Evangelio facta, in meritoriâ Iesu Christi satisfactione fundata sit, ac sanguine ipsius pretiosissimo sancita, ideò fidei obedientia perpetuò respicit ad Christum, tanquam unicum propitiatorem, cujus tam in vitâ, quam in morte perfectissima obedientia sola effecerit, ut imperfecta & languida nostra obedientia Deo ad salutem placeat, vitæque æternæ præmium reportet.* Lege, si vacat, integrum paragraphum. Quòd autem neque hîc, neque alibi usquam instrumentalitatem illam propriè dictam fidei in Justificationis negotio Homiliæ Author cogitaverit, pro quâ multi tam acriter contendunt, satis ostendi Harm. Apost. cap. 18. Dissert. Poster. Quibus omnibus expensis, juveni an seni ἀβασία hîc ascribenda sit, penès cordatum lectorem esto arbitrium. P. 340.

8. Restat tertius atque ultimus Homiliæ locus, à D. *Tullio* contra sententiam nostram productus, ex quo ille fulgura ac tonitrua nobis minitatur. *In ἐγκωμιαστικὸς, inquit, mitissima mater zelo Dei accensa, præter morem, sic intonat, Homil. de Salut. par. 2.* Doctrinam hanc (*i. e. de Justificatione per fidem solam & sine Operibus*) vetusti omnes Ecclesiæ Christi Scriptores approbant. Hæc veram Christi gloriam doctrina illustrem facit, adeóque vanam hominis gloriationem pro-

sternit

ſternit & peſſundat. Eam quiſquis negaverit, (*attend: Lector*) pro homine Chriſtiano non eſt habendus, ſed pro Chriſti ejúſque Evangelii inimico, & humanæ κενοδοξίας mangone. *Quæ hîc verborum fulgura! quæ tonitrua!* Reſp. Quid per ἐγγοστίκτας hîc velit D. *Tullius*, haud ſatis ſcio, ut neque alias nonnullas ejus elegantias capio. Ut ut verò illud ſit, nos iſta fulgura & tonitrua neutiquàm feriunt, utpote quæ à mitiſſimâ matre noſtrâ, juſto ardore & zelo Dei concitatâ, in ſolos meritorum humanorum patronos intententur. Recitemus locum integrè, quem D. *Tullius*, ut inſerviret cauſæ ſuæ, mancum & mutilum nobis exhibuit. *Homil. tom. 1 p. 16, 17*

Effatum hoc, Juſtificari nos fide tantùm, gratis abſque Operibus, dicitur in eum finem, ut tollatur prorsùs meritum omne Operum noſtrorum, quippe quæ nullatenùs poſſint Juſtificationem noſtram à Deo mereri; úique iis verbis planiſſimè exprimatur infirmitas hominis, Deíque bonitas, maxima noſtri ipſorum imbecillitas, Deíque vis ac potentia, imperfectio Operum noſtrorum, Chriſtique Servatoris noſtri gratia exuberantiſſima, itâque meritum Juſtificationis noſtræ Chriſto ſoli ac pretioſiſſimæ ſanguinis ipſius effuſioni in ſolidum deferatur. Hanc fidem nos docet S. Scriptura, hæc firma rupes & fundamentum Chriſtianæ religionis, hanc doctrinam vetuſti omnes Eccleſiæ Chriſti Scriptores approbant; & cætera, quæ à Doctore modò allata ſunt. Sanè nihil manifeſtiùs, quàm his verbis anathemate percuti, atque è Chriſtianorum albo eradi illos tantùm, qui meritum bonorum Operum adſtruunt. Quid hoc ad Harmoniæ Authorem? Scilicet, tantum abeſt, ut is meritum bonorum Operum defendat, ut in meriti patronos eandem planè cum Homiliæ Authore ſententiam tulerit. En verba ejus diſerta Harm. Apoſt. Diſſer. Poſter. cap. 18. §. 4. *Qui Operum meritum adſtruunt, Chriſtianorum nomen haud ſunt meriti. Ac fidenter pronunciare auſim vix ac ne vix quidem gratiam Chriſti ſenſiſſe aut noviſſe, qui horrendam illam opinionem animo penitùs imbiberunt. Animi modeſtia eſt ipſiſſimus Chriſtianiſmi animus, quo quiſquis careat, Chriſtiani cadaver eſt, non verus viviſque Chriſtianus. Quid autem ab hac modeſtia longiùs abhorret, quàm ſuperba iſta meriti præſumptio?* Ex his facilè videbit Lector, quo candore verbis Homiliæ abuſus ſit D. *Tullius* ad ſuum adverſarium anathemate Eccleſiæ *Anglicanæ* opprimendum.

9. Per-

9. Percurri tandem loca omnia, quæ D. *Tullius* ex homiliâ de salute hominis (postquam omnes, ut videtur, ejus angulos diligentissimè rimatus esset) pro suâ contra nostram articuli explicationem proferre potuit. Jam locis loca conferantur, nempe loca Homiliæ multa, clara, ac diserta, quæ ipse in *Harmonia* & *Examine* allegavi integra & sincera, cum paucis illis, quæ manca, mutila, & suis commentis manifestè depravata attulit D. *Tullius*; ac demum æquo cuivis arbitro lubentissimus permisero judicandum, utri articuli interpretationi, nostræ an illius, album calculum adjecerit Homiliæ Author, ad quem ut legitimum sui Interpretem expressè nos remittit ipse articulus. Ego sanè non possum non mirari summam Doctoris fiduciam, post levem adeò pugnam, seu velitationem potiùs tam infœliciter peractam, triumphum sibi ita decernentis, *satis, ut opinor, supérque constat de Ecclesiâ* Anglicanâ, *quòd* ἐργοδικαίωσιν *omnem* (nempe etiam illam, quam nos defendimus) *suffragio suo non modò haud juvet, sed penitus execretur.*

10. Priùs autem quàm ad reliqua hujus capitis pergamus, visum est nostram articuli explicationem, quam testimoniis ex Homiliâ petitis æquo Lectori jam satis probavimus, insuper doctissimi cujusdam probatissimíque è nostratibus Theologi (qui & diu ante vicennium illud, quod novatæ apud nos doctrinæ Ecclesiasticæ æram statuit D. *Tullius*, scriptis suis illustris fuit) authoritate ac suffragio munire: ne quis ipsam, cum aliunde nequeat refutare, novitatis premat invidiâ. Is est dignissimus quondam *Glocestriæ* nostræ Decanus *Richardus Fieldus*, acris judicii & multæ lectionis Theologus, qui in appendice ad librum 3. de Ecclesiâ cap. 11. postquam Pontificiis nobis objicientibus, doctrinam illam nostram, hominem ex solâ fide, sive absque Operibus Justificari, respondisset eandem doctrinam eâdem verborum formulâ etiam à veteribus tradi; pergit inquirere, quo sensu tum veteres, tum neoterici Theologi ista intellexerint: *Hujusmodi loquendi phrasibus*, inquit, 1° *quandoque excludunt quicquid à nobis fieri possit absque supernaturali cognitione & veri Christianismi notitiâ.* 2° *Quandoque necessitatem bonorum Operum in actu, sive exercitio, hoc est, bonorum Operum externorum.* 3° *Vim naturæ absque illuminatione & gratiâ.* 4° *Vim legis.* 5° *Quicquid*

Justif. Paul. p. 26.

P. 323, 324.

quid in nobis reperiri poteſt, quod ad id ſufficiat, ut in judicio atque examine (divino) *ſtemus intrepidi abſque metu condemnationis. Atque hôc ſenſu ſola Fides juſtificare dicitur, hoc eſt, ſola Dei miſericordia & meritum Chriſti Fide apprehenſum: ut eorum hoc loquendi genus uſurpantium mens ſit, ſe aliter in judicio conſiſtere non poſſe, abſque condemnationis metu, quàm hâc perſuaſione & firmâ fiduciâ fretos, acceptum ſe iri apud Deum propter Chriſtum. Atque hoc ſenſu theologi omnes, quos ſuprà allegavimus, ut oſtenderemus, omnem inhærentem noſtram juſtitiam inſufficientem eſſe, ac debere nos in ſolâ Dei miſericordiâ & Chriſti merito fiduciam collocare, juxtà nobiſcum docent, ſolam fidem juſtificare. Nimirum neque illi, neque nos excludimus à Juſtificationis opere vel actionem Dei, ut ſupremæ & principalis cauſæ Juſtificationis noſtræ; quippe is eſt, qui peccata remittit, nóſque gratos & acceptos ad ſalutem habet; vel Chriſti meritum, utpote cujus intuitu propenſus reddatur Deus ad miſericordiam nobis exhibendum; vel remiſſionem peccatorum, gratioſam acceptationem, & donum juſtitiæ, unde formaliter Juſtificamur; vel denique Opera gratiæ prævenientis, quâ ex generali fidei apprehenſione in nobis operatur Deus ſtatûs noſtri prioris improbationem, & deſiderium cum ipſo pacem ineundi, remiſſionis peccatorum præteritorum obtinendæ, ac gratiam accipiendi, quâ in poſterum iſtiuſmodi peccata evitare, & oppoſita iiſdem bona Opera præſtare valeamus. Nimirum hiſce actibus præparamur, diſponimur atque idonei reddimur ad Juſtificationem recipiendum, neque abſque his quiſquam Juſtificatur. Atque hoc ſenſu Patres aliique dicunt quandoque, nos ſolâ fide nequaquàm Juſtificari, quo nempe ſignificent iſtos actus in nobis neceſſariò prærequiri. Conſentimus autem omnes, noſtram ad Deum converſionem, ſive renovationem, quam in nobis experimur, nequaquam illud eſſe, quo freti ſtare in judicio poſſimus intrepidi, aut quicquam boni à Deo expectare, niſi quatenùs indè cognoſcimus, nos eo modo diſpoſitos atque affectos eſſe, quomodo ut diſponamur, ad Juſtificationem neceſſariò requiritur, eóque perſuaſum habemus, Deum nos ex miſericordia ſua propter Chriſtum in gratiam recepturum.*

11. Certè hæc Articuli explicatio omni ex parte reſpondet interpretationi noſtræ, in *Harmonia* traditæ; cum ſen-

tentia verò Doctoris nullo modo quadrat. Nam 1°. Opera bona, quæ hâc Propoſitione, Solâ Fide abſque Operibus juſtificamur, excludi voluit vir doctiſſimus, ad hæc quinque omnino capita ab ipſo reducuntur: 1. Opera abſque externa Evangelii revelatione facta; 2. Opera externa ſive actualem Operum juſtitiam; 3. Opera Naturæ abſque interna Evangelii Gratia præſtita; 4. Opera Legis, nempe *Moſaicæ*; 5. denique Opera meritoria, hoc eſt, quæ fiunt cum fiducia & opinione meriti. Rogo verò Doctorem, ut locum proferat, ubi *Harmoniæ* Author, ullis ex his Operibus primam Juſtificationem tribuerit. Imò hæc Opera omnia à Juſtificatione illa prima ſæpiùs ac ſatis diſertè excluſit. 2°. Expreſsè docet, ſenſum ac mentem noſtrorum, iſtiuſmodi loquendi genus uſurpantium, hanc omnino eſſe, nullam in nobis eſſe virtutem, ſive bonum opus, quo freti ſtare poſſumus in judicio divino intrepidi, abſque Dei miſericordia & Chriſti Servatoris merito: ac proinde Theologos illos omnes, qui agnoſcunt, omnem inhærentem noſtram Juſtitiam inſufficientem eſſe, ac debere nos in ſola Dei miſericordia & Chriſti merito fiduciam collocare, idem planè cum ipſis docere, nempe, *ſolam Fidem juſtificare*. Hæc verò illa ipſa eſt Articuli explicatio, quam nos propugnamus; ſed D. *Tullius* ut non plenam ſive ſufficientem rejicit. 3°. Cauſam Juſtificationis formalem conſtituit in Remiſſione peccatorum & acceptatione ad Salutem, non (ut D. *Tullius*) in Juſtitiæ Chriſti imputatione. Nimirum intellexerat perſpicacis ingenii Theologus, Juſtitiam Chriſti, quam priùs cum Catholicis omnibus ſtatuerat cauſam Juſtificationis noſtræ προκαταρκτικὴν meritoriam, non potuiſſe ſimul ſtatui cauſam ejuſdem formalem ſine ſpiſſa abſurditate adeóque manifeſta contradictione. Nam cauſa meritoria eſt in genere efficientis, quæ eſt cauſa tantùm externa; cauſa vero formalis interna eſt, & eſſentiam effecti conſtituit; itaque ut eadem res ſimul ſit cauſa meritoria & formalis ejuſdem effecti, contradictionem implicat; quia ſic ſimul de eſſentia effecti foret & non foret. Hinc eſt quòd vir doctus in eodem capite ex *Durando* expreſsè docet, Juſtitiam Chriſti noſtram fieri non formaliter, (quam formalem Imputationem non ſine gravi cauſæ reformatæ detrimento contra *Bellarminum* defendere

P. 291.

Juſtif. Paulin. p. 91.

ſendere conatur D. *Tullius*) ſed *effectivè* tantùm, hoc eſt, quod ad ſalutares ejuſdem fructus & effectus attinet. Verba ejus ſunt: *Namque ut* Durandus *rectè notat*; *quanquam alterius Merita & bona Opera non poſſint alteri ità imputari, ut pro ejus meritis habeantur, aut is meruiſſe, & bona illa Opera præſtitiſſe cenſeatur*; *poſſunt tamen ità communicari, ut eorundem fructus & emolumentum ad ipſum redundet, iſque alterius gratiâ eo loco habeatur, quaſi ipſe illa præſtitiſſet.*——— 4°. Expreſsè docet vir doctiſſimus, hâc propoſitione, Solâ Fide juſtificamur abſque Operibus, neutiquam à Juſtificatione prima excludi Opera Gratiæ prævenientis, nempe veram de peccatis contritionem, ardens favoris divini deſiderium, & ſimul Gratiæ Spiritûs Sancti, quâ in poſterum à peccatis abſtinere & bona Opera præſtare valeamus; quod deſiderium novæ vitæ propoſitum neceſſariò præſupponit; quæ Opera *Converſionis* ſive *Renovationis* nomine in Scripturis veniunt: ſed iſta omnia omnino in homine neceſſariò prærequiri, ut iiſdem diſponatur, præparetur, atque idoneus reddatur ad Juſtificationis Gratiam accipiendum. Jam cum his conferatur D. *Tullii* Theologia ſtatuentis, verum Contritionem ad Juſtificationem non eſſe neceſſariam, hominem impium juſtificari ſenſu compoſito dum impius adhuc ſit, nihil virtutis aut operis humani ad Juſtificationem hominis requiri, magìs quàm ad hominem jam natum ut naſcatur, &c. fiat, inquam, hæc collatio, & mox apparebit, quantùm diſtent *Myſorum* & *Phrygum* termini. 5°. Denique fatetur eximius Theologus, hoc ſenſu rectè à Patribus aliiſque quandoque dictum eſſe, non ſolâ Fide hominem juſtificari: quòd ſcil. cum Fide neceſſariò requirantur Opera illa Gratiæ prævenientis, quæ ſub Converſionis nomine comprehenduntur, ad Juſtificationem etiam primam obtinendum. Jam Doctoris conſcientiam appello, an unquam ipſe alio ſenſu negârim, hominem ſolâ Fide juſtificari.

12. Quæ deinceps in hoc capite ſequuntur, à D. *Tullio* declamatorio more effuſa, de Regia declaratione Articulis noſtris præfixa, de Canone Eccleſiæ, de Subſcriptionibus & Juramentis noſtris totiès repetitis; ea tum demùm ad nos pertinere fatebimur, cùm evicerit ille, quicquam nos docuiſſe unquam, quod claræ alicui Eccleſiæ noſtræ definitioni

adverſetur. Quod cùm nondum præſtiterit, neque unquam (ſat ſcio) præſtiturus ſit, non eſt quòd iſtis, μάλα πραγικῶς licèt ab ipſo dictis, quicquam moveamur. Optârim verò ex animo, ut Vir Rever. cùm de ſuis dogmatibus in judicium venerit, tam facilè ſeipſum à judicio abſolvat. Illud autem neutiquam prætereundum cenſeo, quod D. *Tullius* Novatorum ſuorum nonnullis objicit, nempe doceri ab illis contra Articulum Eccleſiæ noſtræ 18. ipſis Ethnicis ſine omni in Chriſtum Fide, etiam idolis non abnuntiatis, ad cœlum patere aditum; addens ſe hîc *nota loqui*. Certè enim quod tanquam lippis & tonſoribus notum prædicat, fateor mihi antehàc inauditum eſſe. Neque tanti apud me aut eſt, aut eſſe debet (ut liberè dicam) Doctoris authoritas, ut nudæ ejus aſſeverationi facilè credam, quenquam ex iis, qui ſe filios Eccleſiæ *Anglicanæ* etiam obſequentiſſimos dici volunt, (de his ſcil. diſertè loquitur) tam crudam aſſertionem vel pro concione, vel ſcriptis unquam effutiviſſe. Si quis verò ità inſaniit, pro ſe reſpondeat; nolim ego ejus ὑπεραπιστὴς fieri. Me enim quod attinet, quàm procul abſim ab iſta ſententia, ſatis liquet ex iis, quæ in *Appendice ad Exam. Animadverſ.* 17. Theſ. 3. diſputavi. Cæterùm cùm D. *Tullio* viſum ſit, & hîc & alibi extra limites præſentis Controverſiæ excurrere, non eſt quòd ægrè ferat, ſi idem ipſi faciamus; præter ea, quæ ſuper Juſtificationis Articulo heterodoxa docuit, etiam alia quædam ejus placita haud ſatis probata ad Examen revocantes: Id quod faciemus Sectione ſeptimâ: interim quid de præſenti quæſtione doceant Eccleſiæ Reformatæ exteræ proximo in loco diſpiciendum.

Juſtif. Paulin. p. 25,26.

SECTIO

SECTIO VI.

ad Cap. 4. *De Eccleſiarum exterarum, quæ Reformatæ audiunt, judicio.*

1. AIT hîc D. *Tullius*, mirandam eſſe Harmoniſtæ παῤῥησίαν, (in capitis Elencho manifeſtam calumniam dixerat) qui Diſſert. 1. cap. 6. rotundè & quaſi ex tripode de Eccleſiarum exterarum judicio pronuntiaverit his verbis: *Certum eſt eas omnes, vel ſaltem earum primas à noſtris partibus veluti ex profeſſo ſtare.* Et mox exclamat, *proh fidem iterum!* Deinde *Harmoniſtæ*, ut ſolet, inſultat. Sed de fide hîc Harmoniſtæ, omnibus, quibus fides cordi ſit, liberum judicium permiſerimus. Duo affirmamus, 1 Sententiam iſtam, *ſolâ fide Juſtificamur*, ſenſu veterum Proteſtantium figuratè omnino accipiendam eſſe, ita ut in fidei nomine gratia, quæ ei ex adverſo reſpondet, intelligatur, atque idem ſit ſolâ fide juſtificari, quod ſolâ gratiâ, non ex Operum merito juſtificari: 2. Eâdem ſententiâ, neceſſitatem veræ reſipiſcentiæ, ad remiſſionem peccatorum, ſive juſtificationem obtinendum nequaquam excludi. Conſtanter aſſerimus, de his duobus (quæ nobis ſufficiunt) conſentire omninò nobiſcum Confeſſionem Reformatarum ſaltem primas ac nobiliſſimas. Hæc aſſertio noſtra eſt.

2. Jam, omiſſis D. *Tullii* rhetoricationibus, quæ ad fallendos tantùm rudes, ſciolos, & incautos (ipſius hîc uti verbis liceat) comparatæ ſunt; videamus, quid contrà ab ipſo ſolidi afferatur. Sic pergit: *Verùm hoc ſe pleniùs demonſtrare dicit cap.* 18. *Quid autem eò loci demonſtratur?* 1° *ſcil. Eccleſiam* Anglicanam *ipſi favere. Sed opinor, me calumniam iſtam (parùm ſanè verecundam, utinâmque rei indignitas mollius aliquod pateretur vocabulum) capite præcedente diluiſſe.* Verùm uter hîc inverecundæ calumniæ (ſiquidem rei indignitas haud aliud mollius patiatur vocabulum) reus ſit, Harmoniſta, an ipſe D. *Tullius*, judicet, quiſquis, quæ tum in capite iſto 18° Diſſert. Poſter. tum in Examine, Reſponſ. ad ult. Animadverſ. tum denique in hujus Apologiæ

Juſt. Paul. p. 179.

Juſt. Paul. p. 29.

giæ ſectione proximè præcedente, hâc de re à nobis jam dicta ſunt; quæque mox in ſectione ſequenti dicentur; cum iis, quæ contrà attulit D. *Tullius* in capite libri ſui tertio, ſeriò conferre haud gravabitur.

3. Hinc ad Confeſſionem *Auguſtanam* feſtinat D. *Tullius*. Ubi primùm id in me reprehendit, quòd confeſſionem illam omnium Reformatarum nobiliſſimam, ne exceptâ quidem noſtra *Anglicanâ*, appellaverim. Quid dictum tam innocens, quod malevolentia & livor non carpat? Quod ego dixi, idem ante me dixerunt multi viri docti tùm noſtrates, tùm exteri, qui noſtram alioquin Eccleſiam multis nominibus ſummo in honore habuêre. Confeſſio autem *Auguſtana* omnium nobiliſſima meritò dicitur non unâ de causâ. Primùm (ut de optimo atque eruditiſſimo ejus Authore præcipuo *Philippo Melanthone* nihil dicam) omnium prima fuit. Deinde, quo tempore ederetur, communi Eccleſiarum, Academiarum, Doctorum Reformatorum, penè, ſi non planè, omnium ſuffragio comprobata fuit. Denique in regnis aliquot & maximis principatibus civitatibúſque liberis hodiéque obtinet, ac recepta eſt. Præterea illud Doctorem malè habet, quòd dixerim, primos Eccleſiæ noſtræ proceres confeſſionem illam ſecutos ſive imitatos fuiſſe. Sed quid hoc manifeſtius? Articulus confeſſionis noſtræ primus ex primo *Auguſtanæ* penè ad verbum deſumptus eſt. Articulus noſter ſecundus ex tertio *Auguſtano* manifeſtè deſcribitur. Item articulus confeſſionis noſtræ 16 (qui maximè urit Doctorem, eóſque qui cum ipſo ſentiunt) anathematiſmos articuli undecimi *Auguſtani*, propè finem, apertè imitatur: ut 25 noſter *Auguſtanum* articulum 13. Jam verò in Homiliis noſtris quotiès attentus lector, in ſcriptis *Melanthonis* verſatus, ipſum audiat loquentem? Quibus adjicias, quod mox ad oculum monſtraturus ſum, Beatiſſimum *Hooperum* (qui Synodo illi interfuit, unde articuli noſtri & Homiliarum tomus primus prodiêre, quémque authorem omninò ſibi vendicant quædam homiliæ noſtræ, ipſius ſtylo exaratæ) pericopas benè longas ex *Philippi* ſcriptis penè ad verbum tranſcribere ſolitum fuiſſe. Doctoris autem ſive judicium ſive ſinceritatem ibi deſidero, ubi ſcribit, *ſe Auguſtanæ confeſſioni valdè Orthodoxæ nil detractum cupere.* Sanè enim

Juſt. Paul. ubi ſupra.

Juſt. Paul. p. 30.

enim ſi confeſſioni *Auguſtanæ*, ut valdè orthodoxæ, nihil detractum velit D. *Tullius*, nonnulla ipſius catechiſmo omninò detrahenda ſunt; quippe quæ confeſſioni *Auguſtanæ* (ut & *Anglicanæ*) manifeſtè repugnent: quod mox in Sectione ſequenti clarè oſtendetur.

4. Interim cum Doctore progrediamur. *Quid verò*, inquit ille, *iſta ſua ſtatuit omnium nobiliſſima confeſſio? nimirùm ſi illi credimus, pœnitentiam omninò neceſſariam eſſe ad Juſtificationem.* Grave profectò crimen meum, qui tam pernicioſam ſententiam (quæ nempe à Prophetis, à Chriſto, ab Apoſtolis, ab omnibus Eccleſiæ veteris Catholicæ Doctoribus, ab omnibus denique ſanioribus Proteſtantibus aſſeritur) auſus fuerim *Auguſtanis* Patribus affingere. Et tamen eò confidentiæ proceſſit D. *Tullius*, ut non vereatur cauſæ ſuæ fortunam omnem hîc oppignerare. Verba ejus ſunt: *Proferatur in confeſſione vel unum ἰῶτα eò* (nempè ad probandum veram contritionem omninò neceſſariam eſſe ad juſtificationem) *ſpectans, & victàs dabimus manus.* Quis faciliorem ſibi optârit adverſarium? Conditionem accipimus, certam nobis victoriam ſpondentes. Proferatur locus *Auguſtanæ* confeſſionis (quem in Harmoniâ brevitati ſtudens ex parte tantùm citavi) integer, & mox apparebit, quàm manifeſtus ſit cauſæ ſuæ proditor D. *Tullius*. Verba ſunt: *Primùm igitur de fide & Juſtificatione ſic docent. Chriſtus aptè complexus eſt ſummam Evangelii, cùm Lucæ ultimo, jubet prædicari in nomine ſuo pœnitentiam & remiſſionem peccatorum. Nam Evangelium arguit peccata, & requirit pœnitentiam, & ſimul offert remiſſionem peccatorum propter Chriſtum, gratis, non propter noſtram dignitatem. Et ſicut univerſalis eſt pœnitentiæ prædicatio, ita & promiſſio gratiæ univerſalis eſt, & omnes credere jubet & accipere beneficium Chriſti, ſicut Chriſtus inquit, Venite ad me omnes, qui onerati eſtis. Et Paulus ait, Dives eſt in omnes*, &c. *Quanquam igitur contritio aliqua, ſeu pœnitentia neceſſaria eſt, tamen ſentiendum eſt donari nobis remiſſionem peccatorum, & fieri nos ex injuſtis juſtos, id eſt, reconciliatos ſeu acceptos & filios Dei gratis, propter Chriſtum, non propter dignitatem contritionis, aut aliorum Operum præcedentium aut ſequentium.* Fruſtrà ſanè eſt D. *Tullius*, qui contendit, agi hîc de pœnitentiâ non ſalutifera,

Juſt. Paul. ubi ſupra.

Juſt. Paul. p. 31.

Auguſt. Confeſſ. art. 21. de fide.

ferâ, qualis erat Judæ proditoris. Quid enim? An pœnitentia, qualis Judæ erat, ad ſalutem hominis neceſſaria eſt? Prætereà neceſſitatem pœnitentiæ, de quâ loquitur, colligit *Auguſtana* confeſſio ex verbis Domini noſtri Lucæ ultimo, quibus jubet, *prædicare in nomine ſuo pœnitentiam & remiſſionem peccatorum.* Quid? An loquitur ibidem Servator de pœnitentiâ pœnitendâ, qualis Judæ erat? An huic pœnitentiæ remiſſio peccatorum annectitur? Pudet me, Doctoris causâ, talis commenti. Audiamus porrò articulum confeſſionis *Auguſtanæ* quartum, qui ſic habet: *Ut autem conſequamur hæc beneficia Chriſti, ſcil. remiſſionem peccatorum, Juſtificationem & vitam æternam, dedit Chriſtus Evangelium, in quo hæc beneficia promittuntur, ſicut ſcriptum eſt Lucæ ultimo, prædicari pœnitentiam in nomine ejus, & remiſſionem peccatorum inter omnes gentes. Cùm enim omnes homines naturali modo propagati habeant peccatum, nec poſſint verè legi Dei ſatisfacere, Evangelium arguit peccata, & oſtendit nobis Mediatorem Chriſtum, & ſic nos docet de remiſſione peccatorum. Cùm Evangelium arguit peccata noſtra, corda perterrefacta ſtatuere debent, quòd gratis nobis propter Chriſtum donentur remiſſio peccatorum, & Juſtificatio per Fidem, quâ credere & confiteri debemus, hæc nobis donari propter Chriſtum, qui pro nobis factus eſt hoſtia, & placavit patrem. Quanquam igitur Evangelium requirit pœnitentiam, tamen ut remiſſio peccatorum certa ſit, docet eam gratis donari, hoc eſt, non pendere ex conditione dignitatis noſtræ, nec dari propter ulla præcedentia Opera, aut dignitatem ſequentium.* Ubi ſatis manifeſtè docetur, pœnitentiam illam, quæ Evangelio requiritur, (quæ dubio procul non alia eſt, quàm vera & ſalutaris) ad remiſſionem peccatorum, ſive Juſtificationem hominis requiri.

5. Interim non mihi latet, *Auguſtanos* pœnitentiam in duas patres, contritionem nempe & fidem, ſubtiliùs diſtribuiſſe, & priorem illum pœnitentiæ actum aliter, quàm à Theologis prioribus factum fuerat, explicâſſe. Nimirum hoc dudùm notavit *Caſſander* in Conſultatione ſuâ his verbis: *Quod ſubjicitur in libro confeſſionis* Auguſtanæ, *conſtare hanc pœnitentiam contritione & fide, quam ſequi debeant fructus digni pœnitentiâ, in hac pœnitentiæ partitione hoc novum eſt quòd*

Ad art. 12. apud *Grot.* via ad pac. p. 92.

quòd fides pœnitentiæ partibus adjungitur prætermiſſâ confeſſione, & contritioni poſtponitur; idque ideò fit, quòd contritionis notio præter receptam Eccleſiæ ſententiam explicatur. Non enim contritionis nomine intelliguntur terrores, ſeu horrores incuſſi conſcientiæ agnito peccato, ſed ex his terroribus contritio naſcitur. Contritionis autem nomine intelligunt dolorem de peccato propter offenſam Dei cum propoſito abſtinendi, qui dolor gratiâ Dei informatus, & non modò ex terrore divini judicii, ſed ex fide divini verbi, & fiduciâ conſequendæ veniæ profectus ſit. Si autem contritionis nomine qualiſcunque dolor de admiſſo peccato ex terrore legis incuſſus intelligatur, talis dolor cùm veram & ſalutarem pœnitentiam antecedat, inter pœnitentiæ partes non ſolet nominari, & attritionis potiùs quàm contritionis nomine vocari conſuevit. Quamvis & hujuſmodi contritio pœnitentiæ quoque ſeu reſipiſcentiæ nomine ſignificatur, cui, ut ſalutaris & efficax ſit, fidem ſive fiduciam miſericordiæ accedere debere neceſſe eſt, ut exempla Cain & Judæ *manifeſtè declarant.*

6. Nihilominùs certum eſt, docuiſſe *Auguſtanos*, contritionem illam, quæ per Fidem vera & ſalutaris efficitur, quâ nempe verum peccati odium, juſtitiæ amorem, & firmum novæ vitæ propoſitum concipimus, omninò neceſſariam eſſe, ad remiſſionem peccatorum, ſive Juſtificationem obtinendum. Quis mentem & ſenſum *Auguſtanæ* confeſſionis penitiùs intellexerit, quàm *Melanthon*, qui ipſam compoſuit? Audiamus itaque ipſum totam hanc doctrinam liquidò explicantem his verbis: *Ad contritionem Judæ non acceſſit fides, ideò oppreſſus terroribus, ruit in æternum exitium: è contrà ad contritionem* Petri *acceſſit fides, ideò revixit ex ſuis ingentibus doloribus. Et cùm fide erigimur, accedit agnitio benignitatis Dei, & non tantùm metu pœnarum angimur, ſed etiam puriore dolore quòd Deum offenderimus, cui debetur obedientia & gratitudo. Sed non eſt opus hos affectus ſubtiliter divellere. Vult Deus iram ſuam metui, & hanc in pœnis vult conſpici. Accedat autem & fides, nec fugiamus Deum, ſed ad eum redeamus, petamus nos recipi, & ſtatuamus æternam & immutabilem Dei voluntatem eſſe, quod velit recipere perterrefactos, qui credunt ſibi ignoſci propter Mediatorem. Hoc præcipit nobis certò credere & ſtatuere. Hæc fides illuſtre diſcrimen facit inter timorem ſervilem & filialem. Timor ſervilis eſt pavor ſine fide, & reipſâ*

Loc. Theol. de fide Corp. Chriſt. doctrin. p. 335, 336.

fugit Deum. Sed timor filialis est pavor, ad quem accedit fides, quæ inter pavores erigit & consolatur animum, & accedit ad Deum, petit & accipit remissionem. He descriptiones sunt planæ, & in exercitiis nostris intelligi possunt. Contritio sine fide est horribilis pavor, & dolor animi fugientis Deum, ut in Saule, Judâ. *Quare non est bonum opus. Sed contritio cum fide, pavor & dolor est animi non fugientis Deum, sed agnoscentis justam iram Dei, & verè dolentis, quòd neglexerit aut contempserit Deum, & accedentis tamen ad Deum, & petentis veniam. Talis dolor sit bonum opus & sacrificium, ut loquitur Psalmus: Sacrificium Deo Spiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum, Deus, non despicies. Et tamen necesse est taxari & abjici opinionem, quæ finxit homines contritione mereri remissionem peccatorum, seu dari remissionem propter dignitatem contritionis*, &c. Quid clarius? Necessitatem veræ contritionis, ad Justificationem accipiendum apertè agnoscit; meritum verò contritionis in Justificationis negotio omninò rejicit.

7. Hinc verò facilè solvuntur minuta illa Sophismata, quibus mox persuadere nobis conatur D. *Tullius*, *Augustanos* (non obstante sententiæ suæ manifestâ illâ declaratione ab ipsis traditâ) nequaquam voluisse, veram contritionem Justificationem antecedere. Eorum hæc summa est: Fructus & effecta fidei non antecedunt Justificationem, quia sic antecederent ipsam fidem, & sic effectus esset prior causâ. At verò pœnitentia & contritio, juxta ipsos *Augustanos* sunt effecta & fructus fidei. Resp. Docent quidem *Augustani* veram pœnitentiam & contritionem effecta & fructus esse fidei illius, quæ justificat; sed & haud minùs apertè docent fidem non esse Justificam donec fructus & effecta illa pariat. Hoc manifestum est ex verbis illis *Melanthonis*: *Timor filialis est pavor, ad quem accedit fides, quæ inter pavores erigit & consolatur animum, & accedit ad Deum, petit & accipit remissionem.* Animadverte: Timor fit filialis accedente fide; per eam fidem accedit peccator ad Deum, petit remissionem, atque ita demùm remissionem, hoc est, Justificationem accipit. Itaque licèt juxta *Augustanos* accessio ad Deum, & petitio veniæ nempe sincera & ardens (quæ veram pœnitentiam constituunt) effecta sint fidei illius, quæ justificat; tamen

Just. Paul. p. 31, 32.

remis-

remiſſionem peccàtorum, ſive Juſtificationem antecedunt, neque abſque iis remiſſio illa, ſive juſtificatio accipitur. Idem ſignificatur iſtis verbis: *Contritio cum fide pavor & dolor eſt animi non fugientis Deum, ſed agnoſcentis juſtam iram Dei, & verè dolentis quòd neglexerit aut contempſerit Deum, & accedentis tamen ad Deum, & petentis veniam: talis dolor ſit bonum opus & ſacrificium*, &c. Quid clarius? Contritio ante fidem eſt dolor fugientis Deum, ſed accedente fide fit dolor agnoſcentis juſtam iram Dei, & verè dolentis, & accedentis ad Deum, & petentis veniam: itáque fit ſacrificium illud, de quo Pſalmiſta loquitur, *Sacrificium Deo Spiritus contribulatus; cor contritum & humiliatum, Deus, non deſpicies.* Ut verbo igitur dicam, Ex mente *Auguſtanorum* vera contritio ſive pœnitentia non eſt effectus fidei juſtificæ, quà talis, ſed ad ipſam ejus eſſentiam pertinet; hoc eſt, fides non eſt juſtifica, quæ veram contritionem, ſive pœnitentiam nondum produxerit.

8. Ad confeſſionem *Wittenbergicam* à nobis citatam pergit D. *Tullius*. *Ejuſdem quoque commatis eſt*, inquit, *quod ex confeſſione* Wittenbergicâ *urgetur, tam ſanè infœliciter, ut adverſarii cauſam nihil lethalius feriat, ſub quintâ quaſi coſtâ. Audiantur verba cap. de Juſtificatione.* Credimus quòd ad faciendam & exercendam juſtitiam, neceſſariæ ſunt hæ virtutes, fides, ſpes & charitas, *&c. Adverte ad faciendam & exercendam juſtitiam, i. e. alia bona Opera, non enim dicit ad Juſtificationem: nam hominem facere & exercere Juſtificationem ſuam ne ruſticiſſimæ quidem ſuſtinebunt aures.* Sed Doctoris fidem in recitandis aliorum dictis ubique deſideramus. Verba *Wittenbergicæ* confeſſionis hæc ſunt: *Credimus & confitemur, quòd ad faciendam & exercendam juſtitiam Deo gratam neceſſariæ ſunt hæ virtutes, fides, ſpes & charitas*, &c. Quorum verborum ſenſus manifeſtus eſt, neminem ſine his virtutibus, fide, ſpe & charitate, Deo gratum, nempe ad ſalutem, eſſe poſſe: quod quid aliud, quæſo, eſt, quàm neminem ſine his virtutibus juſtificari? Deinde *Wittenbergici* ſpem & charitatem in eodem neceſſitatis genere collocant cum fide. At fidem ad juſtificationem hominis requiri, nemo dubitat, quin agnoverint. Denique, manifeſtum eſt, neceſſitatem harum virtutum, fidei, ſpei & charitatis

Juſt. Paul. p. 33.

agnosci ab *Wittenbergicis* eodem respectu, quo eorundem meritum ab ipsis negatur. At meritum, quod hisce virtutibus detrahunt, justificationis negotium respicit, ergo, *&c.* Verba clara sunt: *Credimus & confitemur, quòd ad faciendam & exercendam justitiam Deo gratam, necessariæ sunt hæ virtutes, fides, spes & charitas,* &c. *Sed sentimus à verè Apostolicâ & Catholicâ doctrinâ longissimè abhorrere eorum sententiam, qui docent hominem fieri Deo acceptum & reputari coram Deo justum propter has virtutes, ac in judicio Dei Meritis harum virtutum confidendum esse.* Ridiculum Syllogismum, quem hîc adversario suo affingit D. *Tullius*, nunc non vacat commemorare. Qui istiusmodi facetiis capietur, capiatur.

9. Claudit hoc caput D. *Tullius* citatione multorum testimoniorum ex aliis exterarum Ecclesiarum confessionibus. Ad quæ omnia respondeo: Quanquam nunquam in me receperim, quicquid in quâcunque confessione Reformatâ de hâc quæstione dicitur, præstare; (quippe qui id solùm affirmaverim, confessionum Reformatarum saltem primas ac nobilissimas à nostris partibus stare) tamen quisquis laceris fragmentis à D. *Tullio* citatis non contentus, ipsas confessiones inspexerit, & singularum integram de hac quæstione sententiam expenderit; mecum fatebitur, eas ad unam omnes meritum quidem virtutis cujuscunque nostræ à Justificationis negotio rejicere; necessitatem verò pœnitentiæ veræ ad justificationem obtinendam palàm agnoscere: quod nobis sufficit. Si qua verò esset Reformata confessio, quæ isti sententiæ repugnaret, rejicienda proculdubio esset, ut Scripturis & Catholico consensui hâc ex parte contraria.

10. Cæterùm illud neutiquam prætereundum est, à D. *Tullio* pro se citari Argentinensem confessionem, quâ nulla magis ejus sententiæ adversatur. De illâ autem confessione notat ipse, subscripsisse illi *Constantiæ*, *Alemmingæ* & *Lindaviæ* civitates; prætereáque oblatam eam fuisse unà cum *Augustanâ Cæsareæ* Majestati ipsi nominatim; eóque nomine cautiùs & temperatiùs (si quid in hâc controversiâ urgeret scrupuli) contexi oportuisse. Jam audiamus illustris hujus confessionis verba cap. 4. *Nolumus autem hæc* (nempe

Just. Paul. p. 35, 36.

(nempè quæ proximè dicta fuerant de Juſtificatione ex ſolâ fide) *ſic intelligi, quaſi ſalutem ac juſtitiam in ignavis animi cogitationibus, fidéve Charitate deſtitutâ, quam informem vocant, ponamus: quandoquidem certi ſumus, neminem juſtum aut ſalvum fieri poſſe, nìſi amet ſummè Deum & imitetur ſtudioſiſſimè. Nam quos præſcivit, eoſdem & præfinivit conformes fieri imagini filii ſui, ſanè ſicut in gloriâ vitæ beatæ, ita & in cultu innocentiæ, conſummatæque juſtitiæ, figmentum enim ipſius ſumus, conditi ad bona Opera. Atqui Deum ante omnia amare, dignóque ſtudio æmulari, niſi qui eum planè noverit, & de quo ſibi quæque optima polliceatur, poteſt nemo. Juſtificari ergo, hoc eſt, ut juſti, ita ſalvi evadere; juſtitia enim ipſa noſtra ſalus eſt; aliter prorſus nequimus, quàm ſi fide cum primis donemur, quâ Evangelio credentes, eóque perſuaſi Deum nos in filios adoptâſſe, paternámque benevolentiam in ſempiternum nobis exhibiturum eſſe, toti ab ipſius nutu pendeamus. Hanc fidem vocat D.* Auguſtinus *libro de fide & operibus, Evangelicam, efficacem videlicet per dilectionem.*

Tria hîc manifeſtè docet *Argentinenſis* confeſſio. 1. Juſtitiæ, ſive Juſtificationis, & ſalutis eandem eſſe rationem, Juſtificari eſſe, ut juſtum ita ſalvum evadere, imò juſtitiam eſſe ipſam noſtram ſalutem; proinde quicquid ad ſalutem requiritur, ad juſtitiam pariter requiri. 2. Charitatem illam, quâ quis Deum ſummè, ſive ante omnia, amet, ad juſtitiam ac ſalutem hominis prorsùs neceſſariò requiri. 3. Ex neceſſitate dilectionis, conſequi, fidem etiam ad juſtitiam & ſalutem hominis neceſſariam eſſe; quippe ſine fidè illa, qua perſuaſi ſumus de benevolentiâ Divinâ in Evangelio patefactâ, fieri non poſſe, ut quis Deum ſummè amet. Quid ad hæc D. *Tullius*? Senſum *Argentinenſium* hunc eſſe contendit, *quòd amor ille Dei ſit fructus fidei & ſequens juſtificatum, non antecedens.* Quid verò hâc interpretatione audacius? *Argentinenſes* perſpicuè ſignificant, amorem Dei ante omnia conditionem eſſe neceſſariò ad id requiſitam, ut quis juſtitiam ac ſalutem conſequatur. Non enim dicunt, *neminem juſtum eſſe, niſi amet ſummè Deum*, quæ verba doctoris interpretationem admitterent; ſed *neminem juſtum fieri poſſe, niſi Deum ſummè amet*, quæ ſenſum illum omninò reſpuunt. Deindè pari ratione dicere

potuit D. *Tullius*, *Argentinenſes* voluiſſe, dilectionem Dei eſſe ſalutis conſequens, non antecedens; cùm diſertè doceant juſtitiæ ac ſalutis humanæ eandem prorsùs rationem eſſe. Præterea pari ratione dici poteſt, etiam fidem, juxta *Argentinenſes*, juſtitiæ ac ſalutis eſſe conſequens, non antecedens. Nam fidei neceſſitatem ad juſtitiam ac ſalutem conſequendum concludunt (uti modò notavimus) ex neceſſitate dilectionis ad idem beneficium obtinendum. Quippe hoc quaſi ſyllogiſmo rem ſuam conficiunt: Si dilectio Dei ſuper omnia omninò neceſſaria ſit ad juſtitiam ſive ſalutem apiſcendam, tum & fides ad idem neceſſaria eſt; at verum eſt antecedens, ergo & conſequens. Conſequentiam majoris hâc ratione probant, quòd ſine fide dilectio Dei in homine exiſtere non poſſit. Res manifeſta eſt. Denique expreſsè dicunt *Argentinenſes*, non poſſe nos aliter Juſtificari, ſive juſtos evadere, quàm ſi fide donemur cum primis, quâ toti à Dei nutu pendeamus, hoc eſt, prompti ac parati ſimus ad obſequendum Deo in omnibus. Ex uno autem hoc ſpecimine conjecturam capiat prudens Lector, quatenus D. *Tullii* ſive judicio, ſive candori, in citandis & exponendis cæteris confeſſionibus Reformatis fidendum ſit.

SECTIO

SECTIO VII.

Epilogum continens ad Sectiones præcedentes.

1. FAteor, mihi, D. *Tullii* tria præcedentia legenti capita, illud Poetæ in mentem veniſſe, *quis tulerit Gracchos*, &c. Nimirum V.R., qui tantâ vehementiâ in nos immerentes (utì jam liquet) invehitur, tanquam doctrinæ Eccleſiaſticæ depravatores, in nonnullis ipſe reverà deprehenditur, claris Eccleſiæ *Anglicanæ*, aliarúmque Reformatarum, adeóque Catholicæ definitionibus repugnâſſe. Huic rei demonſtrandæ ſectionem hanc integram (quam benè longam fore auguramur) impendemus. Hoc autem non eo facimus tantùm conſilio, ut vicem Doctori rependamus; (parùm illud eſſet) ſed quòd Operæ pretium exiſtimavimus, datâ hâc occaſione, antiquam, veram, genuinam & catholicam Eccleſiæ noſtræ doctrinam, (jam temporum iniquitate penè deperditam) in quibuſdam Chriſtianæ religionis capitibus, quæ maximi momenti ſunt, aſſerere & illuſtrare.

2. Primùm apertè docet D. *Tullius*, *pœnitentiam, ſeu veram de peccatis contritionem, nullatenùs ad primam Juſtificationem obtinendam eſſe neceſſariam.* Illud jam ſæpiùs notavimus, & loca ſimul indicavimus, ubi ille hanc propoſitionem (pudendam ſanè & Eccleſiæ *Anglicanæ* Theologo indignam) expreſsè tradit, quin & argumentando propugnat. Quàm autem hîc manifeſtè D. *Tullius* S. Scripturis, Veteris Eccleſiæ patribus, exterarum Eccleſiarum Reformatarum confeſſionibus bellum indicat, omnibus jam ſuprà palàm fecimus. Sed & teſtimonia quædam Eccleſiæ noſtræ, huic novitio dogmati clarè ſatis adverſantia, obitèr adduximus. Verùm zelus Sanctam Matrem vindicandi à turpiſſimo errore, quem ipſi parùm ſanè reverenter affinxit D. *Tullius*, me perpulit, ut ejuſdem pleniorem refutationem ex Homiliis & Liturgiâ noſtrâ aggrederer.

3. Extat Homiliarum tomo ſecundo homilia cum hoc titulo,

tulo, *Homilia de resipiſcentiâ & verâ cum Deo reconciliatione.* Ubi ipſe titulus clarè nos docet, reſipiſcentiam veræ cum Deo reconciliationis noſtræ (hæc autem quid aliud, quàm juſtificatio noſtra?) medium, ſive conditionem eſſe prorsùs neceſſariam. In ipſâ verò Homiliâ paſſim affirmat Author, fieri non poſſe ut abſque reſipiſcentiâ Deo placeamus, in gratiam cum ipſo redeamus, atque iram ejus effugiamus. De quali autem reſipiſcentiâ loquatur Homilia, ſi quæritur, multis in locis res iſta clarè explicatur. In primâ parte Homiliæ ex *Joele* propheta oſtendit Author, totum reſipiſcentiæ negotium ad hæc quatuor capita reduci poſſe, 1 à quo, 2 ad quem, 3 per quem, 4 quomodo redire debeamus. Ultimum verò illud explicans ſic loquitur: *Quartò, ſanctus Propheta* Joel *ad vivum exprimit modum hujus redditionis ſive reſipiſcentiæ noſtræ, omnia quæ à nobis ſive interiùs, ſive exteriùs obſervanda ſint, complexus. Primùm vult ut ad Deum redeamus ex toto corde noſtro, eò removens omnem hypocriſim, ne ad nos illud meritò dicatur,* appropinquat mihi populus hic ore ſuo, & labiis me honorat; cor autem eorum procul abeſt à me. *Secundò, poſtulat ſincerum & purum pietatis & veri cultûs divini amorem, hoc eſt, ut abrenunciatis, quæcunque Dei voluntati repugnant, cor noſtrum, & facultates omnes tàm corporis, quàm animi ipſi conſecremus, juxta illud, quod in Lege ſcriptum eſt;* Diliges Deum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex totis viribus tuis. *Scilicet nihil hîc nobis reſiduum eſt, quod mundo dedamus, aut carnis concupiſcentiis. Cùm enim cor ſit fons omnium Operum noſtrorum, neceſſe eſt, ut quotquot ex toto corde ad Dominum convertuntur, ipſi ſoli vivant. Neque enim verè reſipiſcunt, qui animis incerti & fluctuantes, nunc Deo obediunt, mox verò licere ſibi putant, ipſo derelicto, mundo & carni ſervire.* In ſecundâ parte ejuſdem Homiliæ vera reſipiſcentia, ad reconciliationem cum Deo requiſita, ita in genere deſcribitur, quòd ſit *ſincera ad Deum reditio, quâ homo, idololatriâ & malitiâ ſuâ penitùs abdicatâ, vivâ fide amplectitur, amat & colit verum, & vivum Deum ſolum, ſeque devovet omnigenis bonis Operibus, quæ ex Dei verbo, ipſi grata eſſe intellexerit.* Mox Author hujus pœnitentiæ partes enumerat, quas conjunctas componit *breviſcalæ, quâ ex profunda perditionis abyſſo, ad turrim ſalutis æternæ*

P. 259.

P. 264.

facilè

facile conſcendamus. Partes verò pœnitentiæ quatuor conſtituit, nempe, genuinam cordis contritionem, ſinceram peccati confeſſionem, veram in Chriſto Mediatore fiduciam, & firmum novæ vitæ propoſitum. De primâ ex *Davide* docet, quod ſit unicum ſacrificium noſtrum Deo gratum & acceptum. De ſecundâ ex eodem *Davide* oſtendit, Deum confeſ- *P.265.*
ſioni noſtræ, ex corde verè contrito profectæ, omnia peccata gratis condonare. De quartâ denique expreſsè docet, neceſſe omninò eſſe, *ſi iratum Deum nobis propitium habere volumus, ut neutiquam diſſimulemus, ſed ad ipſum convertamur per veram & ſolidam reſipiſcentiam, bonis fructibus, tanquam certiſſimis τεκμηρίοις & ſignis dignoſcendam.* Et mox non ve- *P.269.*
retur dicere, *ſatisfactionem, quam Deus à nobis poſtulat, hanc eſſe, ut à malo ceſſemus, atque id quod bonum eſt, faciamus.* Certè his nihil clarius, nihil diſertius.

4. Ab Homiliis, ad Liturgiam noſtram accedamus. Penè in ipſo ejus initio abſolutionis forma præſcribitur, à Sacerdote in matutinis & veſpertinis precibus quotidiè uſurpanda. *Ibi dicitur, Deum in mandatis dediſſe miniſtris ſuis, ut populo ſuo pœnitenti abſolutionem & peccatorum remiſſionem annuntiarent, ac pronuntiarent: ipſum* (nempe Deum) *ſingulis verè pœnitentibus, & ſancto ejus Evangelio haud fictè credentibus ignoſcere, eóſque abſolvere*, hoc eſt, Juſtificare. Huic gemina eſt abſolutio ante ſacroſanctæ Cœnæ Dominicæ participationem, à Sacerdote ad populum converſo pronuntianda; cujus hæc ſunt verba: *Omnipotens Deus Pater noſter cœleſtis, qui ex ſummâ miſericordiâ peccatorum remiſſionem promiſit iis omnibus, qui* ſerio & ex animo pœnitentes, *cum verâ fide ad eum ſe convertunt, veſtri miſereatur, peccata veſtra vobis omnia condonet, ab iiſque vos liberet*, &c. Feriâ quartâ poſt quinquageſimam, qui dies cinerum vulgò dicitur, adeóque quotidiè per totam Quadrageſimam recitanda præſcribitur hæc Collecta. *Omnipotens & ſempiterne Deus, qui nihil eorum odiſti, quæ condidiſti, qui peccata condonas omnibus reſipiſcentibus, crea & finge in nobis corda nova & contrita, ut peccata noſtra pro meritis lamentantes, & miſeriam noſtram agnoſcentes, à te omnis miſericordiæ Deo, perfectam remiſſionem conſequamur per Jeſum Chriſtum Dominum noſtrum, Amen.*

In officio, quæ Comminatio dicitur, eidem diei Cinerum assignato, jubetur Sacerdos, post recitatas ex Lege adversùs impœnitentes peccatores Dei maledictiones, ità populum affari : *Jam verò cùm maledicti sint omnes, (attestante* Davide *Prophetâ) qui errant & declinant à mandatis Dei, agite, terribilis illius judicii, capitibus nostris imminentis ac semper instantis memores, convertamur ad Dominum nostrum cum omni contritione cordis animique demissione, plangentes ac lamentantes vitam nostram flagitiosam; delicta nostra agnoscentes & confitentes, atque operam dantes, ut fructus feramus dignos pœnitentiâ : jam enim securis ad radicem arboris posita est,* &c. —— *Non abutamur misericordiâ Dei, nos ad resipiscentiam misericorditer invitantis, & pro immensâ clementiâ suâ peccatorum veniam promittentis, modò ad eum ex animo & sincero corde convertamur. Quia si fuerint peccata vestra ut coccinum, quasi nix dealbabuntur,* &c. —— *Convertamur igitur ad eum, qui misericorditer recipit resipiscentes omnes peccatores, persuasum nobis habentes, ipsum paratum esse ad recipiendum nos, & ad ignoscendum nobis, si verè resipiscentes ad eum accedamus; si nosmetipsos ei subjiciamus,* &c.

Sanè in his locis omnibus verba tam diserta sunt, ut neutiquam indigeant nostris vel consequentiarum deductionibus, vel observationibus, quibus clariùs Lectori pateſcat, quàm appositè à nobis allegentur. In tenebris pluſquam Cimmeriis versatur, quisquis ex istis non facilè per se perspexerit, ab Ecclesiâ nostrâ constanter doceri, veram de peccatis contritionem, & totius hominis ad Deum conversionem remissionis peccatorum & acceptationis Divinæ, hoc est, Justificationis obtinendæ conditionem esse prorsus necessariam. Quid multis? Ad Catechismum nostrum ablegandi sunt, qui Elementariam hanc Christianæ religionis doctrinam vel nondum didicere, vel dedidicere. In doctrina de Sacramentis, rogatus puer, *quid ab iis requiratur, qui baptizandi sunt?* ita docetur respondere; *Resipiscentia, quâ peccato abrenuntient, & fides, quâ firmiter credant promissionibus divinis sibi factis in eo Sacramento.* Certè autem qui dicit, non modò fidem sed & pœnitentiam ad gratiam baptismi percipiendum requiri, idem dicit quod is, qui tùm fidem tùm pœnitentiam ad Justificationem requiri affirmat; uti

suprà

ſuprà oſtenſum eſt, & cuivis ſano per ſe liquet. *Sect. 4. n. 9.*

5. Jam ſi quis avet ſcire, quid de hac quæſtione (quàm pudet Chriſtianæ adeóque univerſæ religionis principium à Chriſtiano in quæſtionem vocari!) doceant probati Eccleſiæ noſtræ Theologi; neceſſitatem pœnitentiæ ad remiſſionem peccatorum, ſive juſtificationem obtinendum, omnes uno ore prædicant. Tres hîc citabo teſtes illuſtres, qui non pro ſe tantùm, ſed etiam nomine Theologorum noſtratium adeóque Reformatorum omnium reſpondebunt. Jam audivimus doctiſſimum *Feildum* noſtrum affirmantem, communem eſſe veterum patrum & proteſtantium omnium doctrinam, Opera gratiæ prævenientis, quæ ſub converſionis nomine comprehenduntur, prorsùs neceſſariò in homine requiri, ut iiſdem diſponatur, ac præparetur ad primæ Juſtificationis gratiam recipiendum. Quod & rurſus in eodem capite inſignis idem Theologus expreſſiùs docet; ubi *Stapleton*o Proteſtantibus objicienti, ab iis doceri, Juſtificationem noſtram in ſolâ remiſſione peccatorum per fidem ſitam eſſe, Sacramenta verò nihil ad Juſtificationem conferre, non ſine indignatione aliquâ reſpondet in hæc verba: *Atqui hoc falſum eſt; nam planè aliter docent, nempe, baptiſmum & reſipiſcentiam, etiam ad primam hominis Juſtificationem neceſſariò requiri.* Huic ſuffragatur doctiſſimus *Franciſcus White*, qui in *replicatione ad Fiſherum*, Jeſuitæ noſtris objicienti, quòd Sacramentum pœnitentiæ & Sacerdotalis abſolutionis, medium neceſſarium obtinendæ remiſſionis peccatorum poſt baptiſma commiſſorum, rejiciant, ita primùm reſpondet: *Adverſarius per pœnitentiam, non intelligit pœnitentiam, quatenùs eſt virtus. Nam Proteſtantes credunt, veram pœnitentiam ſecundam eſſe tabulam poſt animarum naufragium, ac medium neceſſarium obtinendæ remiſſionis peccatorum poſt baptiſma commiſſorum.* Quod in margine probat ex *Calvino*, *Bezâ*, ac denique *Zanchio*, cujus hæc citat verba: *Credimus ad veram juſtitiæ Chriſti participationem, eóque ad κοινωνίαν cum Chriſto neceſſariam eſſe pœnitentiam, quâ à peccatis & mundo mutatione animi ac voluntatis averſi, ad Chriſtum convertamur, illi agglutinemur, eóque remiſſionem peccatorum in ipſo & ex ipſo conſequamur.* Eandem doctrinam tuetur clariſſimus *Mortonus* in luculento Opere, cui titulus, *Catholica appellatio pro Proteſtantibus*

Append. ad lib. 3. de Eccleſ. p. 298.

p. 185, 186.

De Relig. c. 18. Theſ. 1.

teſtantibus lib. 5. *c.* 16. *Sect* 3. n. 1. Ubi adverſario ſuo, veterum Hæreticorum ſolifidianiſmum Reformatis exprobranti, poſt alia ſic occurrit: *Poſtulant illi* (nempe Reformati) *vivam fidem & ſeriam pœnitentiam, utpote ſine quibus nemo Juſtificari poſſit.* Illud verò in margine confirmat hâc notatu digniſſimâ ipſius *Bellarmini* confeſſione: *Hæc & ſimilia teſtimonia manifeſtè ſignificant, requiri aliquid in nobis ut Juſtificemur: neque adverſarii hoc negare poſſunt; qui cùm dicant remiſſionem non pendere à conditione Operum, neque pœnitentiam, aut fidem, aut ullum actum noſtrum eſſe cauſam, aut meritum Juſtificationis; tamen non negant requiri fidem & pœnitentiam, & fidem vivam & pœnitentiam ſeriam, & ſine his neminem Juſtificari.* Hiſce teſtimoniis proclive eſſet alia aliorum quàm plurima adjicere, ſi iſtis opus eſſet in re tam manifeſtâ. Sed jam ad alia Doctoris heterodoxa placita progrediamur.

Bel l. 3. *de Juſtif. c.* 6. *Sect. Hæc.*

6. 2° Docet D. *Tullius, continuationem, ſive conſervationem Juſtificationis noſtræ, jam per ſolam fidem adeptæ, neutiquam pendere ex conditione Operum bonorum in poſterum à nobis faciendorum.* Dogma hoc longè periculoſiſſimum ubique in hoc Opere lectori ſuo ſtudiosè ingerit. Nam paſſim aſſerit, Opera omnia, quæcunque Fidem Juſtificam conſequuntur, nihil ad Juſtificationem hominis quicquam conferre poſſe; & prolixè ridet eorum ſtultitiam, qui aliter ſentiunt. Nimirum hâc nititur hypotheſi, jam Juſtificatum non poſſe ampliùs Juſtificari, ſive primam Juſtificationem noſtram abſolutam eſſe; quæ quàm abſurda ſit ſæpius oſtendi. Præterea, (*Juſtif. Paulin. p.*154.) obedientiam mandatis præſtandam, conditionem eſſe omninò Juſtificationis noſtræ apud Deum, expreſsè negat. Et (*p.*169.) quid ſit conditio oſtendit, nempe id eſſe, unde negotii effectus, vel (ut alii) diſpoſitio ſuſpenditur; deinde hunc in modum pergit contra Adverſarios argumentari: *Hinc itaque concidit omnis Juſtificatio, ex Operum conditione ſuſpenſa. Sic enim arguimus, Si bona Opera ſint Juſtificationis* (*quam loquimur*) *conditio, tum ab iis ſuſpenditur Juſtificatio: hoc autem fieri non poteſt, ergo non ſunt conditio Juſtificationis.* Cujus argumenti minorem inde probat, quòd Opera omnia, quæ primam Juſtificationem antecedunt, peccati rationem habeant; quæ verò Opera

Juſti-

Juſtificationem primam conſequuntur, quicquam ad Juſtificationem conferre poſſe, craſſam, ut loquitur, contradictionem ſonet. Imò mox (p. 172, 173.) Opera bona, vel Salutis obtinendæ conditiones eſſe propriè dictas rotundè negat. Verbi ejus ſunt: *Breviter, & quà licet apertiſſimè, negamus Opera (etiam optima) humana potiundæ gloriæ eſſe conditiones propriè dictas; quoniam ante Opera*, i. e. *in ipſa Juſtificatione, jure iſto ad Salutem æternam fruuntur fideles.*

Jam videamus quàm bellè conveniat hæc Doctoris Theologia cum doctrina Eccleſiæ *Anglicanæ* in *Homiliis* & *Articulis* diſertè tradita. In *Homilia* de Salute propè finem partis primæ expreſsè docet Eccleſia (quod & ſuprà notavimus) ex eo quòd Fide, cum internis ſolummodò Spei, Charitatis, Pœnitentiæ, &c. virtutibus conjuncta, prima Juſtificatio obtineatur, nequaquam excludi Juſtitiam Operum poſtea neceſſariò præſtandorum. Qualis verò ſit illa bonorum Operum primam Juſtificationem conſequentium neceſſitas, ſatìs luculenter explicatur *Homil.* de bonis Operibus par. 1. propè finem; ubi Author *Homiliæ* citat, ſuóque calculo comprobat *Chryſoſtomi* de fideli Latrone hæc verba: *Certè ſi ſupervixiſſet Fidei, & bene operari neglexiſſet, excidiſſet à ſalute.* Sed quid multis opus eſt? Eccleſia noſtra in Articulo 16. expreſsè docet, hominem *poſtquam acceperit Spiritum Sanctum, à Gratia data* per peccatum mortale *recedere.* Ut in meridiana luce cæcutiat, neceſſe ſit, qui non videt, ſenſiſſe Eccleſiam noſtram, continuationem, ſive conſervationem Juſtificationis noſtræ omnino pendere ex conditione Operum bonorum in poſterum à nobis præſtandorum; quod tamen Reverendus Antagoniſta præfractè negat. Pergamus. *Homil. tom. 1. p. 15.*

7. 3°. Docet D. *Tullius, non poſſe hominem, qui Fide juſtificâ ſemel imbutus eſt, ab eadem penitùs deficere, atque æternùm perire.* Imò dogma illud (quo ſanè vix aliud perniciosius) tanquam indubitatum Chriſtianiſmi principium, S. Theologiæ candidatis credendum obtrudit in Catechiſmo, ſive *Enchiridio* ſuo *Didactico.* Nam Capite 9. de Fide, poſtquam Fidem quadrifariàm diſtinxerat, nempe in Fidem miraculorum, hiſtoricam, temporaneam & juſtificam; pergit docere, quomodo tres iſtæ Fidei ſpecies priores diſtinguantur à juſtifica-

ſtifica, nempe tum principio tum ſubjecto ſuo. Et de poſteriori illa differentia agens, ità Catechumenum ſuum inſtruit: A. *Dic ſubjecta itidem diverſa.* B. *Fidei juſtificæ eſt homo electus ad vitam, & natus ex Deo; reliqua tum poſſunt eſſe filii perditionis, hypocritæ,* &c. Itaque juxta Doctoris Theologiam, quiſquis Fide juſtificâ ſemel prædituſ eſt, ità ad vitam æternam à Deo eſt electus, ut nunquam poſſit perditionis filius evadere. Ingenuè quidem fateor, D. *Tullium* hujus erroris ſui duces habere Theologos Eccleſiæ noſtræ non paucos neque ignobiles, qui nempe iis temporibus floruere, quibus per hominum quorundam, *Genevenſi* Theologiæ impensè addictorum, artes eò res devenerat, ut vix liceret vel Eccleſiæ noſtræ decreta, vel ipſas etiam Scripturas, aliter, quàm ad amuſſim inſtitutorum *Calvini*, interpretari; quorúmque adeò error ætati, quâ vixêre, condonandus erat. Scilicet unicuique ferè ſeculo, ut optimè dixit non nemo, eſt ſuus quaſi opinionum torrens, cui quicunque ſe oppoſuerit, adverſis judiciis aut abripietur, aut obrueretur. Nec defuere tamen eâ etiam tempeſtate viri docti & graves, in Eccleſia noſtra, qui invaleſcentem errorem auſi fuerint palàm oppugnare. Ut ut verò illa ſunt, certè nullus dubito, quin omnibus, qui inſanabili præjudicio non laborant, facilè perſuaſurus ſim, illud D. *Tullii* placitum (quod tanquam ex tripode fundit) tum Eccleſiæ noſtræ Decretis, tum exterarum Eccleſiarum Reformatarum nobiliorum Confeſſionibus, tum nenique univerſæ Antiquitatis Catholicæ judicio omnino repugnare.

8. Primùm *Angliceanæ* Eccleſiæ ſententia de Perſeverantia, ſatis clarè proponitur Art. 16. his verbis: *Non omne peccatum mortale poſt Baptiſmum voluntariè perpetratum, eſt peccatum in Spiritum Sanctum, & irremiſſibile. Proinde lapſis à Baptiſmo in peccata, locus Pœnitentiæ non eſt negandus. Poſt acceptum Spiritum Sanctum poſſumus à Gratia data recedere atque peccare, denuóque per Gratiam Dei reſurgere ac reſipiſcere: ideóque illi damnandi ſunt, qui ſe quamdiu hîc vivant, amplius non poſſe peccare affirmant, aut verè reſipiſcentibus veniæ locum denegant.* Ubi rectè notat doctiſſimus Præſul *Overallus*, peccatum, per quod dicimur à Gratia data recedere, in principio Articuli mortale peccatum voluntariè perpetratum dici.

Nimi-

Nimirum præcedens Articulus 15. de quotidianis peccatis tractat, quæ omnibus regeneratis communia ſunt, in quibus offendimus omnes, ſalvâ tamen Gratiâ nec ab ea recedentes: Hic autem 16. Articulus de peccato agit mortali, per quod poſt Baptiſmum & Spiritum Sanctum acceptum, à Gratia data receditur, donec per Pœnitentiam reſtitutio fiat. Senſiſſe autem Eccleſiam noſtram, fieri poſſe, ut hic receſſus à Gratia ſit *finalis*, ut dici ſolet, indè non obſcurè colligitur, quòd Articulus manifeſtè loquatur de lapſorum in peccata mortalia reſtitutione per reſipiſcentiam, tanquam de re contingenti, quæ quidem fieri poſſit, ſed & poſſit non fieri: *Poſſumus*, inquit, *à Gratia data recedere, & poſſumus denuò reſurgere & reſipiſcere.* Cui enim ſano atque à ſtudio partium libero veriſimile videbitur, Eccleſiæ noſtræ Patres ità loqui voluiſſe, ſi vel ipſi credidiſſent, vel ab aliis credi voluiſſent, omnium qui ſemel verè fideles fuere, poſtquam per graviora peccata à Gratia receſſerint, certam atque infallibilem fore per pœnitentiam reſtitutionem? Quæ, rogo, Grammatica (ut cum Doctore loquar) hunc ſuſtinebit ſenſum, *poſſumus denuò reſurgere & reſipiſcere*; i. e. certò reſurgemus & reſipiſcemus?

9. Si cui tamen hæc non fecerint ſatis, adeat ille Librum Homiliarum, quæ eodem tempore editæ fuere, quo Articuli noſtri, ejuſdémque Synodi authoritate ſancitæ. Ibi tot locis ac tam diſertis ſententiam ſuam de Fidei juſtificæ deficibilitate tradit Eccleſia noſtra, ut mecum ſæpe miratus fuerim, quomodo fieri potuerit, ut tot viri docti & cordati, quos veriſimile eſt librum *Homiliarum* legiſſe & relegiſſe ſæpiùs, illam ignorarent. Extat Tomo primo integra Homilia *de periculo defectionis à Deo*, cujus hic ſcopus unicus, hoc inſtitutum, ut oſtendatur, poſſe hominem poſt acceptam Gratiam deficere ab eadem & perire; proinde debere omnes à tam horrendæ defectionis periculo ſibi ſedulò cavere. Ejus Homiliæ parte primâ hæ verba legimus: *Sicut enim Deus iis omnibus, qui ipſius Evangelio verè credant, miſericordiæ ſuæ vultum in Chriſto Ieſu oſtendit, quo ut oportet ab ipſis conſpecto, ità eorum corda illuminantur, ut in ipſius imaginem transformentur, lucis cœleſtis & Sancti ipſius Spiritûs participes fiant, atque ad omnem virtutem, quæ filios Dei decet, formentur:* Homil. Tom. 1. p. 54, 55.

tur: Ità ſi ipſi deinceps hæc [beneficia] neglectui habeant, ſi ingrati erga ipſum evadant, ſi vitam ſuam ad ejus exempli & doctrinæ normam, atque ad gloriam ipſius promovendam non inſtituant, auferet ab iis Regnum ſuum, nempe Verbum ſuum ſanctum, quo in ipſos imperium exercere debuerat, quia ſcil. quos expectavit fructus non proferant. Nihilominus ea eſt ejus miſericordia & longanimitas, ut non continuò hanc tantam in nos iram effundat. Verùm cùm à verbo ipſius declinare incipimus, vel Fidem ei non habendo, vel Fidem illam factis n n exprimendo; priùs miſſis ad nos nuntiis ſuis veris Evangelii præconibus, nos de officio noſtro admonet, &c. Deinde ſi hâc ratione nihil effecerit, ſi adhuc verbo & voluntati ipſius immorigeri perſiſtamus, ipſum neque agnoſcentes, neque amantes, neque reverentes, neque in ipſo fiduciam noſtram totam collocantes, ſed contrà erga proximum noſtrum, ſecùs quàm fert Charitas noſmet gerentes, ex ejus contemptu, invidia, odio; ſive etiam homicidium, furtum, ingluviem, fraudem, mendacium, nominis divini per vana juramenta prophanationem, aliáque ejus generis deteſtanda facinora perpetrantes; tum demùm terribilibus minis in nos intonat, in magna ira jurans, qui hujuſmodi Opera faciunt, in requiem ipſius, nempe regnum cœlorum, nunquam ingreſſuros. Ubi Author *Homiliæ* expreſsè loquitur de iis, qui Evangelio verè credunt, ad Dei imaginem transformantur, cœleſtis lucis & Spiritûs Divini participes fiunt, atque ad omnem virtutem, quæ filios Dei decet, formantur. De iiſdem verò haud minùs expreſsè docet, ſi poſt tanta accepta beneficia ingrati erga Deum evaſerint, &c. fore ut ab ipſis regnum ſuum Deus auferat. Fruſtrà autem hîc recurritur ad tritum illud σοφὸν φάσμακον, (quo alicubi in quæſtione non abſimili utitur D. *Tullius*) *nullam ſuppoſitionem ponere aliquid in eſſe; ut v. g. Si* Caius *ſit animal expers rationis brutum erit, neutiquam hoc probat,* Caium *expertem eſſe poſſe rationis.* Nam, primò Author in antecedentibus & conſequentibus, adeóque per totam Homiliam, inſtat auditoribus ſuis, minatur, intonat, eoſdémque ſeriò & mirâ vehementiâ hortatur, obſecrat, obteſtatur per ſacra omnia, ut operam omnem adhibeant, nè à Gratia accepta deficiant, æternúmque pereant: nunquam igitur cogitavit de inſtituenda hîc ſuppoſitione rei impoſſibilis. Certè ridiculus foret adeoque inſanus, qui pluri-

plurimis verbis omníque ſtudio à *Caio* contenderet, ut ſollicitè ſibi caveret; nè aliquando expers rationis factus, brutum (propriè loquendo) evaderet, quam vix ipſa poëſis agnovit metamorphôſim. Deinde verba, quæ citavimus, apertiſſimè ſignificant, & fieri poſſe & non rarò fieri, ut qui per Chriſtum verè regeniti & Fide juſtificâ prædíti fuere, per ingratitudinem & diutinum Gratiæ divinæ contemptum tandem à regno Dei penitùs excidant. Nimirum ipſam methodum Providentiæ, quam erga miſerrimos iſtiuſmodi apoſtatas obſervare ut plurimum ſolet Dominus, accuratè hîc ac veluti per gradus deſcribit *Homiliæ* Author. Nam docet, clementiſſimum Deum in homunciones ingratos extremam ſuam iram non continuò effundere, neque ſe deſerentes mox æternùm deſerere; ſed cuncta priùs tentare remedia, quàm putreſcentia membra à Chriſti corpore prorsùs abſcindat; nempe, eos, cùm primùm à verbo ſuo declinare incípiunt, per nuntios ſuos de officio ſollicitè admonere; deinde, ſi ità nihil apud eos proficiat, ſi hæc illi Gratiæ remedia obſtinatè reſpuant, ipſos tandem tanquam deſperatos & perditos æternùm abjicere, in magna ira ſua jurando, h. e. peremptorio decreto ſtatuendo, nunquam illos in requiem ſuam, in regnum nempe cœleſte ingreſſuros. Certè his nihil clarius, nihil diſertius.

10. In ſecunda parte ejuſdem *Homiliæ* eandem Author doctrinam colligit ex vineæ parabola apud *Eſaiam* his verbis: *Ex his comminationibus admonemur, ſi nos, qui electa ſumus Dei vinea, non uvas, quas ipſe à nobis expectat, ac per nuntios ſuos efflagitat, h. e. bona opera ipſi grata atque accepta, ſed contrà labruſcas, nempe opera infructuoſa ipſique ingrata & diſplicentia, proferamus; fore, ut amoto à nobis ſepimento omni, graviſſima ſinat mala, famem putà, bellum, &c. in nos ingruere: Demùm ſi hæc non ſufficiant, fore ut nos deſolationi ponat, de nobis deſperet, faciem à nobis avertat, neque amplius tanquam vitem ſuam colat; ſed nobis permittat, quoſlibet fructus proferre, ſentes nempe, vepres ac dumos, h. e. omne genus vitia, idque ubertim adeò, ut tandem nos iſta ſuffocent prorsùs perdántque funditùs.* Mox tremendam iſtam Divinæ Providentiæ diſpenſationem hoc ſimili illuſtrat: *Pater*, inquit, *peccantem filium, dum amat, & minaci vultu & verberibus caſtigat:* p. 55, 56.

ſtigat : quòd ſi hâc diſciplinâ non emendetur, eum non amplius punit, ſed ſui eſſe arbitrii permittit ; eo ſignificans, velle ſe exhæreditare ipſum, atque in perpetuum abdicare. Et paulò
p. 57. *poſt ex prædicta parabola ità concionatur : Unde liquet, Deum tandem infrugiferæ vineæ ſuæ curam omnem ità prorsùs abjicere, ut non modò ſinat ipſam labruſcas, ſentes ac vepres proferre, ſed infœcunditatem ejus gravius adhuc puniat. Ait quippe, ſe non putaturum ipſam, aut reſarriturum amplius, quin & nubibus interdicturum, nè demittant in eam pluviam ; quibus ſignificatur ſacroſancti ejus verbi inſtructio, quæ ſimili metaphorâ à* Paulo *dicitur plantatio & irrigatio. Itaque hoc vult, ſe idipſum* (nempe verbum ſuum) *ab eis ablaturum ; ut non amplius ad Regnum ſuum pertineant, non amplius Sancto ſuo Spiritu regantur, ſed à Gratia & beneficiis, quæ per Chriſtum habuerunt, quibuſque in perpetuum frui poterant, arceantur ; luce & vitâ cœleſti, cujus, in Chriſto dum manerent, participes fuere, priventur ; fiant quales aliquando erant, ſine Deo in hoc mundo, vel potius pejori in conditione ſint ; verbo, tradantur in poteſtatem Satanæ, qui regnum obtinet in eis omnibus, qui à Deo abjiciuntur, ut olim in* Saule & Judâ, *atque in eis univerſim, qui ſuæ ſunt concupiſcentiæ mancipia, atque [illegible] & incredulitatis filii. Caveamus igitur (fratres in Chriſto optimi) nè abjiciendo verbum divinum (quo veram in Chriſto Fidem & obtinemus & retinemus) tandem ipſi eatenus abjiciamur, ut in eodem loco ſimus cum filiis contumaciæ.* Fieríne poteſt, ut quis, niſi ultrò atque obſtinatè clauſis oculis, in tanta luce cæcutiat ? Nam primò loquitur apertiſſimè *Homiliæ* Author de Apoſtaſia verè fidelium, eorum nempe, qui priùs ad regnum Chriſti pertinerent, Spiritu Sancto regerentur, iſſque beneficiis à Chriſto donati fuiſſent, quæ conſervata ipſos in perpetuum fœlices reddidiſſent ; quin & in Chriſto aliquandiu manſiſſent, lucis vitæque cœleſtis ab ipſo participes facti. Deinde non minùs apertè loquitur de Apoſtaſia eorundem totali, quâ nempe luce vitâque cœleſti priventur prorsùs ; quâ fiant, quales olim ante converſionem fuerant, quin & deteriori ſint in conditione poſiti ; quâ denique [illegible] prorsùs facti in mundo, ſub Diaboli imperio redigantur. Tum clarè hîc agitur de Apoſtaſia verè fidelium finali, qualis ſcil. eorum, qui tan-

tanquam vinea à Deo prorsùs deſerta ac deſolationi perpetuæ tradita, quam Dominus neque putabit, neque reſarriet ampliùs, facti ſunt; quos non ampliùs recturus ſit Spiritus Sanctus, qui luce Chriſti vitâque cœleſti æternùm non fruentur; qui denique abjiciuntur à Deo, ut *Saul* & *Judas*. Poſtremò meridianâ luce clarius eſt, hæc omnia ab Homiliſta non dici ex inani hypotheſi, ſive ſuppoſitione rei impoſſibilis, vel rei, quæ nunquam evenerit, aut eventura ſit; ſed contra ordinariam hîc diſpenſationem, quam Deus adversùm ſe deferentes reverà obſervare ſoleat, deſcribi. Nam ad rem, de qua agit, verè fidelium ſcil. Apoſtaſiam, accommodat Homiliſta parabolam de vinea apud *Eſaiam*: Ubi conſtat, doceri à Propheta, non quid Deus facturus ſit ex hypotheſi neſcio qua impoſſibili; ſed quid reverà fecerit cum populo Iſraelitico, adeóque facere ſoleat cum iis omnibus, qui eorum ingratitudinem imitentur. Deinde verba iſta, *A Gratia & beneficiis, quæ per Chriſtum habuerunt, quibúſque in perpetuum frui poterant, arceantur*, &c. manifeſtè indicant eſſe reverà aliquos, qui neutiquam in perpetuum fruituri ſunt ſalutaribus Chriſti beneficiis, quæ aliquando acceperant. Porrò ſeriò obteſtatur *Homiliæ* Authorem, Chriſti fideles, ut caveant ſibi, nè abjiciendo verbum Dei, quo ſolo vera Fides conſervari poſſit, tandem ipſi ità penitùs abjiciantur, ut filii contumaciæ ac perditionis fiant. Quàm inepta verò iſta, quàm ridicula, ſi eorum omnium, qui verè fideles ſemel fuere, certa eſſet ſalus! Quis unquam *Calviniſtam* aliquem ità apud populum concionantem audiverit? Denique, exempla hîc adducuntur tremendæ hujus à Deo defectionis *Saul & Judæ*. Ubi ſiquis objiciat, *Saulem* & *Judam* nunquam fuiſſe Gratiâ verè juſtificante donatos, fruſtra erit. Nam ſi contra authoritatem Homiliæ, non levibus rationibus munitam, concederetur hoc verum eſſe, ad rem illud nihil faceret. Quippe id ſolum præſentis noſtri inſtituti eſt, quid Homiliſta ſenſerit, non verò quàm dextrè ex Scripturis ſententiam ſuam probaverit, oſtendere.

Illud tamen apprimè notandum eſt, *Homiliæ* Authorem hîc (ut ferè per totam *Homiliam*) *Melanthonem* ſecutum eſſe, qui paſſim docet, *Saulem* aliquando fuiſſe verè juſtum & Spiritu Sancto donatum. Sic in locis communibus, *titu-*

lo de Pœnitentia : Breviter, inquit, *refutandi ſunt duo errores Fanaticorum hominum, qui finxerunt, renatos non poſſe labi, & quamvis labantur contra conſcientiam, tamen juſtos eſſe. Hæc amentia damnanda eſt, & opponenda exempla & dicta Scripturæ : Ut* Saul & David *placuerunt Deo, fuerunt juſti & donati Spiritu Sancto ; tamen poſtea lapſi ſunt, ità ut alter perierit, alter rursùs ad Deum converſus ſit.* Vide & titulum *de diſcrimine peccati mortalis & venialis.* Certè frontem perfricuit D. *Hickmannus*, cùm negare auſus fuerit, quicquam in iſtò Homiliæ loco contineri, quod contra Fidei juſtificæ indeficibilitatem faciat.

11. Ut verò quàm conſtanter hanc doctrinam tenuerit Eccleſia noſtra omnibus liquidò appareat, locum inſuper illuſtrem è Tomo ſecundo *Homiliarum*, quæ ſub imperio Sereniſſimæ Reginæ *Elizabethæ* editæ, ejuſdémque Authoritate in legitima Cleri noſtri Convocatione confirmatæ fuere, in medium proferam. In *Homilia* de Reſurrectione, Author, poſtquam ſusè diſſerverat de beneficiis, quæ ex Chriſti Reſurrectione nobis obtingunt, ità deinde populum affatur : *His, inquam, probè expenſis, agite, per reſiduum vitæ noſtræ oſtendamus Fidem, quam habemus fructuoſo huic Articulo, eidem noſmet conformando, nempe reſurgendo indies à peccato ad Juſtitiam vitæque ſanctitatem. Quid enim proderit nobis (inquit S.* Petrus) *pollutiones mundi per agnitionem Domini & Servatoris Ieſu Chriſti effugiſſe, ſi iiſdem rursùs implicati ſuperemur ? Certè melius fuiſſet (inquit) nunquam cognoviſſe viam Juſtitiæ, quàm cognitâ illâ atque initâ, regredi à ſancto propoſito nobis tradito. Ità enim accidet nobis, quod in proverbio dici ſolet, canis reverſus eſt ad ſuum ipſius vomitum, & ſus lota ad volutabrum cœni. Quale hoc opprobrium, nos ità pœnitùs, ità gratis à peccatis noſtris mundatos, ad eaſdem ſordes rediiſſe denuò ! Qualis hæc ſtultitia, quâ donati ſumus, Juſtitiam rursùs amittere ! Quæ dementia hæreditatem, cujus in poſſeſſione jam ſumus, perdere, eandémque vili pretio jam jam perituræ voluptatis, & peccato naſcentis, permutare ! Qualis demùm hæc inhumanitas, Chriſtum Servatorem, qui ad nos advenerit, ut tanquam hoſpes noſter nobiſcum habitaret, ex animis noſtris pellere & ejicere, ejuſque loco, in quo omnis Gratiæ & Virtutis plenitudo, Diabolum Spiritum nequam, nequitiæque omnis & mali autho-*

Homil. tom. 2. p. 193.

authorem admittere! Quomodo à nobis impetrare poſſumus, ut adeò ingratos noſmet exhibeamus in Chriſtum, qui tam amicè nos ad miſericordiam vocavit, ſèque nobis obtulit, quin & jam cordis noſtri penetralia ingreſſus eſt? Imò verò quanta hæc audacia, ſocietatem renuntiare Patri, Filio, & Spiritui Sancto (ubi enim horum alter eſt, ibi totus Deus in plena ſua majeſtate, &c.) neque reformidare, inquam, tam perfidæ hoſtilitatis & defectionis periculum! Proſpicite vobiſmet, optimi in Chriſto fratres & ſorores, perpendite, quantæ dignitatis in faſtigio jam poſiti ſitis; neque patiamini voſmet eò unquam dementiæ prolabi, ut quod per Gratiam Dei vobis oblatum eſt, tantóque pretio acquiſitum, perdatis: videte, nè per obſtinatam veſtram cæcitatem, hæc tanta lux, quæ jam vobis affulget, tandem extinguatur, &c. Quid clarius? Agit hîc apertiſſimè *Homiliæ* Author de Apoſtaſia verè fidelium & totali & finali. Senſiſſe autem Homiliſtam hujuſmodi Apoſtaſiam & accidere poſſe, & non rarò accidere, clarè indè liquet, quòd Chriſti fideles mirâ vehementiâ orat, obſecrat, obteſtatur, ut ſibi omnibus modis proſpiciant, nè unquam in miſerandam iſtam ſortem ac ſtatum planè deploratum incidant. Quid, quod locum *Petri* 2 epiſt. cap. 2. 20, 21, 22. cum veteribus, de iſtiuſmodi verè fidelium Apoſtaſia diſertè interpretatur? Ibi autem manifeſtè deſcribitur Apoſtaſia, quæ non modò poſſibilis ſit, ſed quæ in nonnullis reverà acciderit; in quibus ſcil. veteris proverbii veritas comprobata fuerit, canis ad vomitum, *&c.*

12. Poteram & alia loca huc ſpectantia ex libro Homiliarum proferre: ſed vereor nè tædio ſim Lectori. Tamen vide, ſis, quæ ſub finem *Homiliæ* de Nativitate habentur. In proclivi etiam eſſet, ſuffragiis Theologorum, qui primis Reformationis noſtræ temporibus, quando Articuli & Homiliæ noſtræ primùm editæ fuere, quíque ſummos locos in Eccleſia noſtra tenuerunt, eandem doctrinam abundè confirmare. Sed ex Doctoribus privatis noſtris (ut cum D. *Tullio* hîc loquar) bina tantùm audiantur nomina, (ea verò quanta & qualia!) *Hooperum* intelligo & *Latimerum*. *Hooperus* Epiſcopus *Gloceſtrienſis* idémque ἐξομολόγησις in præfatione ad ſuam Decalogi Expoſitionem hæc habet: *Cauſa reprobationis, ſive damnationis eſt peccatum in homine, qui E-* *Homil. Tom. 2. p. 174.*

vangelium audire ac recipere nolit, vel etiam poſtquam ipſum receperit, per conſuetudinem peccandi in Evangelii contemptum prolabitur, &c. Ubi clarè docet ſanctiſſimus antiſtes, eſſe aliquos, qui, poſtquam Evangelium receperint, in peccati conſuetudinem labentes, tandem æternùm à Deo reprobantur ac damnantur. Loqui autem *Hooperum* de vera Evangelii receptione, non ficta, qualis Hypocritarum (ut D. *Hickmannus* ipſum perverſo ſuo more interpretatur) hâc ratione facilè evincitur. De tali Evangelii receptione agitur in poſteriori ſententiæ membro, qualis in priori intelligitur, nempe in verbis illis, *cauſa damnationis eſt peccatum in homine, qui Evangelium audire ac recipere nolit.* Atqui ibi manifeſtè loquitur *Hooperus* de receptione Evangelii per veram Fidem. Neque enim homines damnantur, quòd non hypocritarum more, ſed quòd non verè ex animo Evangelium recipiant. Præterea hæc *Hooperi* verba, unà cum iis, quæ apud ipſum ibidem ſequuntur, (ut ſuo loco clarè oſtendetur) omnino deſumpta ſunt ex *Melanthonis* ſcriptis, ac proinde ad mentem ipſius exponi debent.

Hiſtor. Armin p. 479, 480.

Audiamus verò ipſum *Melanthonem* loc. Theol. Titulo *de Prædeſtinatione. Cauſam igitur*, inquit, *reprobationis certum eſt hanc eſſe, videlicet peccatum in hominibus, qui prorsùs non audiunt, nec recipiunt Evangelium, aut qui abjiciunt Fidem, antequam hinc diſcedant.* Qualem autem Fidem intelligat *Melanthon*, liquet ex iis, quæ mox ab ipſo ſubjiciuntur: *Judicamus*, inquit, *haud dubiè electos eſſe eos, qui miſericordiam propter Chriſtum promiſſam Fide apprehendunt, nec abjiciunt eam fiduciam ad extremum.* Itaque meridianâ luce clarius eſt, (quicquid D. *Hickmannus* contrà obganniat) *Hooperum* noſtrum cum *Melanthone* ſenſiſſe, eſſe aliquos, qui Fidem, quâ miſericordia, propter Chriſtum promiſſa, apprehenditur, h. e. juſtificam, ad extremum abjiciant, ac propterea à Deo æternùm reprobentur ac damnentur. Idem *Hooperus* ejuſdem libri cap. 17. *Ne itaque*, inquit, *gratiam vel oblatam reſpuamus, vel acceptam malè vivendo expellamus. Si labimur, verbo auſcultemus Dei omnipotentis, nos ad pœnitentiam vocantis, atque ad ipſum revertamur, nè in peccato perſeveremus, neque peccata peccatis cumulemus, nè tandem in contemptum Dei ac Verbi Divini prolabamur.*

13. *La-*

13. *Latimerus* Epiſcopus *Londinenſis*, & Martyr idem conſtantiſſimus, in Concione in Dom. 3. poſt Epiphan. diſertè docet, *Fieri poſſe, ut qui in libro vitæ jam inſcripti ſumus, poſtea Deum & verbum ejus obliviſcentes, & nequiter agentes, ex eadem deleamur.* Idem in *Rom.* 3. v. 11. hæc habet: *Qui nondum ad Chriſtum venere, aut poſtquam venerint, ab ipſo rursùs defecere (ut non pauci ſunt, qui in peccata contra conſcientiam labentes, Gratiam Dei, Salutem, atque ad extremum Spiritum Sanctum amittunt) illi, inquam, omnes, qui in Gratia apud Deum non ſunt, de peccatis ſuis non dolent, quin & propoſitum ampliùs peccandi retinent.* Quid his expreſſius vel fingi potuit? *Par. 3. p. 198. p. 114.*

14. Penè referre pudet pigétque, quæ contra hæc tam clara ac diſerta à quibuſdam objiciuntur. Author libri, cui titulus, *Ibis ad Cæſarem*, contra doctiſſimum *Montacutium* ex Homiliis hæc affert verba: *Quanquam pii cadant, tamen in peccato non ambulant; peccato non inſiſtunt, neque in ipſo manent, aut deſident, tanquam incurioſi, depoſitâ juſti Dei peccata vindicantis reverentiâ; ſed per magnam Dei Gratiam atque infinitam Miſericordiam reſurgunt denuò ac peccato repugnant, &c.* Sanè ad incitas ſe redactos oſtendunt, qui iſtiuſmodi miſera quærunt effugia. Scilicet hæc ὑπὲρ πρὸς ἔπος. Agit hîc manifeſtè Homiliæ Author non de peccatis gravioribus, quæ mortalia vocantur, quibus pii à pietate ſua ac proinde à Dei Gratia recedant; ſed de lapſibus juſtorum levioribus, quæ quotidianæ incurſionis peccata dici ſolent, quæque Spiritum Sanctum non excutiunt, neque conſcientiam vaſtant. Nimirum ex *Pſal.* 1. ità concionatur: *David Propheta hominem beatum deſcripturus ait*; Beatus ille vir, qui non ambulat in conſilio improborum, & viæ peccatorum non inſiſtit: ac in conſeſſu deriſorum non deſidet. *Tria ſunt hominum genera, quorum conſortium jubet illum Propheta effugere, quiſquis beatus eſſe velit. Primùm non illi ambulandum eſt in conſilio improborum. Deinde non inſiſtendum illi viæ peccatorum. Denique ipſi in conſeſſu deriſorum nequaquam deſidendum. His tribus hominum generibus, improborum nempe, peccatorum, ac deriſorum, omnigena impietas ſignificatur ac plenè exprimitur. Improbos intelligit, qui Deum omnipotentem non curant, omni fide vacui; quorum corda animique ità mundo ſunt dediti, ut eorum* *Homil. de quibuſdam Script. locis &c. par. 2. p. 150.*

hoc

hoc unicum ſtudium ſit, quo pacto mundana ſua negotia, carnalia cogitata, turpéſque concupiſcentias & deſideria, abjecto Dei timore, perficiant. Secundum illud genus peccatores appellat, non qui ex ignorantia ſive infirmitate cadunt; nam quis ità ex numero peccatorum eximendus ſit? Quis mortalium in terris unquam vixerit (dempto Chriſto) qui non peccaverit? Juſtus ſeptiès cadit, & reſurgit denuò. Quanquam pii cadunt, tamen in peccato non ambulant, &c. Quæ frons iſtorum hominum, qui in cautæ ſuæ patrocinium hæc afferre non erubeſcant? Et tamen ejuſdem planè farinæ ſunt, quæcunque ex Homiliis noſtris, ad Fidei juſtificæ indeficibilitatem aſtruendam, allegantur.

15. Objicit præterea D. *Hickmannus* locum ex publico Catechiſmo *Edvardi* Sexti temporibus edito, ubi de Eccleſia Catholicâ agens Catechiſta ſic loquitur: *In hanc quaſi civitatem ſuam adſcripſit Deus infinitam hominum multitudinem, qui omnes unico ſuo Regi Chriſto pareant, & dicto audientes ſint atque obedientes, qui ipſius ſeſe tutelæ commendârunt, & quorum ipſe patrocinium ſuſcepit, eóſque perpetuò tuetur & conſervat. Ad hanc rem-publicam propriè pertinent, quotquot verè timent, honorant atque invocant Deum, prorsùs applicantes animos ad ſanctè piéque vivendum: quique fiduciam atque ſpem omnem in Deo conſtituentes, vitæ æternæ beatitudinem certiſſimè expectant. Qui autem ſunt in hac Fide firmi, ſtabiles, atque conſtantes, hi electi atque deſignati, & (ut nos loquimur) prædeſtinati erant ad hanc tantam fœlicitatem, ante poſita mundi fundamenta.* Ad hæc Catechiſmi verba, ſic D. *Hickmannus* triumphat: *Quantum hîc Calviniſmi! Quotquot Deum timent, electi, prædeſtinati ac deſignati fuerunt ad vitam æternam ante poſita mundi fundamenta; ergo ſi quis vitâ æternâ exciderit, nunquam ille Deum timuit.* Sed hîc (ut ubique ferè aliàs) Hiſtorici noſtri ſive fidem ſive judicium omnino deſideramus. Nam ubi, quæſo, in his Catechiſmi verbis dicitur, quotquot Deum timent, ad vitam æternam prædeſtinatos fuiſſe ante poſita mundi fundamenta? Imò oppoſitum ſatis manifeſtè hîc docetur, nempe eſſe aliquos, qui Deum verè timent, *&c.* neque tamen ad vitam æternam prædeſtinati ſunt. Nimirum Catechiſmus primùm docet, quotquot verè fideles ſunt, ad rem-

p.86. Latinæ Edit. Lond. 1570.

Hiſtor. Armin. p.46c.

rempublicam, ſive Eccleſiam Chriſti propriè pertinere, nempe dum tales ſint. Deinde ex hac univerſitate verè fidelium eos eximit, qui ſunt in Fide firmi, ſtabiles atque conſtantes; & de his ſolùm affirmat, quòd electi fuerint ad vitam æternam ante poſita mundi fundamenta: quod quis Catholicus negaverit? Quorsùm verò hæc exemptio, ſi omnes, qui ſemel verè crediderunt, neceſſariò ſint in Fide iſta firmi, ſtabiles, & conſtantes, ac proinde electi? Itaque D. *Hickmannus* ſuo hic ſe gladio jugulavit. Atque hactenus de Eccleſiæ *Anglicanæ* judicio.

16. Pergamus ad exterarum Eccleſiarum ſuffragia. Sanè conſtat, antiquiſſimas & nobiliſſimas reformatæ Fidei Confeſſiones eandem in hoc Articulo ſententiam cum Eccleſia noſtra tenuiſſe. Confeſſio *Auguſtana* (quæ, quo tempore edita fuit, communis omnium Proteſtantium doctrina cenſebatur, cuique teſtimonium perhibuere Eccleſiæ Reformatæ penè omnes, & ſubſcripſerunt Doctores celeberrimi, è quibus *Calvinus* ipſe) Artic. 6. ſic loquitur: *Debet hæc obedientia repugnare pravis cupiditatibus, & ſubinde ſpiritualibus exercitiis fieri purior, & cavere, nè quid committamus contra conſcientiam, juxta illud, ſumma Legis eſt dilectio ex puro corde, & conſcientia bona, & fide non ficta. Qui verò obtemperant pravis cupiditatibus, & agunt contra conſcientiam, verſantur in peccatis mortalibus, nec Fidei Juſtitiam, nec Juſtitiam bonorum Operum retinent. Juxta illud* Pauli, *Qui talia agunt regnum Dei non poſſidebunt.* Iidem *Auguſtani* artic. 11. *damnant & Anabaptiſtas, qui negant ſemel juſtificatos iterum poſſe amittere Spiritum Sanctum.* Negat quidem D. *Hickmannus* hæc *Auguſtanæ* Confeſſionis loca de totali & finali verè fidelium Apoſtaſia intelligi debere. Sed facilè refellitur inverecundus ille Scriptor è libris *Philippi Melanthonis*, qui Confeſſionem illam exaravit, in quibus centiès verbis diſertiſſimis affirmatur, fieri poſſe, & non rarò fieri, ut verè credentes & juſti Fidem & Juſtitiam ſuam ad extremum amittant. Vide imprimis ejus locos communes titulo *de pœnitentia*, & *de diſcrimine peccati mortalis & venialis*. Verùm ut res extra omnem controverſiæ aleam ponatur, adeamus Confeſſionem *Saxonicam*.

17. Scripta fuit Confeſſio *Saxonica* ab eodem *Melanthone* (ut ipſe teſtatur in Præfatione ad corpus Theologicum) A. D.

M. D. LI. in Synodo *Witebergæ*, ubi *Saxonicarum* & *Miſnicarum* Eccleſiarum Miniſtri, & Academiarum Doctores convenerant: qui omnes ei ſubſcripſerunt, tanquam Confeſſioni *Auguſtanæ* repetitæ & explicatæ, *Tridentinæ* Synodo nomine † Proteſtantium omnium proponendæ. Eam comprobârunt illuſtriſſimi Principes *Brandeburgici*, generoſiſſimi Comites à *Mansfelt*, *Argentinenſes* Miniſtri, atque Paſtores & Doctores Eccleſiarum *Pomeraniæ* Scriptis Confeſſioni in Syntagmate annexis. Eadem ab aliis Eccleſiis comprobata: & ab Eccleſiis *Polonicis* in ipſarum conſenſu vel conciliatione commendata. Jam in illuſtris hujus Confeſſionis Articulo decimo de præmiis hæc legimus: *Quicunque Spiritu Dei aguntur, hi ſunt Filii Dei: Si autem filii, hæredes Dei, &c. Et tamen ſimul verum eſt, eos qui effundunt Spiritum Sanctum, deficientes à fide, aut ruentes contra conſcientiam, nec redeunt ad Deum per pœnitentiam, non eſſe hæredes, ſicut dicitur ad* Galat. *Qui talia agunt, regnum Dei non poſſidebunt.* Quod idem plenius & clariùs dicitur in ſequenti Articulo *de diſcrimine peccatorum*, his verbis: *Cùm dictum ſit in renatis manere peccata, neceſſe eſt tradi diſcrimen. Nam ex dicto* Lucæ 11. *vadit & aſſumit ſeptem alios ſpiritus nequiores ſe, & ingreſſi habitant ibi, &c. & ex ſimilibus dictis, manifeſtum eſt, aliquos renatos contriſtare & excutere Spiritum Sanctum, & rursùs abjici à Deo, ac fieri reos iræ Dei, & æternarum pœnarum. Et* Ezech. 33. *ſcriptum eſt: Cùm receſſerit juſtus à juſtitia ſua, & fecerit iniquitatem, morietur in ea. Neceſſe eſt igitur diſcerni peccata, quæ in Sanctis in hac mortali vita manent, nec excutiunt Spiritum Sanctum ab aliis peccatis, propterquæ homo rursùs fit reus iræ Dei & æternarum pœnarum, &c.* Totus Articulus lectu eſt digniſſimus. Certè autem impudentiæ litet, neceſſe eſt, qui negaverit in his verbis, quod contendimus, apertiſſimè doceri. Nam palàm eſt hîc agi non de poſſibilitate ſolùm, ſed etiam de actu, ſive eventu; atque affirmari, eſſe reverà aliquos renatos, qui contriſtant & excutiunt Spiritum Sanctum, & rursùs abjiciuntur à Deo, & fiunt rei iræ Dei, & æternarum pœnarum. Et nè quis dubitet, an hæc de finali Renatorum Apoſtaſia dicta ſint, hanc ſententiam ſuam probant Confeſſionis Authores, duobus Scripturæ locis illuſtriſſimis, nempe *Luc.* 11. 26. & *Ezech.*

† *Certè omnium Eccleſiarum nomine ſcripta eſt confeſſio* Saxonica, *offerenda Concilio* Tridentino. Admon. de libro Concord. pag. 189.

Ezech. 33. 18. quorum alter expreſsè loquitur de iis, *quorum ultima conditio, priori ſiat deterior*; alter haud minùs diſertè, *de homine juſto à juſtitia recedente, atque in iniquitate ſua moriente.* Vide & Artic. 16. in fine.

18. Eandem doctrinam palàm tuetur Confeſſio *Bohemica*, ſive *Waldenſium*. Confeſſio illa ex Confeſſionibus longè antiquioribus conſtituta, à *Luthero*, *Melanthone*, & inclyta Academia *Witebergenſi* comprobata, tandem à liberis Baronibus, & aliis Nobilibus Regni *Bohemiæ* oblata fuit anno 1535. Sereniſſimo Regi *Ferdinando*. Jam in Articulo ejúſce Confeſſionis quinto hæc legimus: *Docent etiam abſolutos, id eſt, quibus per Chriſtum peccata remiſſa ſunt, ut Gratiæ Dei in Chriſto acceptæ grati ſint, nè in vanum eam recipiant, neu etiam in peccata relabantur: juxta illud, Vade & poſthâc nè peccaveris, nè quid deterius tibi contingat. Item, ſi volentes peccaverimus, poſt acceptam cognitionem veritatis, non ultrà pro peccatis reliqua eſt hoſtia, &c.* In Articulo verò viceſimo ſive ultimo, qui ità inſcribitur, *de tempore gratiæ, in quo divinus favor & queri debet, & inveniri poteſt*, extrema eorum dementia univerſim reprehenditur, qui pœnitentiam ſuam ad ultimum vitæ exitum differunt, eorum verò imprimis, qui poſt acceptam Juſtificationis gratiam, in graviora peccata lapſi, ceſſant ad Dominum reverti & redire. Verba hæc ſunt: *Is verò omnium maximè, qui poſt adeptum divini erga ſe favoris teſtimonium, ſuâpte & voluntariè peccatis ſeſe immerſerit, tótque admonitiones ſalutares, ut in tempore reſipiſcat, ſpreverit ac neglectui habuerit, verùm ſtultè ac procaciter Dei abuſus miſericordiâ, in eâque ſuppodiatus, in peccatis perduraverit, ad uſque poſtremum ac jam imminentem mortis articulum, ac tum primò expergefactus mortis inſtantis, infernique horrore & metu incipiat, vel ſerò ſapere, periculoſum eſt, nè Domini furorem (ut clarè verba illius teſtantur) extremo ſuo malo, & non miſericordiam experiatur. Clamabunt, inquit Dominus apud* Micheam *tertio, ad me, & non exaudiam eos, & abſcondam faciem meam ab eis in tempore illo, ſicut nequiter egerunt in ſtudiis ſuis, quippe qui vocem meam audire noluerint, cùm expandi manus meas tota die. Verendum profectò, nè digna factis ſuis præmia referat, qui tempore, quod Deus illi ad pœnitentiam conceſſerat, tam ignavè ac perditè abuſus fuerit. Attamen nè quis deſperet, do-*

cent. Nam, ſi etiam in extremo mortis periculo, veræ pœnitentiæ ſignum apparuerit, quod rariſſimè tamen accidit talibus, rectè enim Paulus, *id inquit faciemus ſi permiſerit Deus; abſque conſolatione abſolutionis non dimittitur.* In quibus verbis clarè docemur, 1°. Eſſe, qui poſt adeptum erga ſe divini favoris teſtimonium, (hoc eſt, poſtquam, ut ſuprà, abſoluti fuerint, & Remiſſionem peccatorum per Chriſtum acceperint) ſuâpte & voluntariè peccatis ſeſe immergunt, atque admonitiones ſalutares ut in tempore reſipiſcant, neglectui habent, quin & procaciter Dei abutuntur miſericordiâ, ínque peccatis perdurant, uſque ad jam imminentem mortis articulum. 2°. Horum pœnitentiam ac ſalutem adeò certam atque infallibilem non eſſe, ut valdè incerta ſit, & periculi plena. Imò de his lapſis intelligunt *Waldenſes* tremenda Domini per Prophetam verba, *clamabunt ad me, & non exaudiam eos*, &c. Quin & expreſsè dicunt, rariſſimè talibus accidere, ut veræ pœnitentiæ ſignum edant, in iſtos accommodantes, quæ de Apoſtatis à Fide Chriſti dicta ſunt ab Authore Epiſtolæ ad *Hebræos* cap. 6.

19. Sed jam tempus eſt, ut Veteris Eccleſiæ ſuper hâc quæſtione ſententiam reverenter audiamus, & *quid priſca ætas ſenſerit* (ipſo D. *Tullio* alicubi monente) diſpiciamus. Dixi hypotheſim illam, quæ ſtatuit, eorum omnium, qui ſemel Fide juſtificâ prædíti fuere, certam eſſe ſalutem, univerſæ Antiquitatis Catholicæ judicio adverſari. Si mihi hîc non credat D. *Tullius*, quem putat in Patrum Scriptis planè hoſpitem eſſe, ſaltem fidem habeat duobus teſtibus, in Veterum monumentis extra controverſiam verſatiſſimis, iíſque viris integerrimis. Vir clariſſimus *Gerardus Voſſius* Hiſt. Pelag. lib. 6. in explicatione Theſis undecimæ diſertiſſimis allatis teſtimoniis oſtendit, ipſum *Auguſtinum* (quanquam communi priorum Patrum ſententiæ de Perſeverantia illud novum & de ſuo adjecerit, quòd ipſam non modò donum Dei eſſe, ſed ex abſoluto ſalvandi decreto neceſſariò fluere docuerit; tamen) conſtanter agnoviſſe, Fidem juſtificam, & Gratiam regenerantem amitti poſſe, & à pleriſque amitti. Deinde Theſ. duodecima intrepidè affirmat, quòd *Antiquitas tota indefectibilitati adverſetur.* Et in explicatione & confirmatione Theſis, in ipſo initio, vir alioqui

Juſt. Paul. p. 12.

alioqui modeſtiſſimus, quorundam inverecundiâ, qui contrariæ ſententiæ novitiæ Veterum authoritatem obtendere non erubuerunt, coactus, ità ſcribit: *Communem fuiſſe Antiquitatis ſententiam, quam diximus, ſoli hodie negare poſſunt, qui cæterà fortaſſe viri ſunt non ineruditi, ſed in antiquitate planè ſunt hoſpites: vel animum habent unius & alterius ſententiis ità mancipatum, ut eorum oculis videre malint, quàm ſuis, cúmque iis errare præoptent, quàm cum aliis bene ſentire.* Loca verò Patrum, quibus nonnulli abutuntur ad iſtam indeficibilitatem aſtruendam, quàm imperitè ab ipſis allegentur, liquidò oſtendit vir ſummus, & luculentas quaſdam regulas & diſtinctiones proponit, quibus apparentes Veterum in hac quæſtione ἐναντιώσεις facilè & nullo negotio ſolvantur Theſ. 13ª. Alter ille teſtis eſt Reverendiſſimus & Doctiſſimus Eccleſiæ noſtræ Præſul & inſigne ornamentum *Johannes Overallus*, qui de hac quæſtione in judicio ſuo de quinque Articulis cap. 5. ità pronuntiat; *Certè ſententia illa, de qua tantopere pugnatur, de certa perſeverantia eorum omnium, qui ſemel crediderint & juſtificati fuerint, nullis unquam Veteris Eccleſiæ Patribus probata fuit, ſed ab omni antiquitate rejecta, & perpetuâ omnium temporum † experientiâ nimium refutata: & non niſi hoc ultimo ſeculo nota, &c.* Poſt hos teſtes, qui omnium ſuffragio fide digni habentur, audietur fortaſſe ſine præjudicio, etiam ab inimicis ſuis, magnus ille *Grotius*; cujus verba in *Animadverſionibus* pro annotatis ſuis ad *Caſſandrum* (titulo de diſcrimine peccatorum, *&c.*) certè notatu digna ſunt. *Nullum*, inquit, *in Chriſtianiſmum potuit dogma induci perniciоſius, quàm hoc, hominem qui credidit, aut qui regenitus eſt (nam hæc multis idem valent) poſſe prolabi in ſcelera & flagitia, ſed accidere non poſſe, ut propterea Dei favore excidat, aut damnationem incurrat. Hoc nemo Veterum docuit, nemo docentem tuliſſet. Nec aliud evidentius vidi argumentum detortæ ad privatos & malos ſenſus Scripturæ, quàm in hoc negotio.* Neque ſanè ullum ex Veteri ullo Scriptore Catholico teſtimonium, pro certa & infallibili omnium Renatorum perſeverantia, ſive in *Examine* ſuo, ſive alibi, adduxit clariſſimus *Grotii* Antagoniſta *Rivetus*, de quo ex *Voſſii* regulis & obſervationibus, quas modò commemoravi, non conſtet, à propoſito illud omninò alienum eſſe. Conferat Lector, & judicet.

† *Ex Regeneratis in Chriſto Ieſu quoſdam relictâ fide & piis moribus, apoſtatare à Deo & impiam vitam in ſua averſione finire, multis (quod dolendum eſt) probatur exemplis.* Proſp. Reſponſ. ad cap. Gall. Reſp. ad Object. 7.

20. Significanter autem dixit *Overallus*, sententiam istam de Fidei Justificæ indeficibilitate, *ab omni antiquitate fuisse rejectam*, Et *Grotius*, quòd *nemo Veterum ipsam docentem tulisset*. Fuere enim antiquitùs, qui illud dogma ausi sunt asserere; sed ii constanter à Catholicis Ecclesiæ Patribus rejecti, & pro Heterodoxis, si non Hæreticis, habiti fuere. Primi (quantum meminisse valemus) ejus sententiæ authores fuere *Valentiniani*, de quibus *Irenæus* lib. 1. cap. 1. hæc refert: ὡς γὰρ τὸ χοϊρὸν ἀδύνατον σωτηρίας μεταχεῖν (οὐ γὰρ λέγουσιν αὐτοὶ δεκτικὸν αὐτῆς) οὕτως πάλιν τὸ πνευματικὸν, ὃ θέλουσιν αὐτοὶ εἶναι, ἀδύνατον φθορὰν καταδέξασθαι, κἂν ὁποίαις συγκαταγένωνται πράξεσιν· ὃν γὰρ τρόπον χρυσὸς ἐν βορβόρῳ κατατεθεὶς οὐκ ἀποβάλλει τὴν καλλονὴν αὐτοῦ, ἀλλὰ τὴν ἰδίαν φύσιν διαφυλάττει, τοῦ βορβόρου μηδὲν ἀδικῆσαι δυναμένου τὸν χρυσόν· οὕτω δὲ καὶ αὐτοὺς λέγουσι, κἂν ἐν ὁποίαις ὑλικαῖς πράξεσι καταγένωνται, μηδὲν αὐτοὺς προβλάπτεσθαι, μηδὲ ἀποβάλλειν τὴν πνευματικὴν ὑπόστασιν. i. e. *Ut enim Hylicum nullo modo salutis particeps esse posse dicunt, quòd ejus capax minimè sit: sic rursùs spirituale (quod ipsi se esse volunt) eâ conditione esse, ut nullo prorsùs modo interitum atque corruptionem recipere queat, quibuscunque tandem actionibus versetur. Quemadmodum enim aurum in cœno positum, pulchritudinem suam non amittit, verùm naturam suam incolumem servat, nec detrimenti quicquam ei à cœno afferri potest: Eodem modo sese quoque, quibuscunque tandem in materialibus actionibus versentur, nihil hinc lædi, nec spiritualis substantiæ jacturam facere.* Et posteà: ἑαυτοὺς δὲ ὑπερυψοῦσι τελείους ἀποκαλοῦντες, καὶ σπέρματα ἐκλογῆς· ἡμᾶς μὲν γὰρ ἐν χρήσει τὴν χάριν λαμβάνειν λέγουσι, διὸ καὶ ἀφαιρεθήσεσθαι αὐτῆς. αὐτοὺς δὲ ἰδιόκτητον ἄνωθεν ἀπὸ τῆς ἀῤῥήτου καὶ ἀνονομάστου συζυγίας συγκαταληλυθυῖαν ἔχειν τὴν χάριν, καὶ διὰ τοῦτο προστεθήσεσθαι αὐτοῖς. i. e. *Seipsos autem mirificè extollunt, perfectos appellantes, & semina electionis. Nos enim in usu tantummodò gratiam accipere dicunt, proinde fore, ut ea nobis adimatur: se autem eam ab ineffabili & omni nomine præstantiori conjugatione cœlitùs devectam, propriè possidere, ob eámque causam fore, ut ipsis accrescat.* Certè non est lac lacti, neque ovum ovo similius, quàm huic *Valentinianorum* Commento (si συζυγίας fabulam demas) quorundam Theologorum doctrina, quorum parco nominibus. Qualis verò fuerit *Irenæi* & Catholicorum ejus ætatis, super hac quæstione sententia, quámque *Gnosticorum* deliramento con-

p. 26. Edit. Feuard.

p. 28.

contraria, liquet ex lib. 4. cap. 72. *Quoniam*, inquit, *omnes sunt ejusdem naturæ, & potentes retinere & operari bonum, & potentes id rursùm amittere, & non facere: justè etiam apud homines sensatos; quantò magis apud Deum? alii quidem laudantur, & dignum accipiunt testimonium electionis bonæ & perseverantiæ: alii verò accusantur, & dignum percipiunt damnum, eò quod justum & bonum reprobaverint.*

21. Inter erronea *Joviniani* dogmata illud secundo in loco ponit *Hieronymus*, quod docuerit, *Eos qui fuerunt baptizati, à Diabolo non posse tentari*; (nempe ità ut tentationi succumbant) *quicunque autem tentati fuerint, ostendi eos aquâ & non Spiritu baptizatos.* Sensit itaque *Jovinianus*, neminem verè regeneratum à Diabolo unquam vinci & superari, ac rursùs in potestatem ejus redigi posse. Cui ejus errori redarguendo *Hieronymus* præter alia adducit locum Authoris Epistolæ ad *Hebræos* cap. 6. ex quo ità argumentatur: *Certè eos, qui illuminati sunt, & gustaverunt donum cæleste, & participes facti sunt Spiritûs Sancti, & gustaverunt bonum Dei verbum, negare non possumus baptizatos:* (nempe Spiritu) *Si autem baptizati peccare non possunt, quomodo nunc Apostolus dicit, & prolapsi sunt?* Sub finem quarti sæculi exorta est hæresis, quæ dicebatur *Prædestinatianorum*, cujus dux & coryphæus *Lucidus* Presbyter: ad quem *Faustus*, dum adhuc planè catholicum se profiteretur, scripsit Epistolam, quam & Synodus *Arelatensis* approbavit. In ea Epistola anathematismi quidam sunt, quorum numero tertius hujusmodi est: *Anathema illi, qui dixerit, illum, qui periit, non accepisse, ut salvus esse possit.* Unde satis liquet, *Lucidum*, quem anathematismus ille ferit, negâsse, quemquam eorum qui pereunt, quicquam à Christo unquam accepisse, quo salvus fieret, nedum Gratiâ justificante donatum, & verè in Christo regenitum unquam fuisse. Sed & illud manifestiùs adhuc est ex explicatione Catholicæ sententiæ, *Prædestinatianorum* deliramento oppositæ, quæ in eadem Epistola mox sequitur in hæc verba: *Nos autem per illuminationem Christi veraciter & confidenter asserimus, & eum, qui periit, per culpam, salvum esse potuisse per Gratiam, si Gratiæ ipsius famulantis laboris obsequium non negâsset. Et eum, qui per Gratiam ad bonæ consummationis metas servitio obsequente pervenit, cadere per desi-*

Advers. Jovinian. *lib.* 2.

desidiam, & perire potuisse per culpam. Arelatensis autem Synodi anathematismis, paulò pòst secuta *Lugdunensis* suffragata est, utì ex *Fausti* præfatione liquet.

22. Demùm sæculo nono damnatam *Prædestinatianorum* hæresim ex orco resuscitavit infœlix monachus *Gotheschalcus*. Ejus inter dogmata (referente *Hincmaro* in epistola ad *Nicolaum* Papam) & hoc fuit, *Eos, qui pereunt, verè nunquam, sed Sacramento tenùs fuisse redemptos.* Quod clarius explicatur in epistola *Amalonis* Archiepiscopi *Lugdunensis* ad *Gothescalcum*, in lucem ab eruditissimo viro *Jac. Sirmondo* tandem edita. Nam in ea epistola refert *Amalo*, se *Gothescalci* vidisse scripta, de Prædestinatione divina; indéque sex omninò doctrinæ capita decerpit, sigillatìm redarguenda, quorum tertium his verbis concipitur: *Illos, qui ex numero fidelium pereunt, nec tunc, quando inprimis ad percipienda mysteria Regenerationis, & Dominicæ Oblationis, vel in parvula ætate ab aliis oblati sunt, vel ipsi in majori fideliter accesserunt, Christo & Ecclesiæ non incorporatos, nec membra illius quæsitæ & salvatæ ovis effectos, ac per hoc nec unquam fuisse Christianos.* Damnatus verò est *Gotheschalcus* cum suis novis dogmatibus, ab universis *Germaniæ* Episcopis anno 848. in Synodo *Moguntina*, cui præerat ingens illud sæculi sui decus & ornamentum *Rabanus Maurus*, & Scriptor non ignobilis *Haymo* intererat. Atque hujus Synodi decretis mox suffragatum est Ecclesiæ *Remensis*, quam regebat *Hincmarus*, & aliorum *Galliæ Belgicæ* Episcoporum Concilium, *Carisiacense* vulgò dictum. Imò tam manifestus erat hoc in Articulo Catholicæ traditionis consensus, ejusdémque tum temporis inter partes, cætera dissentientes, tam unanimis reverentia, ut ipsa Ecclesia * *Lugdunensis*, etsi in plerisque *Gotheschalco* nimiùm faveret, hac tamen ex parte non ausa fuerit Doctorem Novitium defendere, sed utriusque Synodi sententiam probaverit. Quin & *Valentina* Synodus ab Episcopis quatuordecim habita, ex *Lugdunensi*, *Viennensi*, & *Arelatensi* Provinciis convenientibus, (quanquam pravâ quâdam æmulatione, ut observavit vir doctissimus, *Carisiacensis* adeóque *Moguntini* Concilii fidem elevare, eorúmque placita rescindere omnibus modis studuerit; præ cæteris adlaborante *Ebbone* quodam *Gratianopolitano*, qui *Hincmaro* præcipuo *Carisiacensis*

Apud Flodoardum. *lib.* 3 *c.* 14.

Vide Flodoard. *ubi suprà.*

Tom. 3. *Concil. Gal. p.* 66.

* *Vide T.* 2. *auctarii bibliothpp. col.* 1204.

ſiacenſis actionis authori ſubinſenſus erat, quod avunculo ſuo *Ebbone Remorum* Epiſcopo in ordinem redacto, Succeſſor ipſi datus fuerit *Hincmarus:* tamen) dogma illud *Gotheſcalci*, de omnium verè in Chriſto regenitorum certâ Salute, juxtà cum præfatis Synodis palàm improbavit. Nam Canone ejus Concilii quinto ità conſtitutum eſt: *Item firmiſſimè tenendum credimus, quòd omnis multitudo fidelium ex aqua & Spiritu regenerata, ac per hoc veraciter Eccleſiæ incorporata, & juxta doctrinam Apoſtoli in morte Chriſti baptizata, in ejus ſanguine ſit à peccatis abſoluta. Quia nec in eis potuit eſſe vera regeneratio, niſi foret & vera redemptio; cùm in Eccleſiæ Sacramentis nihil ſit caſſum, nihil ludificatorium; ſed prorsùs totum verum, & ipsâ ſui veritate ac ſinceritate ſubnixum. Ex ipſa tamen multitudine fidelium & redemptorum, alios ſalvari æternâ ſalute, quia per Gratiam Dei in redemptione ſua fideliter permanent, ipſius Domini ſui vocem in corde ferentes, Qui perſeveraverit uſque in finem, hic ſalvus erit: alios, quia noluerunt permanere in ſalute Fidei, quam initio acceperunt, redemptionisque gratiam potiùs irritam facere pravâ doctrinâ, vel vitâ, quàm ſervare, elegerunt, ad plenitudinem ſalutis, & ad perceptionem æternæ beatitudinis nullo modo pervenire.* Ità utrinque miro conſenſu rejecta fuit *Gotheſcalci* ſuper hoc Articulo ſententia. Atque in hoc conſenſu permanſit Chriſti Eccleſia uſque ad ſæculum decimum ſextum: quo tempore, à quibus *Gotheſcalcani* erroris patrocinium denuò fuerit ſuſceptum, omnes nôrunt. Equidem haud ſatìs ſcio, an aliquod Chriſtianæ doctrinæ caput reperias, quod cum majori Catholicorum Doctorum conſenſu, aut magìs imperturbatâ traditione, quàm hoc de Fidei Juſtificæ deficibilitate dogma, ad nos pervenerit.

23. Ut jam clavum figum, Si daremus, Eccleſiam Anglicanam de hac quæſtione ſiluiſſe prorsùs, nihílque in alterutram partem ſpeciatìm atque expreſsè ſtatuiſſe; (quod falſiſſimum eſſe ſuprà abundè evicimus;) tenerentur tamen genuini omnes Eccleſiæ noſtræ filii eorum ſententiam, qui certam atque infallibilem omnium, qui ſemel regeniti fuerint, perſeverantiam ac ſalutem defendunt, omninò rejicere & repudiare. Ad hoc, inquam, tenerentur vi Canonis (quem in hac *Apologia*, & alibi jam commemoravimus)

ſanciti in Synodo, *Londini* an. 1571. habitâ; in quo Canone expreſsè cautum eſt, *nequid noſtri pro concione docerent, tanquam religiosè tenendum & credendum, niſi quod conſentaneum ſit doctrinæ Veteris aut Novi Teſtamenti, quódque ex illa ipſa doctrina Catholici Patres & Veteres Epiſcopi collegerint.* Quo pacto enim ab ictu hujus Canonis ſe defendant, qui indeficibilitatis dogma; quod Catholici Patres & Veteres Epiſcopi adeò è Scripturis non collegêre, ut illud ipſum, tanquam Scripturis planè contrarium, adeóque valdè pernicioſum, uno omnes ore palàm rejecerint damnaverintque; ut religioſiſſimè ab omnibus tenendum, non modò ipſi pro concione docent, ſed & in Syſtematis, Enchiridiis & Catechiſmis ſuis, quò latiùs in populum ſpargatur venenum, Sacri Miniſterii candidatis, aliis porrò docendum, ſedulò inculcant? Quis autem non iniquè ferat iſtorum hominum iniquitatem, qui cùm in hoc & in aliis capitibus, unius & alterius heſterni magiſtri placita novitia, contra torrentem omnium Veterum Doctorum ipſi acriter defendant; in adverſarios tamen ſuos, quibus religio eſt à judicio antiquitatis vel latum unguem recedere, ut *Novatores* & doctrinæ Eccleſiaſticæ deſertores, paſsim apud indoctos debacchantur? Sed ad alia progrediamur.

24. Quarto atque ultimo in loco, docet D. *Tullius, Chriſtum ſatisfeciſſe, ſique in cruce obtuliſſe pro ſolis Electorum peccatis.* In Enchiridio enim ſuo cap. 7. de Satisfactione Chriſti agens, ità Catechumenum ſuum interrogat: A. *An ergò Chriſtus verè ſatisfecit pro peccatis Fidelium?* B. *Prorsùs.* Quorsùm hæc reſtrictio *pro peccatis fidelium?* Cur non *pro peccatis humani generis?* Nam, ut optimè *Overallus* jam laudatus, *Scriptura ſimpliciter dicit, Deum dediſſe Filium pro mundo, & conditionem ponit, non de morte Chriſti, ſed de fide hominis, & ſalute indè conditionaliter ſecuturâ: Sic datum eſſe Filium, ut ſi homines in eum credant, ſerventur. Sed ſive credant, ſive non credant, Deus dedit pro iis Filium, & in eo ſub conditione Fidei ſalutem iis omnibus propoſuit. Ut autem hanc conditionem homines præſtent, Deus ità verbo præcipit, & facto per Spiritûs Sancti Gratiam excitat & adjuvat, ut in hominibus, non in Deo cauſa ſit, ſi non crediderint.* Quinam verò juxta Doctorem ſunt iſti fideles, pro quorum peccatis ſolis Chri-

Chriſtus verè ſatisfecit? Nempe ſoli Electi, quos Fidei Juſtificæ proprium ſubjectum eſſe, ipſe diſertè ſtatuit, utì modò oſtenſum eſt. Quàm autem hæc reſtrictio & limitatio Satisfactionis Ieſu Chriſti ad ſolos Electos ipſa Evangelii fundamenta convellat; quàm iſta ſententia à Veteri Eccleſia Catholica prorsùs rejecta, adeóq; anathematizata fuerit, ſatis liquet ex iis, quæ diximus in *Exam. Reſp. ad Animadverſ.* 11. §. 8. & ſeqq. Quàm porrò apertè & conſtanter Confeſſiones Exterarum Reformatarum Eccleſiarum antiquiores, nempe *Auguſtana*, *Saxonica*, &c. univerſalitatem Gratiæ, & Redemptionis per Chriſtum adſtruant ac defendant, nemini ignotum eſſe poteſt, qui Confeſſiones iſtas oculis unquam ſuis uſurpaverit. Reſtat, ut de ſententia Eccleſiæ *Anglicanæ* inquiramus. Chriſtum non ſolùm Electos, ſed etiam eos, qui pereunt, verè redemiſſe, evidentiſſimè ſequitur ex hypotheſi illa Eccleſiæ noſtræ, quam modò tam prolixè explicavimus, nempe, quoſdam eorum, qui pereunt, per ac propter Chriſtum Gratiâ verè regenerante & juſtificante donatos eſſe, atque in ſtatu ſalutis actu conſtitutos; unde poſteà non niſi ſuâ culpâ excidant. Sed non opus eſt, ut conſequentiis agamus.

25. Audiamus hîc rursùs doctiſſimum Præſulem *Overallum*: "De morte Chriſti, inquit, tam plana eſt & ubique ſi-"bi conſtans Eccleſiæ noſtræ ſententia, pro omnibus omninò "hominibus, ſive pro omnibus omnium hominum peccatis, "Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum mortuum eſſe, ut mi-"randum ſit, ullos ex noſtris auſos eſſe id in controverſiam "vocare. Art. 7°. *Tam in Veteri quàm in Novo Teſtamento*, "*per Chriſtum, qui unicus eſt Mediator Dei & hominum, Deus* "*& homo, æterna vita humano generi eſt propoſita.* Art. 15°. "*Chriſtus venit ut agnus abſque macula, qui mundi peccata per* "*immolationem ſui ſemel factam tolleret.* Art. 31°. *Oblatio* "*Chriſti ſemel facta perfecta eſt redemptio, propitiatio & ſatis-*"*factio pro omnibus peccatis totius mundi, tam originalibus,* "*quàm actualibus.* Idémque habetur & in Catechiſmo com-"muni, ut ſenſus planiſſimus ſecundæ partis Symboli, in qua "unicuique credendum proponitur in Deum Filium, *qui ſe* "*& totum genus humanum redemit*, juxta Symbolum *Nicæ-*"*num*, *qui propter nos homines & noſtram ſalutem deſcendit*,

"&c. Et in multis locis publicæ Liturgiæ, ut in Consecra-
"tione Eucharistiæ: *Deus qui dedidisti nobis unicum Filium*
"*tuum Iesum Christum pro nostra redemptione mortem in cruce*
"*pati, ibique unicâ illâ oblatione*, &c. *hostiam & satisfactionem*
"*integram facere pro peccatis totius mundi*, &c. Et singulis
"ministratur his verbis: *Corpus Domini nostri pro te traditum*,
"*sanguis pro te effusus*, &c.

26. Articulis suffragatur plurimis in locis Homiliarum liber. Sed nè multus sim, ex Homilia de Christi Servatoris nostri morte & passione (ubi par est, credamus, Ecclesiam nostram, si uspiam, suam de hac quæstione sententiam declarâsse) unum & alterum testimonium attulisse sufficiat. In ipso initio partis secundæ celebratur maxima Christi Servatoris nostri misericordia, *qui mortem perpessus sit pro omnibus universìm hominibus*. Posteà in eadem Homilia hæc legimus: *Sic Deus dilexit mundum*, *inquit S.* Joannes, *ut Filium suum illum unigenitum dederit, ut quisquis credit in eum non pereat, sed habeat vitam æternam. Si Deus tantum exhibuit amorem erga nos misellas suas creaturas, quî fieri potest, ut non ipsum vicissim ipsi amemus? Nonne hoc certissimum amoris pignus erat, quòd proprium Filium suum è cœlo nobis dederit? Poterat, si libuisset, angelum, vel aliam creaturam dedisse; quin & talis amor merita nostra longè superâsset. Atqui dedit non angelum, sed Filium suum. Qualem verò Filium? Filium suum unicum, Filium genuinum, Filium dilectissimum, Filium denique, quem omnium hæredem atque Dominum constituerat. Nonne hoc singulare erat summi amoris indicium? At quibus dedit ipsum? Dedit ipsum toti mundo, h. e.* Adamo *atque omnibus ab ipso descendentibus*. Quid clarius dici potuit?

Homil. Tom. 2. p. 181.

p. 185.

27. Videamus tamen quid de hac quæstione statuerint Doctores Ecclesiæ nostræ probatissimi, qui eâ ætate vixêre, quâ Articuli & Homiliæ nostræ editæ fuerint. Testes hîc rursùs doctrinæ Ecclesiasticæ appellamus duos ἱερομάρτυρας *Hooperum* & *Latimerum*. *Hooperus* in explicatione Decalogi (cujus operis, lectu sanè dignissimi, exemplaria, per nostrorum incuriam, penè defecisse magnopere dolendum est) dogma de universalitate Redemptionis & Gratiæ divinæ per Christum, toties, tam apertè, tam nervosè adstruit, itáque objectionibus præcipuis, in contrariam partem allatis, occur-

occurrit, ut quicquam iſtis diſertius, aut accuratius, apud noſtræ ætatis doctiſſimos Scriptores, qui poſt eventilatam controverſiam vixêre, vix reperias. Sed audiamus ipſum. In Præfatione ad iſtam Expoſitionem poſt alia hæc habet: *Illi omnes qui ſub promiſſo comprehenduntur, ad Chriſtum pertinent. Eatenùs autem ſe extendit virtus & efficacia promiſſi divini ad ſalutem hominis, quatenùs rigor & juſtitia Legis vaget ad homines ob peccatum condemnandos.* Rom. 5. 17, 18. *Nam ſicuti per offenſam & peccatum unius hominis mors in omnes homines tranſiit ad condemnationem; (ut* Paulus *ait) ità per unius juſtitiam vita derivatur in omnes homines ad Juſtificationem. Verba promiſſi,* Adamo & Abrahamo *facti, idem confirmant. Ponam inimicitiam inter te & mulierem, inter ſemen tuum & ſemen mulieris, & ſemen ejus caput tuum conteret.* Gen. 3. 15. *Nam ſicuti in* Adamo *eramus ante lapſum ejus, ac proinde, ſi is non peccâſſet, eâdem innocentiâ ac perfectione præditi fuiſſemus, in qua ipſe creatus fuit: ità in ejus lumbis eramus, quando peccaret, ejúſque peccati participes facti eramus. Quemadmodum autem in ipſo eramus mali participes, ità in ipſo quoque eramus, cùm Deus gratiæ promiſſum ipſi fecit, ejuſdémque gratiæ participes facti; non ut* Adami *filii, ſed ut filii promiſſi. Itidem ſicut peccatum* Adami, *abſque cujuſquam privilegio aut exemptione, pertinuit ad omnes & ſingulos* Adami *poſteros: ità gratiæ promiſſum, ad omnes & ſingulos* Adami *poſteros pertinuit, perinde atque ad ipſum* Adamum. *Quod ibi planius exprimitur, ubi* Gen. 15. 4. 5. & 17. 1. *Deus promittit, ſe in ſemine* Abrahami *benedicturum omnes terræ populos.* Paulus *quoque nullum in Chriſto diſcrimen ſtatuit inter Judæum & Gentilem.* Gal. 3. 28. Col. 3. 11. *Ad hæc nunquam prohibitum fuit, quo minùs omnes, cujuſcunque gentis aut ſtirpis, Judaicæ religionis & cultûs participes fierent. Porrò S.* Paulus *collationem inſtituendo inter* Adamum *& Chriſtum, inter peccatum & gratiam, in eundem planè ſenſum interpretatur Dei promiſſum;* Rom. 5. 15. *dum Chriſtum* Adamo, *gratiam peccato neutiquam inferiorem eſſe ſtatuit. Si itaque omnes ſervabuntur (inquiet aliquis) quid de iis dicendum, de quibus* Petrus *loquitur, qui propter hæreſim peribunt? Quid de Chriſti effato; arcta eſt vitæ porta, & pauci eam ingrediuntur? Ad hoc ità reſpondet Scriptura: promiſſum gratiæ ad omne quidem genus hominum pertinere, omnéſque complecti; ſed intra certos fines ac limites, quos ſi tranſgre-*

grediantur homines, à promissione in Christo facta seipsos excludunt. Ità Cain *antequam seipsum exclusisset, non magis* [*à Deo*] *excludebatur, quàm* Abel; Saul *quàm* David; Judas *quàm* Petrus; Esavus *quàm* Jacobus. *Quanquam Scriptura ità loqui videatur, quasi à Deo lata fuisset in hunc salutis, in illum mortis sententia, priùs quàm vel hic Deum amâsset, vel ille Deum odisset. Verùm istæ Dei comminationes adversùs* Esavum, *nisi ex obstinatâ malitiâ seipsum excluserunt à gratiæ promisso, ejus salutem haud magis impedivissent, quam similes Dei minæ adversùs* Nineve, *ejus salutem impediverunt, quæ, cùm dixisset Deus ipsam perditum iri intra quadraginta dies, tamen diù posteà stetit ac permansit, quòd scil. pœnitentiam egerit.* Esavus *æquè ac* Jacobus *circumcisus fuit, atque à Patre suo, quod ad ritus omnes externos attinet, Ecclesiæ consecratus. Quòd autem in vita & actionibus suis justitiam atque equitatem non coluerit perindè ac* Jacobus, *in causa non fuit, oraculum Dei ad* Rebeccam, *sed propria ipsius malitia. Neque enim in loco illo quicquam de eo dicitur, quòd* Esavus *hæreditate vitæ æternæ privatus fuerit; sed tantùm futurum, ut is fratri in hoc mundo inferior esset. Quæ etiam prophetia non in personis, sed in posteris ipsorum impleta fuit. De hujusmodi reprobatione alterius, atque alterius acceptatione (nempe, quæ ad terræ promissum spectat) loquitur Propheta* Malachias, *ubi ex libri initio apparet; ubi ad hunc modum orditur: Diligo vos, ait Je-*
Mal.1.2,3. *hova; & dicitis, in quo diligis nos? Respondet Deus: Nonne frater fuit* Esavus Jacobo? *(inquit Jehova) dilexi tamen* Jacobum, Esavum *verò odio habui. In quo* Esavum *odio habuit Deus? Ostendit Propheta: Disposui montes ejus desolationi, & possessionem ejus draconibus deserti. In quo* Jacobum *dilexerit, textus ibidem declarat. Nempe, Deus jus hæreditatis, quod ad* Esavum, *ut fratrem primogenitum, pertineret, in* Jacobum *natu minorem transtulit. Itidem terra* Abrahamo *&* Isaaco *promissa, testamento data fuit* Jacobo *ejúsque posteris. Caterùm* D. Paulus *hoc* Jacobi *&* Esavi *exemplo usus est nullo alio consilio, quàm ut Judæis id eriperet, in quo maximè fiderent; hoc est, tum vanam eorum spem, quam ex eo, quòd secundùm carnem ab* Abrahamo *oriundi essent, in animo concepissent; tum etiam inanem fiduciam, quam in observatione Legis* Mosaicæ *posuissent.* Hactenus *Hooperus.* Quis verò Theologorum,

quos,

quos, ut *Novatores*, ſugillat D. *Tullius*, optârit, quicquam in hac Controverſia his diſertius ab ipſo dictum fuiſſe? Sed illud inprimis notatu dignum, beatiſſimum ἱερομάρτυρα planè ac plenè nobiſcum conſenſiſſe in expoſitione illuſtris pericopes *Paulinæ* cap. 9. ad *Rom.* ex quo præcipuè loco, malè intellecto, *Calviniſtæ* horrenda ſua, quæ impugnamus, dogmata deduxerunt.

28. Idem poſteà in eadem Præfatione, poſtquam ſuſè diſſeruerat de peccato originali, (per quod diſertè negat imaginem Dei in homine deletam eſſe) in hæc verba progreditur: *Hæc autem imperfectio ſive morbus ingenitus, ex Adamo contractus, hominem non excludit à promiſſo Dei in Chriſto, modò nè limites & fines originalis peccati per propriam ſtultitiam ac malitiam tranſgrediatur, atque ex contemptu ſive odio verbi divini in peccatum prolabatur, ſeque ipſum in imaginem diaboli transformat. Nempe hâc demùm ratione noſmet privamus promiſſis ac meritis Chriſti, qui infirmitates quidem noſtras, atque originale vitium, nequaquam verò ipſius legiſque ſuæ contemptum in ſe receperit. Porrò promiſſa ad eos pertinent, qui reſipiſcunt. Unde* Eſaias *dicit ſine exceptione, omnium hominum infirmitates ipſius humeris impoſitas fuiſſe. Quare noſtrâ refert ſedulo proſpicere, nè à communi gratiæ omnibus promiſſa noſmet excludamus. Cæterùm non eſt Chriſtiani hominis, vel ſalutem ſuam libero ſuo arbitrio aſcribere, atque peccatum originale extenuare cum* Pelagianis; *vel Deum peccati & damnationis noſtræ authorem ſtatuere cum* Manichæis; *vel denique cum* Stoicis *affirmare, Deum fatales leges ſanxiſſe, juxta quas, & vi ſortis ineluctabilis, alios quidem, quaſi arrepto capillitio, ad cœlos protrahat; alios verò in* Tartarum *præcipites agat. Verùm ex Scripturis cauſæ tum electionis, tum reprobationis diſcendæ. Cauſa igitur reprobationis, ſive damnationis, eſt peccatum in homine, qui Evangelium audire ac recipere nolit; vel etiam poſtquam ipſum receperit, per diutinam peccandi conſuetudinem in Evangelii contemptum prolabatur, &c. Vera eſt hæc ſententia quicquid de prædeſtinatione homines ſtatuerint. Deus non eſt cauſa peccati, neque vult hominem peccare. Dictum eſt enim, Tu non es Deus volens peccatum. Et rurſùs, perditio tua ex te O* Iſrael, *ex me verò ſalus tua. Cauſa Electionis noſtræ eſt miſericordia Dei in Chriſto. Nihilominùs qui hujus Electionis par-*

ticeps

ticeps esse velit, promissum in Christo per Fidem amplectatur, oportet. Nam ideo eligimur, quia posteà Christi membra facti sumus. Quare sicut in Justificatione sive Remissione peccatorum causa quidem est, sed nulla omnino dignitas in homine, qui Justificationem recipit; unde juxta Scripturas, ex eo judicamus hominem justificatum esse, ac Remissionem peccatorum accepisse, quòd gratiam in Christo promissam amplexus fuerit: ità de Electione quoque statuimus ex eventu in vita hominis contingente; nempe illos solos electos esse, qui misericordiam in Christo promissam amplectuntur. Neque aliter de Electione statuendum est. Sanè nihil à Beatissimo Martyre contra venenata quorundam (quos *Evangelicos* alicubi vocat) dogmata, quæ è *Calvini* Scriptis hausta, tum temporis in *Anglia* nostra glisscere cœperunt, disertiùs dici poterat. Nam clarè docet, 1°. Peccato & miseriæ, quam ex primo *Adamo* trahimus, gratiam Christi secundi *Adami* ità per omnia parem esse, ut nemo hominum propter solum originale peccatum æternam damnationem incurrat: 2°. Christum in Cruce sua omnium hominum infirmitates sine exceptione bajulâsse: 3°. Homines neutiquam fatali necessitate, vel ad salutem trahi, vel in Gehennam protrudi: 4°. Causam Reprobationis unicam esse hominis peccatum, non quodcunque, sed tantùm verbi, sive gratiæ divinæ sibi seriò oblatæ contemptum. Imò ulteriùs progreditur, & docet, 5°. Hominem ideò à Deo eligi ab æterno, quia posteà in tempore membrum Christi factus sit: (quod fortasse significatur in Articulo 17°. Ecclesiæ nostræ phrasi illâ, *in Christo eligi.*) 6° atque ultimo, Electionem hominis ab æterno, licèt pro objecto habeat hominem Christi gratiam Fide amplexantem, tamen prorsùs gratuitam esse; planè quemadmodum Justificatio hominis, quæ in tempore fit, gratuita omninò est, quanquam conditio Fidei necessariò in homine justificando requiratur. Qui plura volet, legat, quæ sequuntur in eadem Præfatione: Legat quoque ipsius libri cap. 17. & 19.

29. Cæterùm illud diligenter observandum est, locum *Hooperi*, quem proximè adduximus, magnam partem, transcriptum esse penè ad verbum ex *Philippo Melanthone* illo, qui Confessionem *Augustanam* exaravit: cujus dogmata, ut Scripturis & Veteris Ecclesiæ Decretis maximè consentanea,

nea, primos Reformationis noſtræ authores (rejectis Calvini placitis) amplexos fuiſſe alicubi dixi; neque dicti ejus me unquam pœnitebit. Non mihi hîc crédat Lector, ſed oculis ſuis. In locis Theologicis Melanthonis titulo de prædeſtinatione hæc legimus: *Semper autem diſputatum eſt de causâ electionis, ſicut fratres duo* Cain *&* Abel *diſputârunt, cur alter alteri prælatus ſit. Diſputârunt item* Eſau *&* Jacob, *ac plerumque hi, qui nihil niſi rationis aut legis doctrinam nôrunt, cogitant ut de judice humano, cauſam electionis legem eſſe, ſeu noſtra merita & dignitatem. Sic Judæi ſenſerunt, ſic ſcripſerunt plerique Sententiarii. Sed nos teneamus has tres hypotheſes. Prima eſt: Nec ex ratione, nec ex lege judicandum eſt de electione, ſed ex Evangelio. Altera eſt: Totus numerus Salvandorum propter Chriſtum electus eſt. Quare tertia eſt: Non aliam juſtificationis, aliam electionis cauſam quæramus. Ideo Petrus eſt electus, quia eſt membrum Chriſti, ſicut ideo juſtus eſt, id eſt, Deo placens, quia fide factus eſt membrum Chriſti. Ut igitur cum de Juſtificatione loquimur, ab Evangelio, ſeu agnitione vocis Evangelii ordimur; ſic de electione dicturi; complectamur vocem Evangelii: Sic nobis judicandum eſt, quin Chriſti agnitione & Evangelio ordiri debemus. Quærimus ergò promiſſionem, in qua voluntatem ſuam expreſſit Deus, & ſciamus non eſſe aliam voluntatem quærendam de gratia extra verbum,* &c. Idem mox: *Cauſam igitur reprobationis certum eſt hanc eſſe, videlicet peccatum in hominibus, qui prorſus non audiunt nec accipiunt Evangelium, aut qui abjiciunt fidem antequam hinc diſcedunt. In his certum eſt cauſam eſſe reprobationis peccatum ipſorum, & humanam voluntatem. Nam veriſſima eſt ſententia, Deum non eſſe cauſam peccati; nec velle peccatum. Nota eſt enim vox pſalmi: Non Deus volens iniquitatem tu es. Et Oſee 13. dicitur: Perditio tua eſt Iſrael, tantùm in me auxilium tuum eſt.* Saul *volens effudit Spiritum Sanctum, volens moventi Spiritui Sancto repugnavit. Hæc de cauſa rejectionis, ſeu reprobationis certa ſunt, promiſſio enim requirit fidem. E contrà verò rectè dicitur, cauſam electionis eſſe miſericordiam in voluntate Dei, qui non vult perire totum genus humanum, ſed propter filium colligit, & ſervat Eccleſiam. Hoc vult* Paulus, *cùm 9. capite ad Romanos citat dictum, miſereor cujus miſereor. Negat propter Legem, propter prærogativam generis, homines electos eſſe: ſiat illuſtrius*

Corp. Theol. p. 559.

p. 560.

propter filium electam & conditam esse Ecclesiam; sed tamen in accipiente occurrere oportet apprehensionem promissionis, seu agnitionem Christi. Nam ideò electi sumus, quia efficimur membra Christi. Ergo ut in Justificatione diximus, aliquam esse in accipiente causam, non dignitatem, sed quia promissionem apprehendit, cum quâ Spiritus Sanctus simul est efficax, ut Paulus inquit, fides ex auditu est: Ità de electione à posteriore judicamus, videlicet haud dubiè electos esse eos, qui misericordiam propter Christum promissum fide apprehendunt, nec abjiciunt eam fiduciam ad extremum. Quis jam non agnoscit, *Hooperum* nostrum ex *Melanthone* sapuisse? Sequuntur ibidem apud *Melanthonem* hæc verba: *Sic cum Joan. 6. dictum esset, nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum: sequitur statim, omnis qui audit à Patre & discit, venit ad me. Orditur Deus & trahit nos verbo suo, & Spiritu Sancto; sed audire nos oportet & discere, id est, apprehendere promissionem & assentiri, non repugnare, non indulgere diffidentiæ & dubitationi.* Eadem planè habet *Hooperus* mox post illa, quæ ex ipso postremò citavimus. *Joannes dicit, nemo venit ad me, nisi Pater traxerit eum. Multi hæc verba perperam intelligunt, quasi Deus in homine, ratione prædito, nihil amplius requireret, quàm in stipite; neque attendunt ad verba, quæ sequuntur, omnis qui audit & discit à Patre venit ad me. Deus trahit verbo suo & Spiritu Sancto; sed hominem oportet audire & discere,* id est, *amplecti gratiam oblatam, assentiri promissioni, ac Deo vocanti non repugnare.* Sed ista obiter, etsi haudquaquam frustrà.

30. **Ad alterum** jam testem nostrum progredior, nempe sanctissimum illum *Latimerum*. Plurimis ille in locis *Melanthonianam* doctrinam juxtà cum Symmista suo *Hoopero* palàm tuetur ac defendit. E multis pauca adferam. In Concione in Septuages. ità scribit: *Quando in hac quæstione (de Electione) versamur, ac dubitationibus angimur, an electi simus nècne, hoc semper, tanquam axioma quoddam indubitatum, ob oculos habendum est, Deum esse erga nos benevolum; Deum amare nos; Deum adversùs nos animum paternum gerere. Atqui, inquies, quomodo hoc sciam? Quâ ratione adducar, ut hoc credam? Dei erga nos benevolentiam cognoscere licet per Christum. Quippe Deus se nobis patefecit in Christo Filii suo, testante S. Joanne Evangelistâ, Filius, qui est in sinu Patris,* Latin. Conc. par. 3. p. 213.

ipse

ipſe revelavit. Inde igitur Dei erga nos benevolentiam atque amorem percipimus, quòd eundem Filium ſuum in mundum miſerit, qui acerbiſſimam pro nobis mortem perpeſſus fuerit. Fierine jam poteſt, ut cogitatio iſta animum meum ſubeat, Deum me odio habere, aut de ejus adversùs me amore ambigam? Vides, quâ ratione perplexam illam & periculoſam de Prædeſtinatione divina quæſtionem evitare poſſis. Quippe ſi ejus conſilia velis inquirere, & quaſi conſiſtorium ejus ingredi, fallet te ingenium tuum. Quòd ſi à Chriſto exordiaris, ejúſque in mundum adventum perpendas, perſuaſum habens, Deum tui gratiâ, illum miſiſſe, ut pro te pateretur, téque à peccato, morte, Diabolo atque inferno liberaret; tum demùm tibi, hâc cognitione Chriſti inſtructo, ſtulta illa quæſtio non officiet. Nam in libro vitæ es, qui eſt Chriſtus ipſe. Porrò ex hac ſententia, multi ſunt vocati, &c. diſcimus, Evangelii præconium eſſe univerſale, atque ad totum humanum genus pertinere, juxta illud quod ſcriptum eſt, In omnem terram exivit ſonus eorum. Indè autem quòd Evangelium ſit univerſale, Pſal. 19. *liquet velle (Deum) ut totum genus humanum ſervetur, neque* Rom. 19. *ipſi imputandum eſſe, quòd æternùm pereamus. Scriptum eſt enim, Deus vult omnes homines ſalvos fieri.* Lege etiam, quæ ibidem ſequuntur, quæ ſolo brevitatis ſtudio prætermittimus. Idem in Concione in Dominic. 1. *Quòd magna, inquit, hominum multitudo æternam damnationem incurrat, Deo nequaquam* par. 3. *imputandum eſt; quippe Deus vult omnes homines ſalvos fieri;* fol. 207. *ſed nobis ipſis noſtræque ipſorum dementiæ, qui damnationem, quàm ſalutem malimus.* Idem paulò pòſt in eadem Concione: *Ità tecum cogita, Deum elegiſſe eos, qui in Chriſtum credunt, Chriſtúmque eſſe vitæ librum. Si in ipſum credas, libro vitæ inſcriptus es, & ſervaberis. Itaque non opus eſt, ut hîc turbemur curioſis quæſtionibus de Prædeſtinatione Dei.* Ubi quod dicit, *Si in ipſum credas, libro vitæ inſcriptus es, & ſervaberis*, exponendum eſſe de Fide perſeverante, indè liquet, quòd mox ibidem diſertè doceat, *fieri poſſe, ut qui libro vitæ jam inſcripti ſumus, poſteà Deum & verbum ejus obliviſcentes, & nequiter agentes, ex eodem deleamur*: quæ verba ſuprà in quæſtione de Perſeverantia jam citavimus. Denique idem *Latimerus* (ut alia plurima beatiſſimi Patris loca, huc ſpectantia omittam) in Conc. 6. in Orat. Dom. contra Novatum par. 2. Hæreticum differens, hæc habet: *Chriſtus ſolus, neque alius* p. 92.

quisquam, meruit Remissionem, Justificationem, æternámque adeò Fœlicitatem iis omnibus, qui id ipsum credere volunt: qui nolunt id credere, non habebunt. Quippe nihil amplius hîc requiritur, quàm ut credas & habeas. Nam Christus haud minorem sanguinis sui portionem pro Juda *effudit, quàm pro* Petro. Petrus *credidit, & servatus fuit;* Judas *credere noluit, propterea que damnatus fuit, ipséque solus perditionis suæ author fuit.* Deus bone! In quæ nos tempora reservâsti! Si virbius esset sanctissimus ἱερομάρτυς, atque his temporibus talia sive in Scriptis, sive pro concione doceret, quàm mox exclamarent zelotæ nostri, ὦ κατάρατε. Quibus ipsum, ut hæreticum Pelagianum, Arminianum, &c. convitiis conspurcarent! Scil. hi boni viri de consensu suo, si superis placet, cum primis Reformationis nostræ authoribus gloriantur, cùm interim eos, qui nihil aliud docent, quàm quod ante ipsos beatissimæ illæ animæ docuerunt, apud indoctam plebeculam, ut *Novatores*, infamant, atque omnibus modis student opprimere. Sed me reprimo.

31. Ex iis autem quæ hactenùs de Ecclesiæ nostræ doctrina à nobis dicta sunt, videbit Lector, quo judicio D. *Tullius*, Novatoribus, quos vocat, hæc verba tribuerit, nempe, Reformationis nostræ Patres *viros fuisse bonos, sed* Calvini *aut Fanaticismi aliquid in albo habuisse.* Scil. toto hîc cœlo errat D. *Tullius*: nemo ex Novatoribus suis, qui sapit, illud dixerit. Nam à *Calvini* (viri licèt excellentis ingenii, atque in multis de Reformatione optimè meriti) tum disciplinâ tum doctrinâ (quâ parte ipse à *Melanthone* aliísque instaurati purioris Christianismi magistris antiquioribus abierit) prorsùs alienos fuisse primos Reformationis nostræ Authores, satis constat. Nimirùm positis his duabus hypothesibus; 1. Christum etiam eos, qui pereunt, verè redemisse; 2. Posse verè in Christum credentes, & per Christum justificatos, à Fide & Justificatione, suâ culpâ, penitùs deficere atque æternùm perire; (quæ manifesta sunt atque indubitata Ecclesiæ nostræ dogmata) corruit tota Calvinismi, qui dicitur, moles & machina: quod cuivis rem vel mediocriter attendenti mox liquebit. Frustrà autem hîc ad Articulum de Prædestinatione recurritur: neque enim cum quoquam contentionis serram trahemus de ulla Dei Prædestinatione, quæ duo ista fundamenta,

Justif. Paulin. p. 26.

damenta, ab Eccleſia noſtra manifeſtè poſita, non evertat. Hoc unum contendimus, ex incertis variéque diſputatis Prædeſtinationis occultæ conceptibus, & ſpeculationibus, non neganda eſſe hæc tam clara, fixa & ſtabilita Scripturæ, Eccleſiæ noſtræ & Catholicæ dogmata; ſed potiùs ex his apertis & manifeſtis ſecreta illa ità explicanda, ut cum ipſis verè poſſint conſiſtere: quod dudùm monuit Præſul doctiſſimus. Eccleſia noſtra in art. 17. Prædeſtinationis doctrinam verbis tradit ità temperatis, ut nemo Catholicus cauſam habeat, cur articulum repudiet: præſertim ſi *Hooperus* (qui Synodi illius, unde articuli noſtri primùm prodiere, pars magna fuit) pro idoneo ipſius interprete habendus ſit, aut etiam *Latimerus* Epiſcopus *Hoopero συγχρονος*. Sed & poſtquam Eccleſia ità prudenter & cautè doctrinam iſtam explicaverat, filios ſuos ab eâ ſpeculatione omnino abſtrahit, negátque ex quoviſcunque Prædeſtinationis conceptu, tanquam regulâ, vitam noſtram dirigendam eſſe; ſed contrà docet *promiſſiones divinas ſic amplectendas, ut nobis in S. literis generaliter propoſitæ ſunt, & Dei voluntatem in noſtris actionibus eam ſequendam eſſe, quam in verbo Dei habemus diſertè revelatam.* Scil. idem antea fecerant Auguſtani: *Non eſt hîc* (inquiunt titulo de fide) opus *diſputationibus de Prædeſtinatione & ſimilibus; nam promiſſio eſt univerſalis.* Certè per quatuor ferè prima ſæcula; de Prædeſtinatione illâ, quam plerique hodiè totius Chriſtianiſmi baſin & fundamentum eſſe exiſtimant, nemo Catholicus ſomniavit. Optimi illi Chriſtiani, vitâ & morte ſuâ illuſtres, & vivebant & moriebantur his freti hypotheſibus: Chriſtum eſſe communem hominum ſervatorem; neminem, cui Evangelium Chriſti innotuit, poſſe ad cœleſtem beatitudinem pervenire, niſi Evangelicis præceptis obtemperet; ſine gratiâ & Spiritu Chriſti præcepta ipſius neutiquam præſtari poſſe; gratiam Dei ſalutem hominis non efficere abſque cooperante ipſius induſtriâ; eandem gratiam nemini deeſſe; qui per gratiam Dei in ſtatu ſalutis jam conſtitutus eſt, poſſe ab eodem, ſuâ culpâ, excidere, atque æternùm perire; proinde oportere, eum qui ſtat, videre ne cadat: his, inquam, & ſimilibus axiomatis vita ipſorum regebatur. De providentia, contenti fuerunt credere, Deum

* *Retractatis priorum hâc de re opinionibus, penè omnium par invenitur & una ſententia, quâ propoſitum & Prædeſtinationem ſecundùm præſcientiam receperunt: ut ob hoc Deus alios vaſa honoris, alios contumeliæ fecerit, quia finem uniuscujuſque præviderit; & ſub ipſo gratiæ adjutorio, in qua futurus eſſet voluntate & actione, præſcierit.* Proſper. Epiſt. ad Auguſtin. de reliq. Pelag. Hær. prope finem.

* præſcire omnes omnium hominum actiones, quin & eaſdem, ut viſum eſt ſapientiæ, juſtitiæ & bonitati ſuæ, regere ac diſponere, ſalvâ ſemper libertate, quam ipſe homini indidit. Utrùm per definitiones illas magis particulares, de Prædeſtinatione divina quæ poſteà, ex præfervidâ Auguſtini cum Pelagio concertatione natæ ſunt, quicquam emolumenti acceſſerit † veritati Catholicæ, pietati Chriſtianæ, aut paci Eccleſiaſticæ; annon potiùs deploranda inde Schiſmata, & peſſimi errores (quales Prædeſtinatianorum, &c.) exorti, moréſque hominum in deterius mutati fuerint, dicant hiſtoriæ Eccleſiaſticæ periti. Verbo igitur, ex animo amplectimur & reveremur ſapientiſſimum Regiæ majeſtatis decretum, articulis noſtris præfixum: *Itaque in his tam curioſis, tam infœlicibus controverſiis, quæ per tot annorum centurias, variis locis ac temporibus, Eccleſiam Chriſti exercuerunt, volumus, ut ulteriori omni diſquiſitione ſuperſedeatur; atque diſputationes iſtæ promiſſionibus divinis, prout generaliter nobis propoſitæ ſunt in S. Scripturis, ac generali ſententiâ articulorum Eccleſiæ Anglicanæ juxta ipſas concludantur.*

† Hilarius epiſt. ad Auguſtin. de Maſſilienſium ſententiâ, ait, fuiſſe inter Catholicos, qui cum non auderent dogma Auguſtini de abſolutâ Prædeſtinatione, ut falſum omninò improbare, dicerent tamen, & novum illud eſſe, & quod nullo firmiorum periculo reticeatur, magno autem infirmiorum periculo tradatur. Verba ejus ſunt: *Ad ſummum, fatigatis omnibus nobis, ad id profecutio eorum, vel potiùs querela convertitur, conſentientibus etiam his, qui hanc definitionem improbare non audent, ut dicant: Quid opus fuit, hujuſcemodi diſputationis incerto tot minùs intelligentium corda turbari? Neque enim minùs utiliter, ſine hâc definitione, aiunt, tot annos, à tot tractatoribus, tot præcedentibus libris, & tuis & aliorum, cùm contra alios, tum maximè contra Pelagianos, catholicam fidem fuiſſe defenſam.* Idem pronuntiârunt de iſtis Auguſtini novis hypotheſibus *Cœleſtinus* Epiſcopus *Rom.* cum clero ſuo epiſt. ad *Galliæ* Epiſcopos, in fine: *Profundiores verò, inquiunt, difficilioréſque partes incurrentium quæſtionum, quas latiùs pertractârunt, qui Hæreticis reſtiterunt, ſicut non audemus contemnere, ità non neceſſe habemus aſtruere.*

Poteram autem & alia Doctoris placita recenſere, in quibus ille ab Eccleſiæ Anglicanæ ſententiâ receſſerit; ſed ea ferè minoris momenti ſunt, atque ex his, quæ jam diximus, abunde evincitur, quod probandum ſuſcepimus, nempe, D. *Tul-*

D. *Tullium* in nonnullis Chriſtianæ doctrinæ capitibus, Eccleſiæ *Anglicanæ*, aliarúmque Reformatarum nobiliorum, adeóque Catholicæ definitionibus omninò repugnare. Jam igitur redeamus ad Juſtificationem Paulinam.

SECTIO VIII.

Ad reliqua Capita.

1. QUÆ à D. *Tullio*, in ſequentibus capitibus, contra *Harmoniæ* authorem ſparſim diſputantur, ea omnia, nempe quæcunque alicujus momenti ſunt, jam in examine noſtro prolixè refutavimus. Nimirum cenſor ille noſter omnem ferè ipſi argumentandi materiam præripuerat. Ac ſanè breves iſtæ ſtricturæ, ſive Animadverſiones, quas ille ad oram libri noſtri properanter, ut videtur, ſcripſit, quantulæ eæcunque ſunt, juſto reſponſo non tam abſimilia videntur, quàm quæ D. *Tullius* in hoc opere ſuo elaborato nobis repoſuit. Veréne an invidiosè hæc ſcripſerim, penès æquum Lectorem judicium eſto.

2. Habet fateor D. *Tullius* argumenta quædam ſibi propria & peculiaria, Ea vero qualia! *Omnia opera divinâ lege præcepta, ſunt oppoſita gratiæ: opera quæcunque bona ſunt tali aliquâ lege præcepta; ergo eatenus oppoſita gratiæ.* Juxta quod argumentum fides & pœnitentia, in Evangelicâ lege præcepta, ſunt opera oppoſita gratiæ, idque eo nomine quòd lege aliquâ præcepta ſint. Quaſi ſcil. gratiæ & libertati Evangelicæ repugnaret, Chriſtianum præcepto aliquo divino obſtringi. Rurſus: (quo argumento mirè gloriatur) *Si juſtificemur ex operibus, non propter eorum dignitatem aliquam, quid obſtat, quò minùs ex operibus adiaphoris Juſtificemur, perindè ac bonis?* Quaſi verò inter opus *meritorium* & ἀδιάφορον medium non eſſet opus bonum, quo homo diſponatur, atque idoneus reddatur ad gratuita Dei beneficia recipiendum; quæ idoneitas nonnunquam.

Juſt. Paulin. p. 46.

p. 47.

quam † *dignitatis* nomine in Scripturis venit: aut quasi quisquam nostrum operibus bonis vel hanc *idoneitatis* dignitatem detraheret, vel istam *meriti* tribueret; aut denique quasi verum esset, hominem per opera adiaphora disponi ad beneficia divina recipiendum, perinde atque per opera bona. Nonne is abundat otio, cui vacat, istiusmodi sophismata operosè refellere? Itaque integrum mihi esset, capita illa sequentia absque ulteriori responsione transmittere, nisi me remorarentur calumniæ quædam insignes, (utinam, ut cum D. *Tullio* loquar, rei indignitas mollius aliquod pateretur vocabulum) quibus, si existimationis meæ omninò incuriosus videri nolim, necessariò respondendum sit.

† *In S. Scripturis fideles dicuntur digni hâc vel illâre, non quòd habent merita æqualia & commensurata ad talem rem obtinendam; sed quòd ità dispositi sunt ut juxta ordinationem divinam idonei existant, quibus Deo dignante tale præmium tribuatur. Dignitatis igitur vocabulum non probat meritum propriè dictum inesse illi, qui dignus regno cœlesti pronuntiatur; sed ostendit solummodò, eum habere dispositionem, sive idoneitatem illam, quam Deus prærequirit in illis, quibus regnum cœleste donatur. Nam ut verè contritus dicitur veniâ dignus, non quòd ipsa contritio sit meritum veniæ; sed quòd contineat illam dispositionem, cui Deus statuit veniam indulgere: sic fidelis sanctitati studens, dicitur dignus cœlesti regno, non quòd fides, aut sanctitas nostra ex condigno cœlum mereatur, sed quòd contineat in se illam idoneam dispositionem, cui regnum cœleste à Deo Patre per misericordiam promittitur,* &c. Davenant. de just. act. c. 00. p. 605, 606.

3. Capite quinto pag. 42. ait D. *Tullius*, *Harmonistam Orthodoxos, sibi adversantes, ubique Solifidianorum vocabulo molliter castigare; ipsi sociisque suis Solifidianos esse omnes, quicunque Helenam istam operum à justitia divellunt, nempe Patres, Ecclesiam Anglicanam, adeóque Reformatas omnes.* Et tamen idem alibi fatetur, me *in hac controversia cum pugilibus & ducibus illis veteranis arma non fastidire socialia, imò sollicitè ambire*; fatetur à me obtendi saltem, *Ecclesiarum Reformatarum confessiones omnes, vel certè earum primas, à partibus meis stare.* Quomodo hæc sibi constant? Sanè nunquam mihi in animo fuit Ecclesiis Reformatis, nedum Patribus, bellum indicere. Verùm illud constanter affirmo, (quod & suprà probavi) esse quàm plurimos, qui cùm nihil ferè magis quàm *Patres* & *Ecclesias Reformatas* crepent, à genuina tamen tum Patrum tum Ecclesiarum Reformatarum antiquissimarum doctrinâ quàm longissimè recesserunt. *Solifidianorum* autem vocabulo illi meritò castigantur, qui fidei soli simplici virtuti justitiam tribuunt, seclusâ verâ pœnitentiâ, ut nullatenus

Justif. Paulin. p. 13.

p. 28.

tenus neceſſariâ ad juſtificationem obtinendum. Annon hujus ſolifidianiſmi reum coarguerim D. *Tullium*, Eccleſiam verò *Anglicanam*, cæteráſque Reformatas ab ea accuſatione liberaverim, judicent omnes. His tamen non contentus D. *Tullius* criminationibus, mox in *Harmoniſtam* ejúſque ſocios ità invehitur: *Quid itaque aliud dicendum, quàm quòd hæc & hujuſmodi ſtigmata veritati inuſta, ſi ſcenæ (quod valdè metuendum) haud ſerviant, aut ſciolorum ſunt ineptiæ, aut malevolorum calumniæ?* Quod tantundem eſt ac ſi dixiſſet, Harmoniſtam cum ſociis ſuis vel ſtultos eſſe, vel nebulones. Ut ſciolum & ineptum à Doctore contemni neminem prudentem movebit, qui, quo ſua ille ferè omnia ſcripſerit judicio, ſecum cogitaverit. Quòd verò nos ſcenæ ſervire dicat, illud nequaquam ſilentio prætereundum. Abſit, ut hîc reſpondeam quod non abſimili criminationi repoſuit vir magnus, *viles venaléſque animæ alios de ſe æſtimare ſolent*; ſpero enim longè aliam D. *Tullio* mentem eſſe. Neque de Harmoniſtæ ſociis, quos vocat, quicquam dicam, qui eam ætatem habent, ut pro ſe reſpondeant. Ad meipſum verò quod attinet, ſanè turpem iſtam artem Theologiam meam ità attemperandi, ut ſcenæ contra veritatem ſerviat, neſcio juxta cum ignariſſimis. Cùm primùm me S. Theologiæ & Eccleſiæ conſecrarem, Deus novit, quàm ſincero animo id fecerim, quantóque adeò divinam gloriam atque animarum ſalutem pro virili meo promovendi zelo & ardore flagraverim. Quippe mihi, in ipſa adoleſcentia maximam Dei gratiam & miſericordiam erga graviſſimos peccatores experto, illo Domini ad Petrum monito perſonabant aures perpetuò, *Tu verò converſus confirma fratres*. Hinc Eccleſiæ Anglicanæ in eo temporis articulo, quo penè deſerta fuerat à ſuis pleriſque, ac planè deriſa ab hoſtibus, ſacris ordinibus juxta ritum ejus initiatus, me addixi, cui etiam per aliquot annos tantùm non gratis operam navabam. Et jam liquidò affirmare poſſum me ad ſerviendum Eccleſiæ magnam Patrimonii mei partem inſumpſiſſe: cujus officii hanc unam mercedem (quâ unâ contentus ero) jure poſtulâſſe videar, ut per Doctorem & alios liceat mihi pro vero & genuino Eccleſiæ filio habe i. Dogmata verò illa, ob quæ, ut novatorem & neſcio cui ſcenæ ſervientem, me ſugillat D. *Tullius*, (quæ ego Luc. 22. v. 32.

alia non esse, quàm ipsissima Ecclesiæ nostræ & Catholicæ decreta persuasum habeo) in ipsa Ecclesiæ & Regni nostri ἀκαταστασία palàm, liberè & constanter professus sum & docui, propterèaque Schismaticorum odiis & convitiis undique impetitus fui. Quàm vellem autem me V. R. ad istam gloriandi stultitiam non adegisset!

4. Capite 7. p. 57. argumentum quoddam meum recitat D. *Tullius* ex Harmoniâ Apost. p. 283. quod sic habet: Quatenùs Paulus opera ritualia & externa, ut non necessaria rejicit, eatenùs opera spiritualia & interna, ut necessaria admittit: sed opera spiritualia rejicit, ut non necessaria ad Justificationem; ergò opera spiritualia, ut ad Justificationem necessaria admittit. Quid ad hæc D. *Tullius*? *Propositionem*, inquit, *utpote falsam (ne quid de ea gravius dicam) qui probat! mero quidem silentio; quasi principium esset αὐτοπρόσλον, aut ipsum fortiter asserere esset illam demonstrare.* Hem viri candorem & fidem! Suis ipse oculis locum inspiciat lector cordatus, & videbit me Syllogismi propositionem gravissimis argumentis confirmâsse. Primò illam probo ex locis Scripturæ disertissimis, nempe *Gal.* 5. 6. & 6. 15. & 1 *Cor.* 7. 19. in quibus Apostolus *fidem charitate perfectam, novam creaturam, observationem mandatorum Dei* opponens *circumcisioni* & (consequenter) cæteris externis ritibus legis Mosaicæ, de his affirmat, quòd nihil in Christo Jesu valeant, hoc est, ad Justificationem & salutem hominis nihil conducant, neque ullo modo necessaria sint: quod verò his detrahit, istis, puta fidei charitate perfectæ, novæ creaturæ, observationi mandatorum Dei, manifestè largitur, nempe necessaria ipsa omnino esse, ac plurimùm valere ad Justificationem & salutem juxta Evangelium obtinendum. Quibus locis & ista addo, *Col.* 2. 11, 12, 13. *Rom.* 2. 28, 29. *Phil.* 3. 2, 3. Hæc præmitto, ac tanquam firmissimum Syllogismi mox secuturi fundamentum suppono p. 282. § 4. Deinde (§ 5.) adducti syllogismi propositionem confirmo argumento, à primario fine sive scopo legis Mosaicæ ritualis desumpto. Ideò externam illam justitiam pœnis adeò severis exigebat Deus, ut indè manifestum fieret, justitiam spiritualem in Evangelio clariùs revelandam, atque alterâ illâ adumbratam, æquè, imò multò magis esse necessariam. Nimirùm ut externa Justificatio,

catio, quæ per legem concedebatur, umbra fuit veræ Justificationis per Christum obtinendæ; ità circumcisio carnis, quæ ad externam illam Justificationem exigebatur, cordis circumcisionem, (per fidem nempè, pœnitentiam & sincerum Dei amorem) quæ ad veram remissionem peccatorum, sive Justificationem consequendum, juxta Evangelium, prorsus necessaria sit, omninò repræsentabat. Quid his clarius? Denique istis pro Coronide in margine adjicio illustrem locum *Justini Martyris* Dialog. cum Tryphone: p. 320. Paris. 1636.
Καὶ ἡμεῖς οὖν ἐν ἀκροβυστίᾳ τῆς σαρκὸς πιστεύοντες τῷ Θεῷ διὰ τοῦ Χριστοῦ, καὶ περιτομὴν ἔχοντες τὴν εὐφελοῦσαν ἡμᾶς τοὺς κεκτημένους, τοῦτ' ἔστι τῆς καρδίας, δίκαιοι καὶ εὐάρεστοι τῷ Θεῷ ἐλπίζομεν φανῆναι. i. *Nos igitur in præputio carnis Deo per Christum credentes, & circumcisionem obtinentes, nobis eam assecutis utilem, cordis scil. circumcisionem, speramus fore, ut justi ac Deo grati appareamus.* Ubi clarè docetur, juxta Evangelium non modò fidem in Deum per Christum, sed cordis circumcisionem, externâ illâ in lege Mosaicâ præscriptâ circumcisione adumbratam, prorsus necessariò ad id requiri, ut quis justus & Deo gratus fiat. Jam verò æqui omnes judicent, quâ conscientiâ dixerit D. *Tullius*, me argumenti mei propositionem mero silentio probâsse.

5. Mox p. 58. excurrit V. R. in logicas quasdam argutias, ad rem sanè nihil pertinentes, deinde ad *Harmonistam* (quem nunc novo *Dissertatoris* nomine indigitat) iterum redit his verbis: *Cum verò in postscripto suo tam ingenuè nos monuit Dissertator, opus totum Harmonicum à se admodum juvene conscriptum, sine ullo, ut videtur, ætatis maturioris obelo, quid obstat, quo minùs hoc cum reliquis similibus per totum librum securè volitantibus, ætati demus?* Neque hoc tantùm in loco, sed & alibi passim ingenuam hanc (ipso fatente) confessionem meam perstringit, parùm sanè ingenué. Ad quæ omnia toties repetita, hîc semel respondeo. *Harmoniam* quidem scripseram circa annum ætatis vicesimum septimum; sed ipsam me sine ullo ætatis maturioris obelo evulgâsse longissimè à vero abest. Nam ex quo opus perfeceram, ad ejusdem editionem anni aliquot præteriêre. Per quod tempus illud non modò ipse sæpiùs relegi, sed & doctiorum amicorum liberæ censuræ permisi, quorum in manibus diu hæsit.

Tandem dissertationes istas eruditissimi atque admodum reverendi Antistitis D. *Gulielmi Episcopi Gloucestrienſis* τῦ μακαρίτυ judicio censendas obtuli. Quam ille de ipsis sententiam tulerit, cognoscat lector ex epistola mea ad ipsum nuncupatoria, ubi verissimè (ac sanè si non verissimè, bipedum omnium impudentissimus fuerim) ità doctissimum Præsulem affatus sum: *Perlegisti (neque id festinanter) singula utriusque dissertationis capita, patientiâ tuâ prolixitatis tædium devorante; perlecta comprobâsti tuo calculo, quin & (pro benevolo, quo me meâque omnia complecti solitus es, affectu) tuis laudibus condecorâsti.* Verissimè, inquam, me hæc scripsisse & Deum & homines testes habeo. Quæ eò libentiùs refero, quòd D. *Trumannus*, in calce libri sui adversùs me scripti, suspicari se profiteatur, me ista confinxisse, quò scil. tanti Præsulis, támque eruditi Scriptoris suffragio dogmatis meis fidem conciliarem. Nescio sanè, quis ipsi animus fuerit, qui tam iniquam & malevolam suspicionem de homine, cui de nulla mala fama noto, eóque Theologo & Ecclesiæ Presbytero in sinu suo favere poterat, adeóque palàm proferre non erubuerit. Sed cùm fato ille cesserit, ejus manibus parcendum. Cæterùm annum jam agens secundum supra quadragesimum, *Harmoniam* (tot hominum clamoribus admonitus) legi & relegi seriò, abjectâ omni (utì spero) φιλαυτίᾳ, certè præmissis ad Dominum precibus, ut lumine suo cœlesti mentem meam illustrare, & quoscunque meos errores contra divinam veritatem mihimet monstrare dignaretur; quibus sanctè quoque vovi & spospondi, me ostensos errores, súsque déque habitâ existimatione meâ, palàm & publicè coram Ecclesia abrenuntiaturum. Post tam accuratum & religiosum operis examen, si cupis scire, quid de ipso ipse tandem sentiam, dicam sincerè. Video clariùs (quod & ex parte videram, cùm opus primùm evulgâssem; unde ista in postscripto confessio, quam toties & tam inclementer exagitat D. *Tullius*,) esse ibi nonnulla, quæ dilucidiùs & plenius explicari poterant, atque, in juniorum saltem gratiam, debuerant; quam explicationem in examine utcunque supplere conatus sum. Video interpretationem meam unius & alterius loci Paulini difficilioris in dubium vocari posse, quanquam certior mihi expositio nondum occurrat. Sed

ad

ad ſummam quod attinet doctrinæ de Juſtificatione hominis, duam defendo, atque ad ſcopum utriuſque Apoſtoli, *Pauli* & *Jacobi*, quorum conciliationem ſuſcepi, perſuaſiſſimum habeo, me à veritate & Catholicâ ſententiâ nequaquam aberrâſſe. Qui verò tanto cum faſtu juvenilem Harmoniſtæ ætatem toties exprobrat, utinam non ea ſcripſiſſet in maturiori ætate, quæ ſanè ipſius gravitatem minimè decent.

6. Eodem capite p. 59. affirmat D. *Tullius*, Harmoniſtam ſuper hanc rupem cauſæ ſuæ totam collocare molem, opera ſcil. à *Paulo* excluſa ejuſmodi tantùm eſſe, quæ ſine gratia Evangelica perficiuntur, vi legis Moſaicæ, vel etiam naturalis. Atque ad illud probandum citat Diſſert. poſter. cap. 12. n. 2. Sed locum adeat Lector, & aliam planè ſententiam reperiet. Verba mea hæc ſunt: *Quiſquis ea, quæ diximus, penitiùs intellexerit, facilè is videbit, opera quæ* Paulus *à Juſtificatione ſimpliciter excludit, ejuſmodi tantùm eſſe, quæ ſine gratiâ Evangelicâ perficiuntur vi legis Moſaicæ vel etiam naturalis.* Scil. hîc omittit, pro more ſuo, D. *Tullius* vocabulum illud *ſimpliciter*. Et tamen in ipſo etiam capitis elencho vocem illam græcè poſueram, quò à Lectore attentiùs obſervaretur. Nimirum concedo, *Paulum* opera quæcunque etiam ex gratia profecta à juſtificatione excludere κατὰ τι *ſecundùm quid*, nempe eatenus, ut omne ipſis meritum Juſtificationis detrahat: ſed à Juſtificatione ἁπλῶς & *ſimpliciter*, ut nullo modo neceſſariam aut conducentem ab ipſo excludi tantùm juſtitiam illam externam humanam & carnalem, quam litera legis Moſaicæ (& conſequenter lex naturalis) præſcribit, quæque abſque ſpeciali Evangelii gratiâ perfici poterat, omnino affirmo. Vide quæ diximus in *Examine* reſp. ad animad. 20. § 1.

7. Eodem rursùs capite p. 60. citat D. *Tullius* ex Harm. Apoſtol. diſſert. poſter. cap. 10. § 4. hæc verba tanquam mea: *Lex Moſis eo ipſo, quòd promiſſa & minas tantùm temporales continebat, ad ingenerandum hominibus genium atque ingenium humile ac ſordidum, atque à vera ac genuinâ pietate planè alienum, ex ſe apta nata erat.* Deinde ſic *paratragœdiat*: Ποῖον ἔπος. *Ore Chriſtiano ac auribus quàm indignum! Populo ſuo Deus legem dedit, quæ (non per accidens & vitio humano, ſed) Ex Se apta nimirum nata erat hominem à Deo abducere*, &c.

Hanccine Theologiam appellabimus? Certe Calviniſmum, quem vocant, omnem diritate ſuperat. Piget pudétque ſubleſtam Doctoris fidem in verbis meis citandis toties notáſſe. Scil. hîc mihi tribuit verba *ex ſe*, & ne Lector dubitaret, quin ità revera ſcripſerim, iſta repetit, adcóque literis majuſculis imprimenda curavit. Et tamen verba iſta *ex ſe* planè è ſuo addidit & confinxit, utì locum ipſum conſulenti patebit. Hæc fraus quàm indigna homine Chriſtiano, nedum Theologo! Hunccine candorem appellabimus? Illud autem dictum meum, nempe legem Moſis per ſe & juxta literam ſpectatam, quomodo eam ſpectárunt carnales Judæi, eo ipſo quòd promiſſa & minas tantùm temporales, quin & præcepta externa & carnalia contineret, ad ingenerandum hominibus genium atque ingenium humile, *&c.* aptam natam fuiſſe, quàm ſit innocens, quam verum & certum, quàm Veterum Doctorum, adcóque Scriptorum Θεοπνεύστων ſententiis conſentaneum, luculenter oſtendi in *Examine* Reſp. ad animad. 22. per tot. quò lectorem remitto. Quorsùm verò movetur hîc *Calviniſmi* mentio? Scil. Doctori Calviniſmus iſte cordi curæque eſt, eíque à Novatoribus, quos vocat, valdè metuit, neque ſanè immeritó. Quanquam autem anſam hîc nobis dederit D. *Tullius* dira Calviniſmi dogmata aperiendi, nolumus tamen iſtam nunc camerinam movere. Neque id quidem neceſſe eſt, cùm jam cordatis omnibus ſatìs perſpecta ſit Calviniſmi diritas. Quæ deinceps in hoc capite de promiſſi vitæ æternæ defectu in lege Moſaica contra Harmoniſtam prolixè diſputat D. *Tullius*, ea omnia quàm nihil ad rem ſint, videbit Lector, ſi adeat Exam. Cenſ. reſp. ad animad. 18. & 19. & 21.

8. In capite octavo benè longo vapulant *Bellarminus* & *Aphoriſta*, nè verbum quidem ad *Harmoniſtam* reperies. Noſtra autem ſententia de imputatione juſtitiæ Chriſti fusè explicatur Exam. Cenſ. reſp. ad animad. 11. Capite nono redit ad Harmoniſtam D. *Tullius*, cujus argumenta quædam proponit diluenda; ſed quàm dilutæ ſint ejus ſolutiones, liquebit ei, qui legerit *Harmoniæ* noſtræ diſſert. poſter. cap. 4. §§ 8, 9. Capite decimo *Harmoniſta* rurſus feriari permittitur. Eis autem quæ D. *Tullius* ibi diſputat, de natura fidei Juſtificantis, oppono, quæ

eadem

eadem de re fusè differuimus Exam. Cenſ. reſp. ad animad. 13.

9. Capite undecimo ſemel atque iterum ſtrictim notatur Harmoniſta, ſed fruſtrà, ut cuivis apparebit, qui ſcripta noſtra & D. *Tullii* conferre non gravabitur. Ad totum verò inſtitutum quod attinet hujus capitis, in quo probare nititur V. R. noſtram de Juſtificatione doctrinam cum Pontificiâ peramicè conſpirare, paucis reſpondebo. Suprà oſtendi, ſummam doctrinæ noſtræ, de Juſtificatione hominis, hanc omnino eſſe, Neminem ex pacto Evangelico, ſolâ meritoriâ Jeſu Chriſti ſanguinis effuſione impetrato ac ſancito, remiſſionem peccatorum, ſive Juſtificationem, abſque fide & pœnitentiâ comparare poſſe; abſque fidei verò & pœnitentiæ fructibus acceptam Juſtificationem cuſtodire & conſervare poſſe neminem. Si in hac quæſtione aliam nullam tuentur doctrinam Pontificii, eſt quod de ipſorum hâc ex parte ὀρθοδοξίᾳ, & cum Scripturis, Eccleſiâ Catholicâ, noſtrâ, Reformatíſque omnibus conſenſu ſeriò gratulemur. Neque enim diſſidia non neceſſaria amamus, aut quærimus; quippe qui probè ſciamus, jam nimiùm multa eſſe Chriſtianæ doctrinæ capita, eáque maximi momenti, in quibus Pontificii non à nobis tantùm, ſed etiam ab Apoſtolis, & Eccleſiæ primitivæ Catholicæ Doctoribus univerſis reverà longiſſimè diſſentiunt. Equidem quàm manifeſtus ſit noſtrorum cum ſanioribus Pontificiis, qui ſive ante, ſive poſt Concilium *Tridentinum* ſcripſere, ſuper hoc articulo de re ipsâ conſenſus, fusè & eruditè oſtendit *Fieldus* noſter in Appendice ad lib. 3. de *Eccleſ.* cap. 11. de Juſtificatione. Quam Theologi eximii diſſertationem ſi unquam attentè legiſſet D. *Tullius*, certè caput hoc undecimum libri ſui totum omiſiſſet. Sunt quidem inter Pontificios Theologos plerique, ex quibus ipſe *Bellarminus*, qui operibus bonis, in Juſtificatione noſtra, ſaltem ſecundâ, procurandâ, meritum condigni tribuere non ſunt veriti. An hujus nos blaſphemiæ affines eſſe voluit D. *Tullius*? Scilicet. Verùm quàm iniquè nobiſcum hîc agat, mox in hac ipſa ſectione liquidò oſtendemus. Interim rogamus, unde & quibus argumentis hanc graviſſimam accuſationem probaverit? Scil. ad libri ſui caput ſextum nos remittit, ubi ex noſtris principiis iſtam de merito condigni concluſionem ni- *Juſtif. Paulin. p.* 124.

miùm

miùm ſequacem eſſe (ut loquitur) ſe probâſſe gloriatur. Quid verò ibi probare conatur ? nempe, *ex operibus, & propter opera, ſive ex merito operum, Juſtificari, idem valere.* Ubi aut Sophiſticè omnino agit, aut voluit, ex operibus, tanquam *conditione* tantùm ex parte noſtrâ requiſita, & per gratiam Dei præſtandâ, Juſtificari, & ex operibus, ut *cauſis* Juſtificationis noſtræ *meritoriis*, Juſtificari, ἰσοδυναμεῖν eſſe. Quis verò ſanus & mentis ſuæ compos illud affirmaverit ? Et tamen in hoc cardine tota Doctoris diſputatio vertitur. Si autem in re nimis manifeſtâ omnibus, qui ſenſu communi non deſtituantur, authoritate opus ſit, audiamus *Davenantii* noſtri verba, in celebri loco, quem jam alicubi in Harmoniâ integrum citavimus : *Atque hîc notandum*, inquit, *quando dicimus aliquid neceſſarium eſſe ad hoc vel illud obtinendum, ex ipsâ vi verborum non innuitur neceſſitas cauſalitatis, ſed ordinis. Quamvis itaque conceſſero hanc propoſitionem, opera bona ſunt neceſſaria ad Juſtificationem ; non poteſt ſtatim inferri, eſſe neceſſaria ut cauſas, multo minùs ut meritorias. Verbi cauſâ ſi dixero, ad obtinendam equeſtrem dignitatem neceſſarium eſſe adire aulam Regiam, atque coram rege in genua ſe demittere ; ineptè quis indè intulerit, ipſam acceſſionem, ſive adgeniculationem eſſe cauſas meritorias obtentæ hujus dignitatis. Ità & de illis omnibus operibus ſtatuendum eſt quæ ex parte noſtrâ dicuntur ad Juſtificationem obtinendam neceſſaria.*

De juſt. actual. cap. 31. p. 404.

10. Sed quid ſi hæc criminatio in Doctorem recidat ? Quid ſi oſtenderimus, D. *Tulli* de Juſtificatione ſententiam cum Pontificiorum, in eo quod maximè (ut ipſe alicubi loquitur) Pontificium eſt, omnino conſpirare ? Certè res operosâ probatione non indiget. Docent plerique Pontificii (cujus erroris duces manifeſtos habent ipſos Patres *Tridentinos*) veram de peccatis contritionem haud prorsùs neceſſariam eſſe ad Juſtificationem, ſive remiſſionem peccatorum obtinendam ; ſolam attritionem ad id in pleriſque ſufficere. Nonne idem docet D. *Tullius* ? Certè. Fatetur enim pœnitentiam quidem aliquam neceſſariò requiri ad Juſtificationem hominis ; ſed veram pœnitentiam, ſive contritionem, hominis Juſtificationem antecedere debere omnino negat : quod ſæpiùs notavimus. Imò hâc in re D. *Tullii* ſententia diſſolutior eſt & pejor Pontificiorum. Nam illi affirmant

Conc. Trident. Seſſ. 14. c. 4. de contritione.

Vide Juſt. Paul p. 30, 31.

affirmant tantùm, in pleriſque attritionem ſufficere ad Juſtificationem; ille contritionem in nemine Juſtificando neceſſariò requiri docet: Illi præter attritionem, confeſſionem & ſatisfactionem aliquam poſtulant; ille per ſolam attritionem, neſcio quâ fide (certè nuſpiam in Evangelio oſtenſa) adjutam, remiſſionem peccatorum, ſive Juſtificationem, impetrare poſſe hominem acriter contendit. Sed de his ſatis.

11. In capite 12. ſive ultimo, agitur de reconciliatione D. *Pauli* & *Jacobi*. Ubi paſſim quidem Harmoniæ Author perſtringitur. Verùm obteſtor Lectorem, ut ſeriò & ſine partium ſtudio legere non gravetur *Harmoniæ* noſtræ diſſert. poſter. caput 1. & 2. & Exam. Cenſ. reſp. ad animad. 15. §§ 6, 7, 8. & videbit, quàm fruſtrà D. *Tullius* operam hîc ſuam omnem impenderit. Sunt tamen hîc quædam neutiquam prætereunda. Probaverat *Harmoniæ* Author diſſert. poſter. cap. 2. §. 4. p. 62. *Jacobum* non tantùm fucatæ, ſed & veræ fidei ſolitarium Juſtificandi officium detrahere, hoc inter alia argumento: *Fides ea, quæ in* Abrahamo *erat, proculdubiò vera erat fides, non fidei larva; at fides ipſa* Abrahami *ſine operibus ipſum juſtificare non valuit; dicitur enim ex operibus Juſtificari* v. 21. Jam audi, quid ad hoc argumentum reſpondeat D. *Tullius*. *Quî*, inquit, *fugere eum potuit, negare adverſarios, Juſtificationem iſtam fuiſſe coram Deo? Hoc itaque eſt* τὸ ἐν ἀρχῇ λαμβάνειν, *petitio principii, quo vix ullus in diſputante moleſtior paralogiſmus: neque enim hoc eſt diſputare, ſed nugari, & bonas horas malè perdere.* Sed quî D. *Tullium* fugere potuit, me, priuſquàm hoc argumento pugnaverim, capite præcedente liquidò demonſtrâſſe, Apoſtolum *Jacobum* agere etiam de Juſtificatione hominis coram Deo? Lege, lege, inquam, quiſquis veritatem amas, Harm. Apoſt. diſſert. poſter. cap. 1. §. 7. & fateberis, me id ipſum quinque argumentis evidentiſſimis, atque omni luce clarioribus probâſſe. Quid ad iſta verò D. *Tullius?* nè γρῦ quidem uſpiam. Itaque hîc ipſi meritò reponuntur ſua ipſius verba: *certè hoc non eſt diſputare ſed nugari, & bonas horas malè perdere.* *Juſtif. Paul. p. 140.*

12. Eodem capite p. 164. D. *Tullius* ſeriò monet *Harmoniæ* Authorem his verbis: *Interim ſeriò monendus eſt Diſſertator, ut ſe ſibi conciliet, & pacem componat Domi. Nam ſi fi-*

des Juſtifica ſit ſeparabilis à charitate (quod hîc acriter contendit) quomodo cultum Dei Evangelicum ſibi conjunctum habet? quod ipſe ſtatuit p. 84. quomodo univerſam pietatem comprehendit? p. 85. Quomodo demùm (ut alia id genus præteream) vocabulo Fidei univerſa obedientia Evangelica exprimitur? p. 89. Qualem hîc ἀπλογίαν cernimus? Verùm ſerió monendus eſt D. *Tullius*, ut veracitatem & candorem magis in poſterum curæ habeat. Nam ubi, quæſo, Harmoniæ Author dixit (nedum acriter contendit) fidem Juſtificam eſſe ſeparabilem à charitate? Ubi hanc Authoris ſententiam invenit D. *Tullius?* In Archivis forſan (ut ipſius utar verbis) *Eutopianis.* Certè percurras Harmoniam noſtram à capite ad calcem, nihil tale reperies. Dico quidem, (quanquam non acriter contendam, utpote qui quæſtionem iſtam ad cauſam noſtram planè ἀπερισθήνυτον eſſe diſertè monuerim) fidem veram & in genere fidei perfectam ibi reperiri poſſe, ubi deſit charitas. Quippe Chriſtianæ fidei ſimplicem virtutem nihil aliud eſſe volo, quàm firmum mentis aſſenſum Evangelio Chriſti habitum; quicquid autem huic aſſenſui in corde, ſive voluntate hominis, accedit, effectum eſſe ejus per gratiam Dei efficacis facti, atque ad charitatis virtutem pertinere. Hoc autem fusè & luculenter probavi Exam. Cenſ. reſp. ad animad. 13. Jam firmum illum Evangelio aſſenſum à charitate divelli poſſe, mecum fatetur ipſe D. *Tullius*, & pars Theologorum, etiam Reformatorum, longè maxima. Fidem autem Juſtificam à charitate eſſe ſeparabilem nunquam dixi, aut ſomniavi quidem. Imò contrà ubique contendo, quoties in Scripturis fidei tribuitur Juſtificatio & ſalus, fidem intelligi non ſimplicem virtutem, ſed ſenſu complexo acceptam, quæ nempe per charitatem perfecta ſit.

Harm. Apoſt. diſſert. poſter. cap. 4. ſect. 7.

13. Quæ in *Auctario* ſuo p. 167. & ſeqq. diſputat D. *Tullius* de neceſſitate bonorum operum ad ſalutem, quæ tamen ad Juſtificationem nequaquam ſint neceſſaria, de conditionibus in Evangelio requiſitis ac præſcriptis, de diſtinctione inter jus ad rem & jus in re; ea omnia jam à nobis pleniſſimè refutata ſunt Exam. Cenſ. reſp. ad Animad. 7. §. 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7. & reſp. ad Animad. 14. §. 6. Conferat Lector & judicet. Verùm neutiquam ſilentio prætereunda eſt egregia Doctoris calumnia (Ex animo optârim nos ad duriora illa

illa vocabula non ipſe adegiſſet) cum inſigni fraude conjuncta, quæ occurrit p. 174. Ibi argumentum Harmoniſtæ quoddam refert his verbis: *Verùm aliunde, nimirum ex* 2 Theſſ. 1. 7. Heb. 6. 10. 2 Tim. 4. 8. *ſic adoritur in hoc Syllogiſmo: Si merces vitæ æternæ operibus noſtris ex juſtitia detur, tum ex operibus jus ad mercedem illam conſequimur: ſed hoc aſtruunt loci citati, ergo. Eadem quoque urgentur teſtimonia à* Bellarmino *pro ſuo operum merito, quod ab Harmoniſtæ noſtri jure mihi quidem nihil diſcrepare videtur.* Quis jam, qui de integritate & candore Doctoris perſuaſus ſit, non dejeraret, *Harmoniæ* Authorem, in hoc ſaltem Juſtificationis articulo, purum putum eſſe Pontificium, quin & cum rigidioribus inter Pontificios meriti condigni patronis omnino ſentire? Sed rursùs exclamare cogimur, proh fidem hominis! Tuis ipſe oculis inſpicias, Lector, Harmoniæ locum, quem hîc exagitat D. *Tullius*, Diſſert. prior. cap. 6. §. 11. p. 49, 50. Ibi citato illuſtri Apocalypſeos loco cap. 22. 14. hæc ſubjicio: *Huic teſtimonio addi poſſunt omnia illa N. T. loca, in quibus vitam æternam à Deo operibus noſtris ex juſtitia dari clarè aſſeritur,* 2 Theſſ. 1. 7. Heb. 6. 10. 2 Tim. 4. 1. *Hinc enim ſic licet argumentari: Si merces vitæ æternæ operibus noſtris ex juſtitia detur, ergo ex operibus noſtris jus ad mercedem iſtam conſequimur: (tale ſcil. jus quod in gratioſo Dei per Chriſtum fœdere fundamentum ſuum unicè habeat) ſunt hæc* τῶν πρός τι ἀντίστροφα. *Cui merces ex juſtitia datur, ille jus ad mercedem illam habeat, neceſſe eſt, & vice versâ.* Vides jam omiſſa eſſe à D. *Tullio* hæc verba mea: *Tale ſcil. jus, quod in gratioſo Dei per Chriſtum fœdere fundamentum ſuum unicè habeat.* Fortaſſe credidit, hæc meritò ab ipſo prætermitti potuiſſe, quia ſcil. parentheſi includuntur. Rectè, ſi D. *Tullius* Grammaticum ſe aut Rhetorem tantùm, non Chriſtianum, non Theologum, non Theologiæ Doctorem profiteretur. Nimirum ex hâc parentheſi mens & ſententia mea iſto argumento pugnantis, ità clarè intelligi poterat, ut iſtiuſmodi cavillo locus non eſſet. Neque ipſum excuſat, quòd poſteà agnoſcat me fateri, jus quod habent bona noſtra opera ad vitam æternam in gratuito per Chriſtum fœdere fundatum eſſe. Nam hanc meam profeſſionem non ἀμέτως & ſuo loco affert, ſed poſt aliquammulta interjecta, & quaſi obiter, & ità divulſam

ab iis, cum quibus conjungi debuerat, ut Lector facilè crediderit, me argumentum illud ità crudè attuliſſe, ut ab ipſo recitatur, & verba illa ſaniora mihi alibi, ejus quod antèà dixeram quaſi oblito, excidiſſe. Accedit, quòd neque ibi verba mea integra produxerit, ſed delumbaverit ſententiam, omiſſo vocabulo *unicè*, ex quo ſenſûs mei vera intelligentia præcipuè pendeat. Verùm ut ipſi fraudem iſtam condonemus, nunquam certè falſi teſtimonii crimine ſe liberaverit. Ait, videri ſibi, jus, quod *Harmoniſta* tribuit bonis operibus, à *Bellarmini* merito nihil diſcrepare. Rogo, an unquam *Bellarminum* ſuper hâc quæſtione legerit, nécne? Si legerit, fieri certè non poteſt, ut reverà credat, me idem cum *Bellarmino* ſentire. Sin *Bellarminum* non conſuluerit, temerè de ipſius ſententia noſtræ collatâ pronuntiat, ídque in re graviſſimâ. Ut res tota clariùs eluceſcat, *Bellarmini* & *Harmoniſtæ* doctrinam conferamus. Harmoniſta in hoc ipſo loco, quem vellicat D. *Tullius*, expreſsè docet, jus ad vitam æternam aſſequendum, quod operibus noſtris tribui debet, *tale* eſſe, *quod in gratioſo Dei per Chriſtum fœdere fundamentum ſuum unicè habeat.* Et alibi paſſim omne jus & meritum operum noſtrorum ad vitam æternam obtinendum, quod in ſolo Evangelii promiſſo gratuito non fundetur, ità palam rejicit, ut nemo, cui ſit vel mica candoris aut modeſtiæ reliqua, non erubuerit contrariam ipſi ſententiam affingere. Vide imprimis Harm. Apoſt. diſſert. poſter. cap. 18. §. 4, 5. Ibi, inter alia, hæc verba reperies: *Caveat itaque, quiſquis ſaluti ſuæ conſultum velit, ab imputatrici illâ ſuperbiâ, neque Deum Opt. Max. ad calculos vocet, tanquam ſibi ullatenùs debitorem. Meminerit, jus illud, quod habent bona juſtorum opera ad vitam æternam, in pacto ac promiſſo Evangelico unicè fundari; pacti autem illius & promiſſi fontem eſſe meram ac miram Dei Patris per Ieſum filium ſuum miſericordiam.* Deinde hanc doctrinam illuſtro dictis aliquot veterum inſignioribus. Denique ità omnia gratiæ & miſericordiæ divinæ tribuo, ità meritum omne operum noſtrorum repudio, ut negem, Deum nobis vel ex promiſſo ſuo *Debitorem* propriè dictum fieri. Verba mea hæc ſunt: *Quanquam & hæ locutiones ab improprietate vix excuſari poſſunt: ideóque* Thomas *aliique Scholaſtici dicere maluerunt, Deum promiſſis non debitorem effici nobis, ſed ſibi,*

ſibi, h. e. decreto voluntatis ſuæ, quatenus ut promiſſis ſtet, ejus convenit veritati. Vides, quale jus ad aſſequendam vitam æternam operibus noſtris tribuat Harmoniæ Author. Audiamus jam *Bellarminum*. Ille de Juſtif. lib. 5. cap. 17. hanc quæſtionem proponit diſcutiendam: *Utrùm opera bona ſint meritoria ex condigno ratione pacti tantùm? aut ratione operis tantùm? aut ratione utriuſque?* Deinde ad quæſtionis determinationem progreditur his verbis: *Media ſententia mihi videtur probabilior, quæ docet, opera bona juſtorum meritoria eſſe vitæ æternæ ex condigno, ratione pacti & operis ſimul: non quidem quòd ſine pacto, vel acceptatione non habeat opus bonum proportionem ad vitam æternam; ſed quia non tenetur Deus acceptare ad illam mercedem opus bonum, quamvis par & æquale mercedi, niſi conventio interveniat. Quam ſententiam conformem eſſe non dubitamus concilio Tridentino*, &c. Unde liquet, juxta *Bellarminum* (quocum ſentit † *Suarez*) rationem meriti condigni duobus compleri, nempe intrinſecâ dignitate operis, & accedente promiſſione Dei: ità ut opus bonum, prout fit ab operante, cùm habeat ſufficientem proportionem & valorem reſpectu præmii, egeat tamen Dei promiſſione tantùm ad inducendam obligationem ex juſtitiâ, ex quâ illi debeatur præmium. Res hoc exemplo illuſtrari poterit. Fac aliquem alterius prædium emere voluiſſe, ipſíque juſtum & condignum ejus pretium obtuliſſe; nequaquam teneretur poſſeſſor de jure ſuo cedere, abſque libera aliqua ipſius pactione & conventione interveniente. Hanc genuinam eſſe *Bellarmini* ſententiam, tum ex loco allato, tum ex iis, quæ alibi paſſim apud ipſum occurrunt, nimis manifeſtum eſt. Jam verò Doctorem pudeat dixiſſe, videri ſibi, *Bellarmini* meritum à jure, quod operibus bonis tribuit *Harmoniſta*, nihil diſcrepare. Magìs verò ipſum pudeat, affirmâſſe generatim (quod facit cap. 11.) nos cum Pontificiis, (nè exceptis quidem rigidiſſimis) in hac de merito quæſtione omnino conſpirare. Nam *Bellarminus* (à quo tamen longè diſſentimus) modeſtus ac temperatus fuit in hac controverſia præ aliis Pontificiis. Neque enim

† *Debitum fidelitatis nititur promiſſionis veritate: at debitum, de quo modò agimus, quamvis requirat promiſſionem, & in ea potiſſimùm fundetur, tamen operibus commenſuratur & proportionatur.* Suarez. in 3. Thom. Tom. 1. Diſp. 4. Sect. 5. Sect. quod ſi, &c.

deſunt in Eccleſia Romana Doctores (pudeat matrem tales filios nutriiſſe) qui confidenter decernunt, valorem & dignitatem vitæ æternæ, abſque ullo pacto Dei, aut favore, operibus noſtris aſcribendam eſſe: ac proindè nec merita Chriſti, nec promiſſionem Dei, nec ullum aliud pactum, ſeu favorem, ad ipſam rationem meriti pertinere. Scil. hanc ſententiam apertè & acriter propugnat *Vaſques* in 1, 2. qu. 114. diſp. 214. cap. 4. Et pro eadem ſententia allegantur ab ipſo *Bellarmino Cajetanus*, *Dominicus à Soto*, & alii.

SECTIO IX.

Ad Diſſertatiunculam de Sententia Paulina Rom. 7. à Comm. 14.

1. REſtat D. *Tullii* diſſertatiuncula, de ſententia Apoſtoli *Pauli* in cap. 7. ad *Romanos*, à nobis accuratiùs examinanda. Hîc quidem de eo, quod præſtitit, mirè gloriatur; & ipſe ſibi malo more palmam adjudicat. Sed adagium, quo utitur, meritò ipſi reponendum videtur, *Qui induit loricam, nè glorietur, ut is qui exuit.* In ipſo diſſertatiunculæ ingreſſu *Harmoniſtam* arguit ingentis confidentiæ, quòd auſus fuerit dicere, ſententiam illam, quæ ſtatuit, *Paulum* de ſe loqui *Rom.* 7. à Comm. 14. non modò gravibus incommodis, ſed etiam abſurditatibus planè palpabilibus laborare. Sed judicet æquus lector, an quicquam hîc dixerit *Harmoniæ* Author, quod non liquidò probaverit.

Diſſert. p. 2.

2. Verùm ut noſtræ affirmationi apud imperitos invidiam conciliaret, ità pergit: *Primùm autem, utinam ſeriò ſecum ante perpendiſſet (ſi tamen, quod puto, novit) in quos & quanta nomina gravis hujus invidiæ procella præceps decidat. Quid enim ſi unum fortè, aut alterum Theologum Neotericum, (quanquam & eximium) nonnullos etiam ex Veteribus, ſibi ſuffragantes habeat? An ergo tot reliquos (doctrinâ, judicio, pietate pares ſaltem) eâ ſtatim cranii teneritudine affectos ſequetur, ut abſurditatibus planè palpabilibus laborent?* Mox addit:

p. 1, 2.

Inter

Inter harum scil. absurditatum Patronos, post excitatam à Pelagio curam & ἀγχίνοιαν, omnes reperiri Patres & potissimùm Latinos (adjuncto etiam Hilario ante Pelagium) valdè suspicor. Scilicet persuadere hîc voluit credulo lectori, 1. *Harmoniæ* Authorem non admodum multos ex Veteribus sibi suffragantes habere; unde & posteà disertè affirmat, multò plures esse, inter Ecclesiæ Sanctos notósque Doctores, dissentientes: 2. *Harmonistæ* adversari penè, si non planè, omnes Patres post *Pelagium*: 3. Unum tantùm & alterum Theologum Neotericum eximium sententiæ nostræ favere. Quàm verò liquidò falsa sint hæc omnia, nunc ostendendum est. *p. 5.*

3. Ad primum quod attinet, contra Doctorem affirmo, longè maximam partem antiquiorum Patrum interpretationi, quam propugnamus, adstipulari. Allegantur pro nostrâ sententia à doctissimo & fidelissimo Scriptore *Gerardo Vossio Irenæus* lib. 3. c. 22. *Tertullianus* lib. de pudicitia cap. 17. *Macarius* Homil. 1. *Basilius* in Psal. 1. & exhort. in Baptismum, cujus lemma, *quòd instruendi monendique sunt ad baptismum venientes.* *Cyrillus* contra *Julianum* lib. 3. Et Epist. ad *Successum.* Et lib. 1. de recta fide ad Reginas. Item *Origenes*, *Chrysostomus*, *Theodoretus*, Scriptor Commentariorum *Ambrosio* tributorum, & *Theophylactus* notis in cap. 7. ad *Rom.* Afferuntur ab aliis nec minori fide *Cyprianus*, aut alius Scriptor antiquus, Prologo de Cardinalibus Christi operibus. *Paulinus* in Epist. 2. ad *Severum Sulpitium.* *Damascenus* de Orthodox. fide lib. 4. cap. 23. Additur ab ipso *Estio*, qui tamen interpretationi nostræ adversatur, inter Græcos *Oecumenius*, inter Latinos *Sedulius*: quibus à *Grotio* annumeratur *Maximus.* Ad cumulum adjiciam, è spicilegio meo, testimonia, nondum, quod sciam, ab aliis observata, sex veterum Doctorum; quorum unus omnium ferè antiquissimus; alius antiquissimis proximus; cæteri omnes satis antiqui & in Ecclesia Christi probati Scriptores. *Histor. Pelag. l. 2. Par. 1. Thes. 2. p. 148.* *in Rom. 7. v. 14.* *Discuss. p. 192.*

4. *Justinus* Martyr Epistolâ ad *Zenam* & *Serenum*: Σάρκες γὰρ ἀκμὴν ἐσμὲν, καὶ οὐδὲν ἡμῖν ἀγαθὸν ἐνοικεῖ. Παρακλητέον οὖν τὸν ἰατρὸν πρὸς τὴν θεραπείαν. Ὁ γὰρ οὕτω διακείμενος ἰαθήσεται, καὶ τὴν νόσον φεύξεται. *i. Caro enim prorsùs sumus, neque quidquam in nobis inhabitat boni. Advocandus igitur ad curam medicus.* *p. 506. Edit. Paris. 1636.*

Et

Et qui ità animatus fuerit, sanabitur, & morbum effugiet. Respicere hîc beatissimum Martyrem locum *Paulinum* in capite 7. ad Romanos nemo non videt. Scil. ipsissima ferè capitis verba v. 18. hîc recitantur: & satìs clarâ paraphrasi exprimuntur verba v. 14. *Ego sum carnalis.* Neque minùs perspicuum est, accommodare Justinum ista Apostoli verba ad hominem non renatum, sive extra statum gratiæ ac salutis existentem. Nam primò verba illa Apostoli, *ego sum carnalis*, ità paraphrasticè exponit σάρκες ἀκμὴν ἐσμεν. *i. prorsùs, omnino, summè* caro sumus. Nam ea est vis vocis ἀκμήν. Sic *Isocrates* ad *Demonicum*, ἀκμὴν φιλοσοφεῖς, *summo studio philosopharis.* Quis hæc de homine per Spiritum Christi renato dici existimet? Deindè disertè loquitur de iis, qui nondum Christum medicum advocaverint, hoc est, qui extra Christum sunt. Deinde de morbo & vitio expressè loquitur, à quo, quicunque Christum medicum advocârunt, liberantur. Clarum est igitur *Justinum* Martyrem, qui in primâ Apostolorum διαδοχῇ floruit, nostræ interpretationi omninò consensisse. *Clemens Alexandrinus*, Doctor Ecclesiæ eruditissimus,
p. 433. qui sæculo secundo vixit, & magni illius *Pantæni* discipulus fuit, Strom. 3. Postquam verba *Platonis* citaverat dicentis, *Philosophi animam corpus maximè vilipendere, & ab eo fugere, & secum seorsim esse quærere*; hæc subjicit: Καὶ μή τι συνᾴδει τῷ θείῳ Αποστόλῳ λέγοντι· ταλαίπωρος ἐγὼ ἄνθρωπος, τίς με ῥύσεται ἐκ τοῦ σώματος τοῦ θανάτου τούτου; εἰ μὴ τὴν ὁμοφροσύνην τῶν εἰς κακίαν ὑποσεσυρμένων, σῶμα θανάτου τροπικῶς λέγει. *i. Nunquid autem consentit cum divino Apostolo, qui dicit: infœlix ego homo, quis me liberavit à corpore mortis hujus? Nisi fortè eorum consensionem, qui in improbitatem trahuntur, corpus mortis dicit tropicé.* Quærit, an locus iste *Paulinus* quicquam faveat isti Platonis sententiæ; & corrigit errorem adhibitâ catholicâ expositione, nempe, corpus mortis tropicè ibi dici de *eorum consensione, qui in improbitatem trahuntur*, quibus verbis status hominis nondum renati, adeóque improbi clarè exprimitur. Accedit, quod
Bibliothec. pp. Tom. 11. p. 921, 922. Paris. 1644. dicit, *consensionem eorum*, non *suam*, manifestè indicans, Apostolum ibi aliorum personam sustinere. *Marcus* Eremita de Baptismo interrogationem quorundam sic proponit: οὐκοῦν ὁ Παῦλος μετὰ τὸ βάπτισμα ἥμαρτεν, ὅτι ἑκουσίως ἐνεργεῖτο; λέγει γὰρ, ὅτι βλέπω ἕτερον νόμον ἀντιστρατευόμενον τῷ νόμῳ τοῦ νοός μου.

i. Nun-

i. Nunquid igitur Paulus *post acceptum baptisma peccavit, quia sponte agitabatur? Ait enim: video enim aliam legem repugnantem legi mentis meæ.* Interrogationi autem sic respondet: Οὕτω καὶ τὰς λοιπὰς γραφὰς οἱ κακῶς νοοῦντες διαστρέφουσι, καὶ πλανῶνται. ἀνάλαβε γὰρ ἄνωθεν τὸ κεφάλαιον τοῦτο, καὶ εὑρήσεις ὅτι ὁ ἅγιος Παῦλος οὐ λέγει περὶ ἑαυτοῦ μετὰ τὸ βάπτισμα, ἀλλὰ τὸ τῶν ἀπίστων Ἰουδαίων πρόσωπον λαμβάνει, πείθων αὐτοὺς ὅτι χωρὶς χάριτος χριστοῦ διὰ τοῦ Βαπτίσματος δεδομένης, ἀδύνατον περιγενέσθαι τῆς ἁμαρτίας. *i. Hunc in modum reliquas scripturas malè sentientes pervertunt, & errant. Repete capitulum istud è superioribus, & reperies sanctum* Paulum *non loqui de seipso post acceptum baptisma: sed infidelium Judæorum assumere personam, persuadentem illis, non posse fieri, ut sine gratiâ Christi, quæ per baptismum confertur, superetur peccatum.* Ubi & eos, qui locum *Paulinum* aliter exponunt, unà cum Heterodoxis, malè sentientibus & S. Scripturas pervertentibus annumerat. *Beatus Dorotheus* Doctrina. 1. Ἀνανέωσεν αὐτὸν πεσόντα ἄνθρωπον γενόμενος ἄνθρωπος. Τὸν καταδουλωθέντα τῇ ἁμαρτίᾳ ἐλευθέρωσε, τὸν βίᾳ ὑπ' αὐτῆς κρατούμενον. Βίᾳ γὰρ καὶ τυραννίδι ἤγετο ὑπὸ τοῦ ἐχθροῦ ὁ ἄνθρωπος· καὶ σχεδὸν καὶ οἱ μὴ θέλοντες ἁμαρτῆσαι, βίᾳ ἡμάρτανον· ὡς λέγει Ἀπόστολος ἐν προσώπῳ ἡμῶν· Οὐ γὰρ ὃ θέλω ἀγαθὸν, τοῦτο ποιῶ, ἀλλ' ὃ θέλω κακὸν, τοῦτο πράσσω. Γενόμενος οὖν ὁ Θεὸς ἄνθρωπος δι' ἡμᾶς, ἐλευθέρωσε τὸν ἄνθρωπον τυραννίδος τοῦ ἐχθροῦ. *i. Renovavit ipsum lapsum hominem homo factus: (Dei Filius) & peccato servientem & vi ab ipso subactum manumisit. Violentiâ enim & tyrannide peccati sub jugo trahebatur ab hoste infœlix homo: invitúsque & nolens ferè peccare cogebatur: ut ait de seipso Apostolus sub nostrâ personâ: Non enim quod bonum volo, hoc facio: sed quod nolo malum, id operor. Factus igitur homo Deus propter nos, hominem à tyrannide inimici liberavit.* Lege, si vacat, quæ ibidem sequuntur. S. *Pacianus* Episcopus serm. de baptismo: *Quæ igitur spes hominis? sine lege ideò periit, quia peccatum videre non potuit, & in lege ideò, quia in id ipsum, quod videbat, incurrit. Quis ab interitu potuit liberare? Audite Apostolum: miserrimus ego homo! quis me liberabit à corpore mortis hujus? gratia, inquit, per Dominum nostrum Iesum Christum.* Ennodius Epistolarum lib. 2. epist. 19. ad *Constantium: Velle adjacet mihi, perficere autem non invenio. Quid est aliud nisi dicere, novi dextrum iter eligere; sed nisi ingredientem juverit gratia superna, lassabor?*

Bibliothec. Pp. tom. 11. p. 750.

Bibliothec. Pp. tom. 3. p. 76.

Bibliothec. Pp. tom. 15. p. 240.

5. Viginti & duos probatos Eccleſiæ Doctores, pro noſtrâ ſententiâ confirmandâ adduximus. Jam D. *Tullius* conſcribat & luſtret (ut cum ipſo loquar) exercitum ſuum, & cum noſtro conferat. Ex patribus, qui tribus primis ſæculis floruerunt, quorúmque ſcripta hodiè extant, pro D. *Tullii* interpretatione (quanquam non ab ipſo) unus affertur *Methodius*, qui tertio ſæculo vergente floruit. Et tamen ipſe locum expoſuit longè aliter, quàm ab iis, quos ſequitur D. *Tullius*, factum eſt, utì fusè oſtendit *Grotius*. Ut liquidò affirmare poſſimus, noſtram *Paulini* hujus loci interpretationem, in primæva Eccleſia (quæ ſine dubio optimè intellexit ſacrorum oraculorum συνόψεις, recèns derivatâ ſcil. ab ipſis Apoſtolis veri ſenſûs traditione) communiter receptam atque approbatam fuiſſe. Ante *Auguſtinum* quatuor omnino Eccleſiæ Doctores à noſtris in hac cauſa adverſariis, pro ſuâ expoſitione confirmandâ, allegantur, nempe, *Methodius*, quem modò commemoravimus, *Hilarius*, *Gregorius* Nazianzenus & *Ambroſius*. Sed de *Gregorio* Nazianzeno nondum mihi conſtat, ipſum de homine verè regenito locum controverſum intellexiſſe: certè id non probat teſtimonium ex ipſo allatum ab *Auguſtino* lib. 2. cont. *Julian.* cap. 3. Imò alicubi in *Carminibus* (ſi memini) contrariam interpretationem non obſcurè tradit. Sic ibidem pro ſe allegat *Auguſtinus Cypriani* locum, de Oratione Dominica: ubi conſtat, non agere beatiſſimum Martyrem de cap. 7. ad Romanos, ſed de 5. ad *Gal.* v. 17. inter quæ duo loca latum eſſe diſcrimen alicubi clarè oſtendi. Ad *Ambroſium* quod attinet, cùm is de ſententia Paulina, in v. 15. & ſeqq. idem quod *Auguſtinus* ſenſerit; id tamen nobis largitur, unde *Auguſtiniana* interpretatio funditus evertatur. Nimirum exponit verba illa v. 14. *ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato*, de homine improbo. Sic enim ille lib. de *Iſaac.* & *anima* cap. 2. *Ubi anima pro homine ponitur, ſignificatur Deo adhærens, non corpori, ut eſt illud, Anima benedicta omnis ſimplex: ubi autem caro pro homine nuncupatur, peccator exprimitur, ut eſt illud, Ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato.* Sed demus quatuor illos Scriptores de interpretatione hujus capitis idem planè cum *Auguſtino* ſenſiſſe; qualem, quantúmque iſtis paucis Catholicorum Doctorum exercitum opponimus!

nempe

1. 9.

Diſcuſſ. p. 250. & ſeqq.

nempe *Juſtinum* Martyrem, *Irenæum*, *Clementem* Alexandrinum, *Tertullianum*, *Cyprianum*, *Origenem*, *Macarium*, *Baſilium* magnum, *Cyrillum*, *Chryſoſtomum* Scriptorem commentariorum *Ambroſio* tributorum, S. *Pacianum*, &c. qui omnes ante *Auguſtinum* floruerunt. Ad *Auguſtinum* verò quod ſpectat, ipſi opponimus ipſum, antequam à Pelagiano conflictu incaleſceret: & obnixè rogamus Lectorem, ut ea, quæ de hoc loco, communem priorum Patrum ſententiam ſecutus, ſcripſit quæſt. 66. lib. 83. quæſtionum, & in quæſtionibus expoſitis Epiſtolæ ad Romanos, necnon quæſt. 1. ad *Simplicianum*, libero judicio conferat cum interpretatione, quam poſt exortam Pelagii hæreſim quæſivit, & rationibus, quibus perſuaſus fuerit, ut eam amplecteretur, ab ipſo expoſitis lib. 1. *Retractationum* cap. 23. & 26. & lib. 2. cap. 1. quod ſi fecerit, nulli dubitamus, quin *antepelagianum* hîc *Auguſtinum* (ſi ità loqui fas ſit) *Auguſtino antipelagiano* longè præpoſiturus ſit. *Verè dixit vir magnus: Familiare fuit Auguſtino mutare ſententiam, & non ſemper in melius. Olim negaverat, Deum corporis clarificati oculis videri poſſe; contrà ſenſit poſteà, & in ea ſententia eſt mortuus.*

6. Illud mantiſſæ loco hîc addendum (quod à viris doctis obſervatum fuit) interpretationem hodiernorum Theologorum, quibuſcum D. *Tullius* ſentit, à ſenſu & mente ipſius *Auguſtini* longiſſimè diſtare. Nimirum iſti bonum illud, quod Apoſtolus ait velle ſe quidem, at non facere, & illud malum, quod nolle ſe dicit, at facere tamen, interpretantur de malo & bono actuali: malum explicantes factum ipſum, quod ex concupiſcentiâ carnis contra Spiritûs concupiſcentiam, voluntate conſentiente, patratur; bonum verò itidem de ipſo facto explicantes, quod quis ſecundùm Spiritum quidem facere concupiſcit, ſed impediente carnis concupiſcentiâ actu ipſo non præſtat. Contrà *Auguſtinus* apertè docet, locum Apoſtoli ſi de actualibus peccatis explicetur, non poſſe de regenito intelligi; ſi verò de regenito explicandus ſit, neceſſariò de concupiſcentiæ tantùm internis actibus, quibus homo non conſentiat, intelligendum eſſe. Sic enim ille lib. de nup. & concup. cap. 31. *Apoſtolus autem ſubjungit & dicit, Igitur ego ipſe mente ſervio legi Dei, carne autem legi peccati: quod ſic intelligendum eſt, mente ſervio legi*

Dei, non consentiendo legi peccati, carne autem servio legi peccati, habendo desideria peccati, quibus etsi non consentio, nondùm tamen penitùs careo. Idem lib. 1. cont. duas epist. Pelag. cap. 10. *Atque inde concludit, Igitur ipse ego mente servio legi Dei, carne autem legi peccati: carne scil. legi peccati concupiscendo, mente autem legi Dei non consentiendo.* Idem adversus Julian. lib. 5. cap. 5. *Noli ergo facere quod pati non vis, & dicere quòd invitemus ad dulcia facta, quibus Apostolum recitamus dicentem: Scio quia non habitat in me, hoc est, in carne mea, bonum. Etsi enim non hoc perficiant bonum quod volunt, ut non concupiscant, faciunt tamen bonum, ut post concupiscentias suas non eant.* Ad eundem modum & alibi passim. Poterit ergo aliquis D. *Tullii* interpretationem absurditatis damnare, salvo *Augustini* honore. Neque tamen defuere viri doctissimi, & *Augustino* quod satis est tribuentes, qui ejus expositionem liberâ censurâ perstrinxerunt. Sic magnus *Erasmus* in *Rom.* 7. v. 25. *Certè*, inquit, *hoc agit Augustinus adversus duas Epistolas Pelagianorum lib.* 1. *cap.* 8. *& aliquot sequentibus, ut totus hic locus competat Paulo vel puero, vel sub lege peccati, vel sub gratiâ sentienti motus affectuum, licèt non assentienti; sed adeò durè multa torquens, ut magis conveniat,* Paulum *humani generis personam in se recipere, in quâ est Ethnicus exlex, Judæus carnalis sub Lege, & spiritualis per gratiam liberatus.* Ac sanè (ut quod res est dicamus) quid istâ interpretatione durius aut coactius, quæ phrases Apostolicas, *carnalem esse & peccati vernam, operari malum, ad faciendum, quod bonum est, esse inhabilem, à lege peccati captivum duci, legi peccati servire*, accommodat homini sub gratiâ quidem sentienti motus affectuum, sed ipsis nullatenùs assentienti? Neque tamen D. *Tullio* suísque magnopere repugnaremus, si *Augustinianâ* interpretatione (quæ ut satis absurda sit, per se tamen est innoxia) contenti essent: sed illi nimirùm existimâsse videntur, interpretationem
Dissert. p. 1. istam (ut cum D. *Tullio* loquar) *ad fidelium solamen haud permagni referre.*

7. Ad secundam Doctoris sive assertionem, sive suspicionem pergamus, nempe, post *Pelagium* omnes Patres, potissimùm Latinos, à partibus suis stare. Quàm longissimè hoc à vero abest! Nam Græci Doctores, etiam post *Augustinum* & *Pelagium*, constanter adhæsere primitùs receptæ atque appro-

approbatæ in Eccleſia Catholica interpretationi: quod ſatis teſtantur *Theodoretus*, *Theophylactus*, *Oecumenius*, *Damaſcenus* & alii. Scilicet Græcis illis vel non tam nota, vel tantâ admiratione non excepta fuere *Auguſtini* ſcripta: cujus Doctoris eximii nimia veneratio (cogimûr verum fateri) multos in Eccleſiis Latinis à Priorum patrum communiori ſententiâ, tum in hac re, tum in aliis, ad placita ipſius ferè peculiaria amplexandum abduxit. Neque tamen vel illud verum eſt, Patres omnes *Latinos* poſt *Auguſtinum*, ipſum ſecutos eſſe. *Ennodium* & *Sedulium* jam oſtendimus à partibus noſtris ſtare. *Primaſius* & *Haimo* utramque interpretationem, nempe *Auguſtini* & vetuſtiorem, miſcent, notante *Eſtio*. *Beda* quoque dubius eſt, & neſcius utram expoſitionem certò amplectatur. Sic enim ſcribit in 7. ad *Rom.* ad verba illa, ſcimus quia lex ſpiritualis eſt: *Fortè ergò alius eſt aliquis, fortè tu es; aut tu es, aut ego ſum. Si ergo aliquis noſtrûm eſt, ipſum quaſi de ipſo audiamus, & non irati corrigamus nos. Si autem ipſe eſt, non ſic intelligamus, quod dixit, Non quod volo, ago, ſed quod odi illud facio, tanquam vellet eſſe caſtus & eſſet adulter, aut vellet eſſe miſericors & eſſet crudelis, aut vellet eſſe pius & eſſet impius. Sed ad quid? volo non concupiſcere, & concupiſco.* Ex poſterioribus, qui tamen *Neotericis* non ſolent annumerari, noſtri ſunt, fatente *Eſtio*, *Lyranus* & *Carthuſianus*.

8. Reſtat tertia atque ultima Doctoris aſſertio à nobis paucis expedienda. Ait, unum tantùm & alterum Theologum Neotericum eximium interpretationi noſtræ favere. Quid hoc, ſi verum ſit? Certè in Scripturis interpretandis Eccleſiæ primitivæ conſenſum, neotericorum omnium, quotcunque, quanticunque ſint, judicio longè præferendum eſſe, palàm ac liberè profitemur. Sed & illud quoque à vero longè abeſt. Noſtræ enim interpretationi favent non modò *Faber* ſtapulenſis, *Eraſmus*, *Iſidorus Clarius*, *Zegerus*, Cardinalis *Toletus*, aliique multi in Romana Eccleſia doctiſſimi interpretes; ſed & inter noſtros *Caſtellio*, *Wolfangus Muſculus*, *Bucerus*, (qui hactenus ſaltem nobiſcum conſentit, ut *Paulum* in c. 7. ad *Rom.* de ſe loqui omninò neget) *Grotius*, *Voſſius*, *Amyraldus*, & qui ipſi in Gallicana Eccleſia reformata aſtipulati ſunt nec pauci, nec minimi: atque inter noſtrates Doctor

profundus *Jacksonus*, clarissimus *Hammondus*, maximi ingenii, eruditionis, & pietatis præsul *Tailerus*, *Farindonus* οἱ μακαρίτοι. & innumeri Theologi eximii, qui hodiéque Ecclesiæ Anglicanæ ornamento sunt, simúlque ab ipsa merito suo ornantur.

9. Quod posthæc à D. *Tullio* subjicitur, de catechismo *Tridentino*, ad nos nihil attinet. Illud tantùm dicimus, vetus adagium hîc locum habere, *dignum patellâ operculum*. Sanè enim optimè convenit interpretatio illa loci *Paulini* Catechismo, in quo, præter alia dogmata Christianæ pietati noxia, clarissimè docetur, veram de peccatis contritionem non esse omnibus necessariam, imò paucos admodum Christianos illam assequi, ideóque ad defectum ejus supplendum, ex summâ Dei indulgentiâ, substitutum esse *absolutionis* Sacramentum, quò scil. *faciliori ratione communi hominum saluti consuleretur*.

Vide Catechis. Trident. par. 2. cap. 5. de pœniten. n. 29, 30, 31, 32. coll. n. 24, 25, 26, 27.

10. Ad ea verò, quæ de Sanctæ Ecclesiæ Anglicanæ judicio mox ab ipso annectuntur, omnino attendendum. Sed illud hîc cogimur præfari; Doctoris haud ferendam esse temeritatem, pro Ecclesiæ Anglicanæ decretis placita sua ferè omnia venditantis. Non licet nobis, vel de unius loci Scripturæ interpretatione ab ipso diversum sentire, quin mox voci Ecclesiæ nostræ obstrepamus. Quasi verò mitissima mater in ejusmodi pistrinum filios suos coegisset, ut integrum non ipsis esset, ad sensum locorum S. Scripturæ difficiliorum investigandum, quid senserint vetustissimi probatissimíque in Ecclesia Doctores liberè disquirere, eorúmque consensum sequi. Imò certè hoc nobis jubet, hoc in mandatis dedit, uti suprà ostensum est. Sed nimirum per totum librum suum id unum agit D. *Tullius*, ut Adversarius suus, quo jure quáve injuriâ, pro hoste pariter Ecclesiæ Anglicanæ habeatur: ad id torquere articulos, pervertere homilias ipsi visum est. Utinam verò secum antè seriò perpendisset, (ut ipsius utar verbis) in quot & quanta nomina gravis hujus invidiæ procella præceps decidat. De Harmonista quidem, nullius pretii homunculo, haud multùm solliciti sumus: sed quid fiet de Theologis, quos modò commemoravi, maximis Ecclesiæ nostræ luminibus & ornamentis, quibuscum & in hac re & in aliis ille sentit, si iste D. *Tullii* spiritus prævaleat? Nunquid

Dissert. p. 7. & seqq.

quid & ipſi ut ſpurii, immorigeri & matri ſuæ obſtrepentes filii rejiciendi? Sanè id ſi unquam obtigerit, (quod omen avertat Deus) neſcio, unde tantum Eccleſiæ damnum reſarciri poſſit, aut ubi mater dilectiſſima filios magis genuinos & ſe dignos inventura ſit. Verùm ad rem ipſam accedamus. Argumenti, quo probare nititur, nos in expoſitione loci *Paulini* Eccleſiæ Anglicanæ contradicere, hæc ſumma eſt. In articulo nono hæc obſervanda, 1°. Peccatum originis depravationem eſſe naturæ ab *Adamo* propagatæ cujuſlibet hominis: 2°. Per hanc depravationem hominem ab originali juſtitiâ quàm longiſſimè diſtare: 3°. Ipſammet hanc depravationem manere in renatis: 4°. Hoc fateri Apoſtolum, nempè *Paulum*: 5°. Ad illud probandum citari quidem verba tantùm Epiſtolæ ad *Galat.* cap. 5. v. 17. ſed hoc nihil obſtare; ſiquidem conſtat locum Apoſtoli in epiſt. ad *Gal.* cap. 5. v. 17. ejuſdem planè ſententiæ eſſe cum cap. 7. epiſt. ad *Rom.* 19. Atque hinc tandem efficitur, Eccleſiæ Anglicanæ Patres ſenſiſſe, verba Apoſtoli in cap. 7. ad *Rom.* à v. 14. de homine regenito omnino intelligi debere. Scilicet vis lepidi hujus argumenti hoc uno fundamento nititur, locum Apoſtoli in epiſt. ad *Galat.* cap. 5. v. 17. ejuſdem omnino ſententiæ eſſe cum cap. 7. epiſt. ad *Rom.* v. 19. ſed hoc fundamentum jam à nobis everſum eſt Harm. Apoſtol. diſſert. poſter. cap. 9. §. 23, 24, 25. ubi clarè oſtendimus, loca iſta convenire quidem in hoc, quòd in utroque lucta quædam in homine deſcribitur; at luctam iſtam longè diverſiſſimam eſſe; ſeu luctatores, ſeu luctæ & certaminis eventum reſpiciamus. Quid verò ad iſta D. *Tullius*? nè γεῦ quidem. Hoccine eſt candidum atque ingenuum diſputatorem agere? Sed viderit D. *Tullius*, nè hoc argumentum in caput ipſius recidat. Si Patres Eccleſiæ noſtræ credidiſſent, locum Apoſtoli ad *Rom.* 7. de homine regenito omnino exponendum eſſe, certè iſtum imprimis locum citâſſent ad probandam concluſionem ſuam, nempe concupiſcentiam etiam in renatis manere; ſiquidem locus ille ità intellectus ad eam theſim confirmandam omnium appoſitiſſimus ſit: atqui planè aliter faciunt; omiſſo loco iſto, altero ex epiſt. ad *Galat.* utuntur, quem omnes de homine ſub gratiâ Evangelii conſtituto exponunt. Jam ad ea omnia, quæ D. *Tullius* ſive ex Patribus, ſive ex Eccleſiæ

Angli-

Anglicanæ articulis, contra noſtram capitis 7. Epiſt. ad *Rom.* interpretationem attulit, ſatis, ut arbitror, reſponſum eſt. Judicet verò tandem lector cordatus, annon liceat mihi verba Doctoris ipſi hîc regerere: *Nunc autem ſatis conſtare puto, quàm periculoſum ſit, ut in re magna triumphos quis agat, priuſquam exercitum conſcripſerit, ſimul & luſtraverit.*

Diſſert. p. 9.

11. Ab authoritatibus & ſuffragiis Doctorum tandem ad loci ipſius conſiderationem progreditur D. *Tullius*. Integrum autem mihi eſſet, quæ hîc ab ipſo dicta ſunt, omninò prætermittere, atque lectorem ad Harm. Apoſt. diſſert. poſter. cap. 9. remittere. Certè enim quiſquis attentè & abſque partium ſtudio caput illud noſtrum legerit, & cum iis, quæ à Doctore in diſſertatiuncula ſua contrà afferuntur, contulerit, is per ſe facilè perſpecturus, (niſi vehementer fallor) argumentis meis nullatenùs ſatisfactum eſſe; ſolutiones verò meas ad partis adverſæ argumenta etiamnum intactas atque inconcuſſas manere. Verùm nè tergiverſari videar, quæ ab ipſo objiciuntur, ſingula breviter perſtringere non gravabor. Harm. Apoſt. diſſert. poſter. §. 8. contra eam, quam D. *Tullius* amplectitur, interpretationem ità argumentor: *Primò ſupponit* (interpretatio *illa*) *Apoſtolum ſermonem hîc interſerere planè* ἀπροσδιόνυσον *& ab inſtituto ſuo remotiſſimum. Etenim luce clarius eſt, ipſum circa initium capitis loqui de ineffi-cacitate legis ad homines à peccati dominio liberandos: imo oſtendere, tantum abeſſe, ut Lex id præſtet, ut contrà vim pravæ cupiditatis irritet atque augeat. Ex eâ doctrina non ex ullâ aliâ naſcuntur objectiones, quas Apoſtolus v. 7. & 13. diſcutiendas ſuſcepit. Eſt autem omninò abſurdum atque abhorrens, Apoſtolum objectionibus ex legis inefficacitate in iis, qui gratiâ Evangelii carent, deſcriptione & repræſentatione ſtatûs ſui ſub Evangelio reſpondere.* Ad hæc D. *Tullius*, poſtquam parùm civiliter, & acerbè nimis Harmoniſtæ rursùs juvenilem ætatem exprobraverat, ità reſpondet: *Quî, quæſo, potuit Apoſtolus homines* ἐξορμαινοντας *(licèt omnis veræ pietatis expertes) ad Evangelii gratiam & juſtitiam efficaciùs invitare, quàm ſuo ipſius exemplo? Qui cùm ipſe olim ſub lege fuerat, nihil profecit, donec in gratiam Evangelii per fidem reciperetur.* Miror tale reſponſum viro docto excidere potuiſſe, quod nodum adeò non

p. 183.

Diſſert. p. 10.

non

non ſolvit, ut ne attingat quidem. Præterea huic reſponſioni id ſubeſt, quod manifeſtè falſum eſt, nempe Apoſtolum v. 14. & ſeqq. ſtatum hominis deſcribere, qui ad id jam per Evangelii gratiam proficiat, quod priùs per legem præſtare non poterat, peccati ſcil. jugum excutere, ejúſque dominium frangere. Nam contrà in verſibus illis diſertè deſcribitur ſtatus hominis, qui etiamnum carnalis ſit & peccato venundatus; cui benè agendi facultas longiſſimè abſit; qui legi peccati captivus ducatur, eíque ſerviat. Ejuſdem monetæ eſt, quod mox ſubjicit: *Quod de ſtatu militiæ ſuæ contra carnem annectitur, cum certâ tamen ſpe victoriæ, id magis facit ad pugnam ſtrenuè ſubeundam, cùm quod inefficax legis rigor non potuit, poteſt efficaciſſima Evangelii gratia.* Nam 1°. Sermo Apoſtoli v. 14. & ſeqq. non tantùm annectitur ſuperioribus, ut ſermo ſcil. ab ipſis non prorſus alienus; ſed directa reſponſio eſt ad objectionem, quæ v. 13. continetur. Jam vero objectio ibi propoſita erat: rem eſſe miram, ut lex ea, quæ ſuâ naturâ ſancta eſt & bona, eis, qui ſub ipsâ ſunt, cauſa mortis eſſe poſſit. Iterum autem quæro, ad eam objectionem diſſolvendam quid faciat, quod verſibus ſequentibus comprehenditur, ſi Apoſtolus ibi de regeneratione ſua loquitur; ſiquidem in ſtatu regenerationis ſuæ, non ampliùs ſub legis diſpenſatione conſtitutus eſt, neque quicquam commercii cum ipsâ habet, nedum ipſi lex iſta cauſa mortis eſt, aut eſſe poteſt? Ad hanc quæſtionem D. *Tullii* reſponſum fruſtrà expectamus. 2°. Neſcio quâ veri ſpecie dixerit D. *Tullius*, v. 14. & ſeqq. luctam hominis contra carnem deſcribi, quæ cum certâ ſpe victoriæ conjuncta ſit. Contrà enim pugna ibi manifeſtè deſcribitur hominis, cui nihil certius expectandum ſit, quàm ut à carne vincatur, atque peccato captivus abducatur. Hoccine verò multùm facit ad pugnam ſtrenuè ſubeundam?

12. In eadem ſectione, interpretationem, quam D. *Tullius* ſequitur, à ſcopo & contextu Apoſtoli prorsùs alienam eſſe, hoc altero evidentiſſimo argumento probaveram: *Deinde cùm in confeſſo ſit apud omnes, Apoſtolum à v. 7. uſque ad v. 14. loqui de ſtatu hominis, qui eſt ſub Lege; quænam, obſecro, idonea ratio vel fingi poteſt, cur ſtatuamus, eum in verſu decimo quarto & decimo quinto mutare inſtitutum? præſertim cùm verba* Harm. Apoſt. p. 183, 184.

versûs decimi quarti manifeſtam antedictorum rationem contineant, ut ex cauſativa particulâ γάρ, quâ verſus iſte ſuperioribus connectitur, clarè liquet. Quid ad hoc argumentum D. *Tullius*? Diſſert. p. 11. Scommate, pro ſuo more, præmiſſo, ità reſpondet: *Quid clarius, quàm Apoſtolum in toto ſermone ab initio Epiſtolæ ad finem capitis ſeptimi id unum (aut imprimis) agere, ut peccatores à ſe ad Chriſtum abducat, à ſuâ operum juſtitiâ ad illam, quæ eſt per fidem in Chriſto? Quod ut feliciùs expediret, oſtendit, 1°. Legis eum eſſe rigorem, ut nulla ad ſalutem admittat opera, quibus vel minima peccati labes adhæret; fruſtrà itaque ex lege ſperari vitam. 2°. Eam quoque vim legis eſſe lethalem, non quidem ex naturâ ſuâ, ſed ex vitio omnibus innato, &c. Hoc verò cùm in omnibus innaſcatur & inhabitet tam in* Paulo *regenito, quàm in Chriſtum furibundo (etſi eandem in fidelibus tyrannidem per gratiam Chriſti non exerceat) quid, quæſo, erat ἀπροσδιόνυσον* Paulum *idem probare diverſis mediis, quorum alterum à ſe nondum regenito, alterum ex regenito uſurpaverit?* Quid verò aliud hîc agit D. *Tullius*, quàm ut verborum ambagibus lectorem ſuum fallat, atque à re ipſa abducat? Ità argumentamur: Particula rationalis γάρ in v. 14. ejus connexionem manifeſtè indicat cum ſuperioribus: quæ connexio oſtendit hîc agi de eâdem re, quæ antè tractata eſt; & pronomen *ego* de eodem homine intelligendum eſſe, qui anteà per idem pronomen eſt ſignificatus. Actum autem eſt anteà (omnium conſenſu) de homine ſub Lege exiſtente, & pronomem *ego* hominem ſub lege exiſtentem anteà denotavit: ergò & hîc, ubi cauſa redditur ejus quod ſuperiùs dictum eſt, agitur de homine ſub lege exiſtente. Secùs ſunt meræ ſcopæ diſſolutæ. Sic argumentum illud noſtrum aliis verbis formavit Theologus quidam doctiſſimus. Jam ad hanc objectionem ſolvendam, quid, quæſo, facit omnis ille D. *Tullii* ſermo? Ut res tota clariùs eluceſcat, paraphraſim inſtituemus v. 13. & 14. ad eorum hypotheſim accommodatam, qui ſentiunt Apoſtolum v. 14. incipere de ſe regenito agere.

TEXTUS.

TEXTUS.

v. 13. *Quod ergo bonum eſt mihi factum eſt mors? Abſit. Sed peccatum, ut appareat peccatum, per bonum operatum eſt mihi mortem: ut fiat ſupra modum peccans peccatum per mandatum.*

Paraphraſis.

An ergo lex bona mihi (ſcil. legis quidem cognitione inſtructo, ſed nondum per gratiam Evangelii renato) facta eſt cauſa mortis? Dictum abominor. Sed peccatum & vitioſi in me affectus, occaſione bonæ legis magìs (ut dixi v. 8.) irritati & accenſi, verè ac propriè cauſa fuere mortis illius; ut hinc appareat natura peccati, & quàm ſcelerata res ſit (ut ità dicam) ipſum peccatum, quod optimo Dei dono in perniciem meam converterit.

v. 14. *Scimus enim, quia lex ſpiritualis eſt; ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato.*

Ut cauſam hujus rei apertiùs dicam, conſtat, inter meam & legis naturam maximum eſſe diſſidium. Quippe lex, à Deo Spiritu puro profecta, Spiritualem vivendi rationem præſcribit; ego verò (ſcil. ipſe *Paulus*, jam ad fidem Evangelii converſus, Spiritu Chriſti donatus, adeóque ad ſummum Chriſtianæ virtutis faſtigium evectus) carnalis ſum ingenii, ſpirituali legi repugnantis, & vitioſis affectibus mancipatus: hinc illa mihi incumbit legem tranſgrediendi, ac proinde mortem Legis tranſgreſſoribus intentatam ſubeundi infœlix neceſſitas: Ut manifeſtum ſit, quòd mihi per legem mors contingat, id nequaquam ex legis ipſius vitio accidere, ſed ex depravato ingenio meo.

Quod hîc in paraphraſi verſûs decimi quarti parentheſi includitur, cùm neceſſariò ex D. *Tullii* hypotheſi inſerendum ſit, quàm inſulſa tamen, incongrua & abſurda oratio per illam parentheſim divino Apoſtolo affingatur, nemo non

videt. Sed omiſsâ illâ parentheſi, & pronomine *ego* v. 14. de homine intellecto, qui ſignificabatur eodem pronomine v. 13. & præcedentibus (quod fieri debeat nos contendimus) ſermo Apoſtoli clarus eſt & perſpicuus, ſibíque conſentaneus ut nihil ſuprá. Si autem cauſetur D. *Tullius*, inconcinnam iſtam paraphraſim ſibi injuriâ à nobis tribui, ipſum obnixè rogamus, ut aliam proferat, quæ neque verbis & ſcopo Apoſtoli, neque hypotheſi ſuæ repugnet: quod ſi fecerit, herbam illico porrigemus.

Diſſert. p. 12. 13. Sed inſtat D. *Tullius: Cur autem*, inquit, *amicus Harmoniſta tranſitum talem ab uno ſtatu ad alterum rem adeò abſurdam pronuntiaret, non video, ni ſeipſum ejuſdem abſurdi damnare velit, qui partem priorem iſtius capitis comm. 25. ad* Paulum *regenitum accommodat, quod æquè abſurdum.* Reſpondeo. Dico quidem Apoſtolum *Paulum*, poſtquam verſibus præcedentibus, miſerrimum hominis ſtatum, ſub lege conſtituti & Evangelii gratiâ deſtituti fusè deſcripſerat; tandem initio v. 25. (brevi parentheſi inſertâ) gratiam Dei per Chriſtum celebrare, quâ ſolâ à ſtatu illo deplorando tum ipſe liberatus fuerit, tum aliis liberationis via & facta fuerit & patefacta: deinde ad inſtitutum ſuum redire. An hæc parentheſis mea (neque mea tamen; quippe quæ ab antiquioribus Doctoribus miro conſenſu Apoſtolo tribuatur) æquè abſurda ſit atque iſta D. *Tulli* paraphraſis, judicent cordati omnes. Sed hâc de re plura dicemus in ſequentibus.

Diſſert. p. 13. 14. Pergit D. *Tullius: Quam*, inquit, *reperiet cohærentiam in verſu proximè ſequenti c. 8. 1. Nulla igitur eſt condemnatio iis, qui ſunt in Chriſto Ieſu? cùm ſecundùm ipſum nulla talium occurrit mentio in toto capite præcedente, niſi tantùm in brevi iſtâ particulâ commatis poſtremi, Ago gratias Deo,* &c. *Cùm autem nobis objecerit particulam ſuam cauſativam* γάρ, *quid faciet iſtis c. 8. 1.* ἄρα νῦν; *nulla nunc igitur condemnatio. Nunc igitur? cur quæſo? unde hoc infertur?* &c. Quas verò hîc in ſudo facit tenebras vir Reverendus? Reſpice, Lector, analyſim noſtram capitis 7. ad Romanos Harm. Apoſt. Diſſert. poſter. cap. 9. §. 4, 5, 6. ubi cohærentiam Apoſtolici ſermonis in toto capite ſeptimo, ſimúlque capitis octavi cum ſeptimo clarè explico. Summa ejus analyſis hæc eſt. 1°. Verſibus quatuor prioribus cap. 7. docet Apoſtolus, Judæos qui Chriſti fidem amplexi ſunt, non ampliùs

ampliùs obligari vinculo legis per Moſem datæ; ſed ab ea obligatione perindè liberos eſſe, ac mulier libera eſt à Matrimonii vinculo, mortuo marito. 2°. Ut quale quantúmque ſit hoc beneficium intelligerent Judæi, docet *Paulus* v. 5. quàm planè miſer ſit eorum ſtatus, qui ſub lege ſunt: Contrà v. 6. oſtendit fœlicem eorum conditionem qui à legis vinculo per Chriſtum liberantur. Ut apertè falſum ſit, quod D. *Tullius* fidenter affirmat, juxta noſtram interpretationem, nullam fieri regenitorum mentionem in toto capite 7. niſi tantùm in brevi iſtâ particulâ commatis poſtremi. Nam fatemur adcóque contendimus, de regenitis agere Apoſtolum ab initio capitis uſque ad v. 7. 3°. Cùm Apoſtolus v. 5. non contentus dicere, legem non valuiſſe ad pravos hominum affectus tollendos, rem in contrarium deduxiſſet ſuo more, affirmando non ſolùm legem ad auferendas malas cupiditates non profuiſſe, ſed & per accidens iis excitandis atque inflammandis inſerviiſſe: nè hoc dictum Judæis odioſum videretur, iſſque anſam præberet cavillandi, quaſi doceret Apoſtolus, Legem eſſe cauſam peccati, atque ob id malam, ideo v. 7. objectionem hanc prudenter anticipat, & in ſequentibus fusè refellit. 4°. In ſolutione hujus objectionis v. 7. propoſitæ, & alterius ab ipſa natæ v. 13. immoratur Apoſtolus uſque ad finem capitis ſeptimi. Quid hoc manifeſtius? 5°. Denique Apoſtolus initio capitis 8. repetit ea quæ dixerat in verſibus ſex prioribus capitis ſeptimi, (unde uſque ad iſtud initium capitis 8. ad reſpondendum objectionibus manifeſtam digreſſionem fecerat) nempe tum vinculum legis Moſaicæ ſolutum eſſe, neminémque propter non obſervatas ejus ceremonias damnatum iri, qui viam illam vitæ Spiritualis in Evangelio præſcriptam incedat v. 1. tum omnes verè Chriſtianos per Evangelium ab iſto peccati Dominio eſſe liberatos, à quo ut liberarentur per legem Moſaicam, nulla erat vel ſpes, vel poſſibilitas v. 2, 3, 4. & ſeqq. Hâc analyſi ſermonis Apoſtolici ſi clariorem noverit D. *Tullius*, utinam candidus impertiat; ſin minùs, ipsâ mecum uti nè dedignetur. Interim ex his ſatìs videt lector cordatus, quanta fuerit Doctoris præcipitantia, qui ſuam de cohærentia ſermonis *Paulini* diſputationem hoc ſarcaſmo (tanquam triumphans & victum adverſarium irridens)

clauſerit: *videat nunc Harmoniſta, quò ipſum præcipitantia ſe duxerit.*

15. Sectione nonâ objectioni Adverſariorum occurro ad hunc modum: *Quod ergo objici ſolet de mutatione temporis in v. 14. adeò leve eſt, ut meritò pudeat viros graves tali argumento pugnare. Quid enim? Quia Apoſtolus à tempore præterito ad præſens tranſiit, ideóne ſtatuendum erit, ipſum à propoſito ſuo in materiam ab eo remotiſſimam receſſiſſe? Quis neſcit hanc temporum mutationem, vel in eodem orationis contextu, omnibus ferè ſcriptoribus ſatis familiarem eſſe? maximè cum res, de qua agitur, eadem quæ erat adhuc maneat.* Ad hæc D. *Tullius: Itáne verò? Hem! An quenquam pudere debeat tempus præſens à præterito ſeparare, maximè ubi res ipſa poſtulat?* Reſpondeo, minimè certè. At propter ſolam temporis mutationem, ſermonem graviſſimo & divino Apoſtolo affingere, ab inſtituto ejus longè remotiſſimum, adeóque incongruum & abſurdum, hoc, inquam, viros graves minimè decet. Pergit D. *Tullius*; *Imò*, inquit, *rationis ullam vel umbram oſtendat, cur* Paulus *à præterito ad præſens delaberetur, ubi nihil prorsùs ad inſtitutum fecit. Sic enim ſermonem de ſe irregenito deinceps continuat, quid opus erat, ut tempus mutaret?* Reſpondeo. Pluſquam rationis umbram aliquam oſtendi, cur *Paulus* de eodem homine irregenito adhuc agens, à præterito ad præſens delaberetur. Audi, Lector, verba mea, non ut à D. *Tullio*, pro more ſuo, miſerè truncata & mutilata citantur, ſed integra. *Quid*, inquam, *quòd ratio hujus mutationis ex ipſo contextu ſatis manifeſta ſit? Apoſtolus enim v. 9. hominem hîc repræſentatum conſideraverat in eo ſtatu, quo erat priuſquam legem accepiſſet. Deinde in ſequentibus uſque ad v. 14. eventum oſtendit, qui homini iſti poſt acceptam legem contigit; quòd ſcil. & majoris culpæ reus & graviori pœnæ obnoxius per legem factus fuerit. Huc uſque igitur par erat, ut Apoſtolus præterito tempore uteretur. At v. 14. cauſam oſtendit, cur ex lege aliud in homine conſequatur, quàm id, quod per ſe lex propoſitum habet. Alia, inquit, eſt natura legis, alia hominum, qui ſub Lege ſunt,* &c. *Non autem conveniebat, ut Apoſtolus cauſam præſentem commonſtrans in tempore loqueretur præterito, aut diceret: Lex erat Spiritualis, ſed ego eram carnalis: quin dicendum erat potius in præſenti: Lex eſt ſpiritualis,*

ſed

Harm. Apoſt. p. 184.

Diſſert. p. 14.

Harm. Apoſt. p. 185.

sed ego sum carnalis, ut cuivis rem attendenti facilè liquebit. Quid ad hæc D. *Tullius?* *Ità certè*, inquit, *quod priorem attinet sententiæ clausulam, non conveniebat* Paulum *nugatoriè loqui, cùm lex non erat modò, sed semper sit spiritualis. Nemo hominum, nisi nugator, dicet, ego eram homo. Satis tamen conveniebat* Paulum *dicere, ego sum carnalis, quia πῶς & aliquo sensu talis semper extitit, de quo statim.* Itaque fatetur D. *Tullius* rationem esse evidentem, cur *Paulus* de legis natura agens, tempore uteretur præsenti, imò ipsum non potuisse nisi nugatoriè aliter loqui. In responsione verò de posteriori sententiæ clausulâ, quàm miserè (quod pace ejus dixerim) nugatur ipse? Scilicet non hîc quæritur, quo sensu *Paulus* personam ibi descriptam dixerit carnalem; (eâ de re posteà agitur) sed cur Apostolus in utraque clausula tempus mutaverit, & in præsenti nunc loquatur. Rationem satis evidentem hanc afferimus, quia non conveniebat, ut Apostolus causam præsentem commonstrans tempore uteretur præterito; quin omninò oportebat ut in præsenti loqueretur. Ob hanc solam rationem contendimus, *Paulum* dixisse, non lex erat, sed *est* spiritualis, & ob eandem rationem, non ego *eram*, sed *sum* carnalis, & similiter in sequentibus. Ad hanc rationem enervandam quid attulit D. *Tullius*? οὐδὲ γρύ. p. 14, 15.

16. Ejusdem capitis sectione 10. altero argumento eorum sententiam convello, qui caput 7. ad Rom. à v. 14. exponunt de ipso *Paulo* eóque regenito; quòd nempe ista sententia sermonem affingat Apostolo prorsùs contrarium ac repugnantem. Hanc generalem rationem multis instantiis illustro & confirmo, quarum prima hæc est: *De homine hîc descripto dicitur*; Ego sum carnalis *v.* 14. *at de regenito dicitur, quòd non secundùm carnem ambulet, sed secundùm spiritum cap.* 8. *v.* 1. Ad hoc ità respondet D. *Tullius*: *Quasi verò*, inquit, *carnalem esse (sive carnem habere sensu Apostolico) & secundùm carnem ambulare, idem sonarent, quæ δὶς διὰ πασῶν dissonant. Iterùm τὸ ἐν ἀρχῇ. Apostolus secundùm carnem minimè ambulavit, verè tamen dixit, Ego sum carnalis. Ostendam quomodo, adhibitâ distinctione necessariâ, eâque satis perspicuâ. Carnalis enim dicitur aut interpretatione Legis, aut Evangelii: priore modo etiam sanctissimus in terra erit carnalis, quia quantâ-*

cunque

cunque polleat ſanctitatis gratiâ, minimè aſſurgit ad ſpiritualitatem (ut ità loquar) Legis, quæ peccatum omne procul abigit, & carnem pronuntiat. Quibus regero 1°. Differunt quidem *carnalem eſſe*, & *ſecundùm carnem ambulare*; ſed ità tantùm, ut illud habitum carnalitatis (ut ſic dicam) ſignificet, hoc verò actiones & facta carnalia magis reſpiciat. Quiſquis autem carnalis eſt, is ſecundùm carnem ambulat & vice verſâ. 2°. Facile eſt Doctori diſtinctiunculas pro libitu ſuo cudere, quæ ſibi perſpicuæ videantur, & reverà ipſi neceſſariæ ſint ad hypotheſim ſuam tuendam: ſed nos phraſes ſcripturæ ex ſcripturis, non ad ipſius arbitrium & uſum exponendas contendimus; proinde quærimus, ubi in S. literis homo verè pius, nedum ſanctiſſimus, qualis ſanè *Paulus* erat, carnalis, nempe reſpectu affectuum, appelletur? Carnales quidem dicuntur ab ipſo *Paulo Corinthiorum* plerique ratione imperfectioris ſcientiæ, & quòd rudes fuerint in cognitione myſteriorum Evangelii, 1 *Cor.* 3. 1. (quæ ſignificatio ab hac quæſtione aliena eſt) plerique etiam ob carnales affectus in ipſis prædominantes: ut ſanè ſemper fuere, erúntque ſemper, ſub ipsâ lege ſpiritûs vitæ, nimiùm multi carni ſervientes. Tales omninò videntur fuiſſe ex Corinthiis illi, qui ab Apoſtolo capitis citati v. 3. reprehenduntur: *cùm enim*, inquit, *ſint inter vos æmulatio, & contentio, & ſchiſmata, nonne carnales eſtis, & ſecundùm hominem ambulatis?* Ἔρις, Ζῆλος & διχοστασίαι (ipſa vocabula, quibus hîc utitur) alibi numerat Apoſtolus inter opera carnis, quæ hominem certò excludunt à regno cœlorum, *Gal.* 5. v. 20. Itaque probatio hoc in loco eſt ab effectis. Nam cùm ſint carnis fructus æmulatio, contentio, ſchiſma; ubicunque ſpectantur, certum eſt, radicem illic vigere: regnabant hæc mala apud Corinthios pleroſque; hinc Apoſtolus convincit, eos eſſe carnales. Fuere etiam inter Corinthios, qui ob alia carnis opera, meritiſſimo jure carnales dici poterant: utpote qui ebrietati, (idque in ſacra ſynaxi) 1 *Cor.* 11. 21. & ſcortationi aliiſque nefandis immunditiis, 2 *Cor.* 12. 20, 21. impensè addicti fuerint. Verùm demus, à *Paulo* Corinthios quoſdam verè pios, ſed in gradu pietatis infimo conſtitutos, carnales ratione affectuum dictos fuiſſe: adhuc tamen locum Scripturæ quærimus, ubi vox *carnalis* eo ſenſu accipitur, quo ipſi *Paulo*

eximiæ

eximiæ ſanctitatis viro (qui *Corinthios* eo nomine acriter reprehenderit, quòd carnales fuerint) conveniat. Contendit quidem D. *Tullius* in hoc loco, quo de agitur, vocabulum eo ſenſu accipiendum, ex ipſo textu liquere. Nam ex iſtis Apoſtoli verbis; *Lex eſt ſpiritualis, ego autem carnalis*, ità argumentatur; *Carnalitas iſta, quam ibi loquitur, palàm opponitur ſpiritualitati, ſive (ut latiniùs dicam) perfectioni Legis. Et quotuſquiſque, obſecro, ab iſta carnalitate, dum in terris degit, immunem ſe profiteri audeat? Cùm legem illam, ſuâ puritate uſque adeò tremendam, intuetur, quis, cum ſanctiſſimo Apoſtolo, non ſtatim exclamabit, ego ſum carnalis.* Verùm hîc iterùm D. *Tullius*, planè pro libitu ſuo, nullius textûs S. Scripturæ, nullius veteris Eccleſiaſtici Scriptoris authoritate fretus, novam interpretationem voci πνευματικὸς tribuit, ut vocabulo σαρκικὸς ſenſum, nullo itidem exemplo fultum, affingat. Quis enim unquam legerit vocem illam ab idoneo aliquo Authore eo ſenſu uſurpatam, quo legis ἀκρίβειαν, hoc eſt, *rigorem* ſignificet? Lex ſine dubio hîc dicitur πνευματικὸς *ſpiritualis*, quòd ſpiritualem vivendi rationem præſcribat, ſive quòd poſtulet, ut ſecundùm Spiritum ambulemus, carnem verò ejúſque deſideria & affectus mortificemus & crucifigamus, ut Scripturam Scripturæ phraſibus exponam: unde & opponitur Lex Spiritualis homini carnali, i. e. homini carnis affectibus dedito. Quæ oppoſitio inter hominem carnalem & Legem Spiritualem mox à *Paulo* clariùs explicatur cap. 8. v. 7. his verbis: *Quoniam ſtudium carnis inimicitia eſt cum Deo: Legi enim Dei non ſubjicitur, neque ſubjici quidem poteſt.* Nemo non videt, loca eſſe planè gemina. Ut enim hîc φρόνημα σαρκὸς, *ſtudium carnis*, ſic in loco, de quo quæritur, *homo carnalis*, ob carnis ſtudium ità appellatus, omnino opponitur Legi Dei. Atque ut exactam locorum convenientiam perſpicias, ſicut quod dicitur *Rom.* 8. 7. nempe, *Studium carnis inimicitiam eſſe cum Deo, neque Legi Dei ſubjici poſſe*, rationis loco additum eſt ei, quod præceſſerat v. 6. nempe, *ſtudium carnis mortem eſſe*: ità prorsùs verba illa *Rom.* 7. v. 14. *Lex eſt ſpiritualis, ego carnalis ſum*, annectuntur verſui 13. ut ratio ejus, quod ibi dictum fuerat, nempe, *bonam Legem mortem factam fuiſſe*, ſive, *mortem per peccatum effeciſſe.* Utrobique ſenſus Apoſtoli

manifeſtus idem eſt, nempe, magnam partem hominum mortem Lege intentatam incurrere non Legis culpâ, ſed vitio ſuo, ideo ſcil. quia carnales ſint, atque ejuſmodi ingenii, quod Legi Spirituali planè repugnet, ipsique ſubjici omnino nequeat. Quid his clarius? Itaque ex ipſa oppoſitione inter Legem Spiritualem & hominem carnalem, argumentum hoc contra Adverſarios ἀναπάλυτον formamus: Homo, de quo agit Apoſtolus v. 14. cap. 7. ad *Rom.* ideo carnalis dicitur, quòd ejuſmodi ingenii ſit, quod repugnet planè ſpirituali illi vivendi rationi, quam Lex præſcribit, ſive quod Legi Dei, talem vivendi rationem præſcribenti, ſubjici nequeat: unde & mortem ſibi conſciviſſe dicitur: Sed hæc in hominem regenitum, ſeu verè pium neutiquam competunt; ergo in commate iſto non agitur de homine regenito, ſeu verè pio.

17. In eadem Sectione, ex eodem v. 14. ità argumentor: Homo ibi deſcriptus, dicitur *peccato venundatus*, ductâ metaphorâ ab iis, qui venditione toti traduntur in Domini alicujus imperium & poteſtatem, & phraſi planè eâdem, quæ in Scripturis uſurpatur de *Achabo Regum* & mortalium peſſimo, 1 *Reg.* c. 21. v. 20. ubi 70 Interpretes habent ἐπράθη ποιῆσαι τὸ πονηρόν. At de regenito affirmatur, quòd *liberatus à peccato ſervus factus ſit juſtitiæ*, Rom. 6. v. 18. Quid ad hæc D. *Tullius?* Summa ejus reſponſionis huc redit: *Diſtinguendum omnino eſſe inter ſervum voluntarium & coactum, aliud eſſe peccato vendi, aliud ſe vendere.* Miſerrimum ſanè κρησφύγετον. Quaſi ſcil. quiſquam peccati ſervus fieri poſſet, voluntate ſuâ renitente. Certè ut nullum peccatum niſi voluntarium, ità nemo peccati verna, niſi qui talis voluntariò fiat: nemo peccato venditus, qui ſe non vendidit. Pulchrè rem explicat *Damaſcenus*, de hoc loco differens, lib. 4. Orthod. Fid. cap. 23. Ἡ παρεσβολὴ δὲ τῆ πονηρᾶ, τυτέστιν ὁ νόμος τῆς ἁμαρτίας, ἐπεβαίνων μέλεσι τῆς σαρκὸς ἡμῶν, δι' αὐτῆς ἡμῖν παρεσβάλλει· ἅπαξ γὰρ παραβάντες ἑκουσίως τὸν νόμον τῆ Θεῆ, καὶ τὴν παρεσβολὴν τῆ πονηρᾶ παραδεξάμενοι, ἐδώκαμεν αὐτῆ εἴσοδον, πραθέντες ὑφ' ἑαυτῶν τῆ ἁμαρτίᾳ· ὅθεν ἑτοίμως ἄγεται τὸ θέλημα ἡμῶν πρὸς αὐτήν· i. e. *Suggeſtio maligni, hoc eſt, lex peccati, adveniens membris carnis noſtræ, ſe per hanc nobis immittit. Nam ſemel tranſgredientes voluntariè legem Dei, dedimus illi ingreſſum, venundati à nobis ipſis peccato:*

Diſſert. p. 16.

cato: unde promptè ducitur corpus noſtrum ad illud. Quibus gemina ſunt, quæ habet *Baſilius* Moral. Reg. 23. Ὅτι ὁ ἄκων ἑλκόμενος ὑπὸ ἁμαρτίας ὀφείλει γνωρίζειν ἑαυτὸν ὑφ' ἑτέρας προσνυπαρχούσης κρατούμενον ἁμαρτίας, ᾗ ἑκὼν δουλεύων ἄγεται λοιπὸν ὑπ' αὐτῆς, ᾗ ἐφ' ἃ μὴ θέλει· i. e. *Quòd qui præter animi ſui voluntatem trahitur ad peccatum, is intelligere debet, ſe ab alio, à ſe priùs commiſſo, peccato conſtrictum teneri: cui ultrò inſerviens, de cætero ducitur ab ipſo etiam ad ea, quæ minimè vult.* Ad regulam probandam ἀμέσως affert *Baſilius* verba Apoſtoli *Rom.* 7. *Scimus enim quòd lex ſpiritualis eſt, ego autem carnalis ſum, venundatus ſub peccato*, &c. Itaque truſtrà eſt D. *Tullius*, cùm de diſcrepantia inter 70 ſenes & textum Hebræum in loco 1 Reg. c. 21. v. 20. nobis tradendo, tam ſeriò monet Lectorem, méque loci ejuſdem haud bonâ fide citati arguit his verbis: *Locum hunc à Diſſertatore huc trahi (licèt à paucis quoque aliis) mirum eſt. Nam etſi* 70 *ſenes ità verterant*, ἐπράθη *venditus eſt, qui fontem tamen Hebraicum inſpexerit* התמכר *videbit cum noſtra verſione Anglicana conſentire,* [*he ſold himſelf*] *quod à viro veritatis ſtudioſo minimè clàm prætereundum erat; hoc enim ſapit umbratilis magis victoriæ, quàm divinæ veritatis curam.* Equidem utcunque Harmoniſtam juvenem contempſerit, putârim tamen, verſionem 70 Senum, duobus præſertim ad numerum additis, (qui certè fontem Hebraicum non indiligenter inſpexerunt) apud ipſum aliquid momenti habiturum. Sed quantus hîc clamor de re quantula, imò nihili! Scil. *peccato vendi* & *ſe vendere* (ut diximus) eódem recidit. Verùm ſi D. *Tullius* poſtulaverit à nobis locum, ubi *venditus peccato* (phraſi paſſivè acceptâ) noſtro ſenſu uſurpetur, adeat, ſi lubet, 1 *Maccab.* cap. 1. v. 16. Ubi Author de ſceleratiſſimis quibuſdam Judæorum ſic loquitur: *Et facientes ſibi ipſis præputia, abſceſſerunt à fœdere ſancto, & conjuncti Gentibus*, Venditi fuerunt ad faciendum malum. Nihil refert, quòd liber ſit Apocryphus; cùm in quæſtione de genuino ſenſu phraſeos apud Hebræos uſurpatæ, quin Author Hebræus, hebraicè (*Hieronymo* teſte) ſcribens, antiquus, in Eccleſia Chriſtiana veteri magno in pretio habitus, imò à Veterum multis in ipſo Scripturæ Canone repoſitus, pro judice competenti haberi debeat, nemo ſanus negaverit. Ex hoc autem

Tom. 2. *p.* 433. *Edit. Paris.* 1637.

tem loco coll. 1 *Reg.* 21. 20. apparet veteres Judæos, phrasi illâ *peccato venditum esse*, sive *peccato se vendere*, tanquam proverbiali locutione, profligatissimum peccatorem designare solitos fuisse. Quis itaque credat, (nisi qui facilè credat, quicquid voluerit) Apostolum *Paulum* Judæum, & Judaico more ubique loquentem, in sermone ad Judæos directo v. 1. phrasi eo sensu usum fuisse, quo homini regenito & verè pio, adeóque sanctissimo competeret? Certè hîc meritò reponuntur D. *Tullio* ipsius verba: *Scrutemur Scripturas, & caveamus, nè rebelles inveniamur adversùs lucem.*

Dissert. 30.

18. Vides, Lector, quàm invicta argumenta ex hujus capitis v. 14. ad nostram sententiam confirmandam adduximus. Istis autem illud pro coronide adjiciam: ipsum *Calvinum*, & post ipsum *Bezam*, aliósque multos inter Reformatos Theologos, qui *Calvinum* secuti sunt, quanquam de interpretatione versuum sequentium cum D. *Tullio* consentiant, tamen, rei ipsius evidentiâ convictos, fateri, totum comma 14. de homine non regenerato exponendum esse: ac proinde sermonem Apostoli de se regenito à v. 15. incipere. Sic enim *Calvinus* ad locum: *Nunc*, inquit, *propiùs committere inter se legem & hominis naturam incipit, ut clariùs intelligatur, unde mortis vitium emergat. Deinde exemplum proponit hominis regenerati.* Et mox: *Nudam Naturæ & Legis comparationem proponit. Quam nullum sit in rebus humanis dissidium majus, quàm Spiritùs & carnis: Lex Spiritualis est, homo carnalis. Quæ igitur convenientia naturæ hominis cum Lege? nempe, quæ luci cum tenebris.* Et rursùs: *Caro vocantur homines, quales nascuntur, & quandiu suum ingenium retinent: quia ut vitiosi sunt, ità nihil sapiunt, aut spirant nisi crassum & terrestre.* Denique verba illa, *venditus sub peccato*, sic exponit: *Hâc*, inquit, *particulâ declarat, quid valeat per se caro. Natura enim non minùs servus est peccati homo, quàm empta mancipia, quibus heri, non secus ac bobus vel asinis, pro libidine abutuntur, &c. Coactionem semper excipio: sponte enim peccamus, quia peccatum non esset nisi voluntarium. Quare hæc similitudo non coactam (ut loquuntur) astrictionem sonat, sed voluntarium obsequium.* Quid contra Doctoris lepidam distinctionem, inter servum peccati voluntarium & coactum expressius dici potuit? Ad comma verò 15. ità scribit idem

Cal-

Calvinus: *Nunc deſcendit ad exemplum particulare hominis jam regenerati*, *&c.* Similiter *Beza* in notis brevioribus ad locum: *Cauſa hujus rei hæc eſt*, *quòd Lex cœleſtem puritatem flagitet*, *homines autem*, *quales naſcuntur*, *ſunt corruptionis mancipia*, *cui ſponte ſerviunt.* Idem ad com. 15. ità ſcribit: *A verſu 7. uſque ad hunc 15. Legis uſum docuit in non regeneratis.* Ad eundem modum (ut alios taceam, qui *Calvinum* ſecuti ſunt) *Aretius* locum interpretatus eſt: qui & verba illa Apoſtoli, *venditus ſub peccato*, exponit per *illius plenum mancipium.* Certè autem ob eaſdem rationes, quibus illi moti fuerunt ut v. 14. de homine non regenerato interpretarentur, debuerant etiam ſequentia ad eundem hominis ſtatum referre. Nimirum cogebantur fateri, Apoſtolum in v. 14. de homine non renato agere, 1°, quòd verba commatis illius annectantur verſui 13. & cauſam ejus, quod ibi dictum eſt, manifeſtè contineant; ibi verò Apoſtolum de homine non regenerato agere palàm ſit: 2°. Quòd phraſes iſtæ *carnalem eſſe*, & *peccato venundatum*, juxta uſum Scripturæ, ad hominem regenitum neutiquam accommodari poſſint. Jam, inquam, quomodo non viderunt, iiſdem argumentis omnino evinci, etiam ſequentia de homine non regenerato exponi debere? Nam primùm verba v. 15. manifeſtè connectuntur per eandem rationalem particulam γὰρ cum v. 14. Deinde phraſes iſtæ, quæ de homine in ſequentibus deſcripto uſurpantur, nempe quòd *carne Legi peccati ſerviat*, v. 25. quòd *Legi peccati captivus ducatur*, v. 23. nonne idem ſonant, quod carnalem eſſe & peccato venundatum? Illud præterea addendum, argumentum D. *Tullii*, ad ſententiam ſuam confirmandam, à mutatione temporis à præterito in præſens ductum; quod ille tanti facit, ut auſit pronuntiare, Adverſarios ipſum ſuo pondere non premere ſolùm, ſed opprimere; etiam judicio *Calvini*, *Bezæ*, & aliorum Reformatorum Theologorum, nullius eſſe ponderis. Nam illa temporis mutatio primùm fit in v. 14. quem tamen Theologi illi de homine non renato omnino exponendum contendunt. *Diſſert. p. 14.*

19. Sectione duodecimâ argumenta pro contraria ſententia, à *Pareo* in explicatione capitis 7. ad *Rom.* ſedulò collecta, propono diſcutienda. Eorum hoc primum eſt: *Manifeſtum* *Harm. Apoſt. p. 187.*

niſeſtum eſt, inquit, *de ſe non de alio loqui Apoſtolum, quia continuat querelam de ſe in prima perſona per totos duodecim verſus, ego ſum carnalis*, &c. Reſpondeo. Neminem, niſi qui in *Paulinis* Epiſtolis planè hoſpes ſit, neſcire, hunc μετασχηματισμὸν, quo in ſua perſona, quæ ad alios pertinent, exprimere gaudet, eſſe figuram Apoſtolo ſatìs familiarem. Atque ad illud probandum, cito loca, 1 *Cor.* 4. v. 3,4. coll. v. 6. *Rom.* 3. 7. 1 *Cor.* 6. 12. 15. & 10. 23. 29, 30. *Gal.* 2. 18. Quid hìc D. *Tullius?* Rhetoricationibus quibuſdam, pro more ſuo, præmiſſis, ità tandem rem ipſam aggredi videri voluit:

Diſſert. p. 18. *Perpendat verò*, inquit, *Lector & memoriâ teneat, quam in ſe ſuſcepit provinciam*; Paulum *ſcil. aliis locis de ſe in prima perſona loqui, quæ multùm abeſt ut viro ſancto conveniant. Hoc illi onus incumbit. Conſulamus loca, & vel lippi videant quàm bellè reſpondeant.* Sed neſcio unde id jus in Harmoniſtam habet D. *Tullius*, ut onera ipſi pro libitu ſuo imponat. Nam ubi, quæſo, apud Harmoniſtam iſta reperiuntur, (quæ tamen ut ipſiſſima ejus verba diſtincto charactere deſignat D. *Tullius*) Paulum *aliis locis de ſe in prima perſona loqui, quæ multùm abeſt ut viro ſancto conveniant?* Verba mea, ut vides, hæc ſunt: μετασχηματισμὸν, *quo in ſua perſona, quæ ad alios pertinent, exprimere gaudet, eſſe figuram Apoſtolo ſatìs familiarem.* Nonne verò hoc probant loca à me citata? Certè, vel ipſo D. *Tullio* fatente. Interim certiſſimum eſt, in uno ſaltem locorum allatorum, de ſe *Paulum* in prima perſona loqui, quæ multùm abeſt ut viro ſancto conveniant. Sic enim loquitur *Rom.* 3. 7. *Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipſius, quid adhuc & ego tanquam peccator judicor?* Mendacium vocat infidelitatem, ſive incredulitatem Judæorum, de qua locutus fuerat, v. 3. Dixit autem mendacium, ut rectè notat *Eſtius*, propter Antitheſim cum veritate Dei. Abundare in gloria eſt clariorem fieri. Senſus totius versûs eſt: Si veritas Dei, per meam, qui infidelis Judæus ſum, incredulitatem, clarior & illuſtrior facta eſt, (nempe in vocatione Gentium) quo jure mea iſta infidelitas à Deo punietur? Itaque Apoſtolus (ut in cap. 7. ad *Rom.* ità) hìc Judæorum perſonam ſuſtinet, & de ſe in prima perſona loquitur, quod multùm abeſt ut viro ſancto conveniat. Quippe loquitur in ſua perſona de infidelitate Judæorum, à qua tamen ipſe longiſſimè abfuit.

abfuit. Sed D. *Tullius*, ad ſcopum & contextum loci minimè attendens, ſenſiſſe videtur, vocem *mendacium* hîc propriè & ſtrictè ſumi pro ejus quod falſum eſt deliberatâ enuntiatione, & *Pauli* adverſarios ejuſcemodi mendacii ipſum falsò accuſáſſe. Merum ſomnium.

20. Proximâ Sectione, ad id, quod urget *Paræus*, reperiri quidem in Scripturis perſonarum Enallegan; ſed eam quovis loco ex textu liquere, hîc verò nullo modo liquere: his verbis reſpondeo: *Imò verò, inquam ego, ſi ullo in loco liquet, certè hîc liquidò liquet. Ut enim taceam allata jam argumenta, quæ hanc figuram planè neceſſariò poſtulant; cùm Apoſtolus ſatisfacere vellet iſti objectioni, Legem eſſe cauſam peccati, atque reſpondere, tantùm abeſſe, ut peccati cauſa ſit, ut ea ſola peccati naturam accuratè ſolidéque demonſtret: ait ſe, abſq; Lege eſſet, quid ſit concupiſcentia nunquam fuiſſe cogniturum, & olim cùm eſſet χωρὶς νόμου ſine Lege, eam à ſe minimè fuiſſe cognitam, v. 9. Equidem illud eſſe χωρὶς νόμου in Apoſtoli ſcriptis Gentilium ſtatum & conditionem ſignificat, vel eorum, qui Lege ſcriptâ carent, ut opponitur eorum conditioni, qui vivunt ſub œconomia legali. Vivere enim χωρὶς νόμου & ἀνόμως vel ἄνομον idem ſignificant. Vide* Rom. 2. 12. 1 Cor. 9. 20, 21. *Nunquam autem certè Apoſtolus eo modo ſine Lege fuit, ſiquidem Judæus erat genere, à teneris unguiculis Gamalielis diſcipulus, qui Legis doctrinam unà cum lacte ſuxerat. Neceſſe eſt igitur, ut ſtatuamus Apoſtolum in ſua perſona voluiſſe repræſentare ſtatum Judæorum, primò quales fuerint χωρὶς νόμου ante Legem latam; deinde quales facti ſint ἀλλάξαντες τῆς ἐντολῆς poſtquam Lex data eſſet. Quòd ſi ſermonem ab hac perſonarum enallage auſpicatus eſt, quæ ratio nos eò inducat, ut credamus, eum ab illa deſtitiſſe in verſibus ſequentibus?* Integrum attuli paragraphum, quò Lector clariùs perſpiceret, quàm manifeſtè hîc tergiverſetur D. *Tullius*. Quid enim ille ad hæc reſpondet? *Locus*, inquit, *fateor, ſub-obſcurus, (in qualibus ludere ſolent curioſorum ingenia) & ſuo per me ſenſu abundet unuſquiſque, modò nè trahatur ad excludendum* Pauli *de ſe ſermonem; nulla enim hoc poſtulat neceſſitas.* Quod tantundem eſt, ac ſi dixiſſet: Fateor quidem me nihil certi habere, quod ad hoc argumentum reſpondeam: ſed nunquam fatebor tamen, *Paulum* in hoc capite de ſe non loqui. Verè dixit vir optimus: *Nulla tam miſera*

Harm. Apoſt. p. 188.

Diſſert. p. 19.

misera tam addicta servitus est, quàm δουλεύοντος τῇ ὑποθέσει. Sed loci obscuritatem obtendit D. *Tullius:* nimirum ut in tenebris, quas ipse offudit, elabatur. Equidem ipse sol meridianus illi obscurus est, qui oculos claudit ac videre nolit. Alioqui nescio, quid in hoc loco obscurum sit. An obscurum est, quid *Paulo* sit esse χωρὶς νόμου, *sine Lege?* Constanter apud ipsum phrasi illâ significatur eorum status, qui Lege scriptâ carent, ut ex locis allegatis patet. Nunquid obscurum est, utrúmne ipse *Paulus* scriptâ unquam Lege caruerit? minime Gentium: nam sub Lege natus fuit, & unà cum lacte Legis doctrinam (ut diximus) suxerat. Quid verò ex his tam manifestis sequitur? nempe Apostolum hoc in loco de se non loqui; sed alienam personam sustinere: ὅπερ ἔδει δεῖξαι. Verùm mox animum recipit D. *Tullius*, & loci subobscuri explicationem aggredi audet his verbis: *Ego quidem (bona cùm doctiorum venia) ad eorum sententiam accedo, qui non de Lege simpliciter, sed* κατά τι, i. e. *de Lege apud irregeniti conscientiam minimè efficaci, nec sensu quo debuit, intimo & spirituali intellecta; hoc enim æquivalenter idem est, ac non esse Legem; non quòd nulla sit formaliter, sed quòd vim suam, quasi reverà non esset, haud exerat.* Ut crassissimum in his verbis solœcismum (ex nimia, ut puto, festinatione ortum) præteream, certè candorem Doctoris omnino desideraverim. Ipsissimum hîc *Paræi* responsum affert, quod nescire non poterat irrefragabilibus à me argumentis refutatum esse *Harm. Apost. Dissert.* poster. cap. 9. §. 14. Lege paragraphum, quisquis veritati studes, & penès te esto judicium. Itaque ipse D. *Tullius*, huic interpretationi diffidens, rursùs monet Lectorem, ut illud argumentum nostrum súsque déque habeat, atque hanc conclusionem, *Paulum* etiam hîc de se loqui, mordicùs teneat. Sic enim responsum suum claudit: *Certè, (præsens quod attinet institutum) de loci sententia non magnopere laborandum videtur, modò, utì diximus,* Paulum *de se loqui inconcussum tueamur.* Contra Adversarium verò, in hypothesim suam ità quasi juratum, quorsum attinet argumentis pugnare? Fruatur judicio suo.

Harm. Apost. p. 191. & seqq. 21. Ad ea, quæ Sectione 15, & 16. contra *Paræum* disserui de phrasibus ab Apostolo usurpatis, nempe, *velle bonum* & *nolle malum*, tam nullius momenti sunt, quæ respondet D. *Tul-*

D. *Tullius*, ut vix operæ pretium ſit iſtis immorari. Judicem rursùs appello cordatum Lectorem, qui noſtra cum iis, quæ hîc ab ipſo reponuntur, conferre non gravabitur. Itaque iſta leviter perſtrinxiſſe ſufficiat. 1°. Negat D. *Tullius*, voluntatem, quamvis abſolutam, vehementem & conſtantem, neceſſariò ſecum trahere actionem; imò illud quotidianâ refutari experientiâ dicit. Poſt tot paradoxa Theologica, quale hîc habemus portentum philoſophicum! Si enim actiones reſpiciamus, quæ ſunt ἐφ' ἡμῖν, (de quibus ſolis quæſtionem moveri ſanus quiſque videt, ſiquidem in iis, quæ non ſunt noſtra in poteſtate, non præſtitiſſe, quod volumus, in vitio non ponitur) nulla eſt in univerſa philoſophia hâc propoſitione certior: *Voluntas abſoluta & conſtans neceſſariò ſecum trahit actionem.* Quippe voluntas totius hominis vires regit: proinde quicquid facere poſſumus, & volumus voluntate abſolutâ & conſtanti, id omnino neceſſariò facimus. Quod de *Petro* ſubjicit vanum eſt: *Petrus* cùm Chriſtum negaret, non voluit voluntate abſolutâ Dominum non negare; certè enim tum neutiquam negâſſet. Sed ea de re mox plura. 2°. Ab eo, quod dixeram; volitionem boni, quam *Paulus* tribuit homini in 7. ad *Rom.* deſcripto, non certum animi decretum ac propoſitum ſignificare, ſed tantùm velleitatem quandam, ſive leve & evanidum boni deſiderium, quale in nimiùm multis, qui boni non ſunt, reperiri ſolet; diſſentire ſe profitetur D. *Tullius*. Eſto. Atqui illud ratione ſatìs evidenti ibidem confirmo, quòd ſcil. Apoſtolus homini à ſe deſcripto, ità volitionem boni tribuit, ut ipſi facultatem τῦ κατεργάζεσθαι operandi bonum omnino detrahat v. 15. 18. Quo poſteriori in loco notavi antitheſim in verbis Apoſtoli: *Velle quidem mihi* παράκειται *adjacet, quomodo autem bonum faciam* τὸ δὲ τελεῖν *non invenio.* q. d. Mihi, Legis cognitione imbuto, & de juſta ejus obligatione perſuaſo, in proclivi quidem eſt velle bonum illud quod Lex præſcribit; at facultas id ipſum faciendi ità longè à me abeſt, ut quo pacto illud perficiam planè non inveniam; lege ſcil. peccati in carne, cujus ſub imperio ſum, me perpetuò in contrarium abripiente, v. 21. Hoccine appellaveris bonum faciendi certum propoſitum ac decretum? Nunquid talis boni volitio pro hominis regeniti notâ characteriſticâ habenda eſt? Hæc

Diſſert. p. 20.

Diſſert. p. 21, 22.

reverà eſt reſponſio noſtra ad *Paræum*, cui fruſtrà expectamus, dum ſolidi quicquam D. *Tullius* reponat. 3°. Mira
p. 22, 23. planè ſunt, quæ apud D. *Tullium* continuò ſequuntur. *Quòd*, inquit, *ait velle & perficere inter ſe opponi, non capio; ni forte ſubordinata malit opponi: (hoc autem ſi vult, nunquam ſanè perficiet) ſic enim ſequeretur, perfici opus bonum ſine voluntate, cùm tamen voluntas ſit omnis actionis radix & principium: velle itaque & perficere non poſſunt eſſe oppoſita.* Et mox: *Si velle & perficere oppoſitis accenſenda, neque* Paulus *ipſe unquam perficeret bonum; obſtaret enim (quod mirum eſt) ipſa perficiendi voluntas; cùm oppoſitorum uno dato, tollatur alterum.* Papæ! Quomodo ex verbis meis, (ſeu potiùs *Amyraldi*, ad quem in margine Lectorem remitto) ſtupendas haſce conſequentias elicere potuit? Verba hæc ſunt: *Apoſtolus diſcrimen hîc ſtatuit inter duo illa* τὸ θέλειν *&* κατεργάζεσθαι καλὸν, *velle bonum & bonum perficere, v.* 18. *Quum autem duo iſta ſic diſtinguuntur & opponuntur inter ſe, ut facultatibus noſtris attribuatur quidem* τὸ *velle,* τὸ *perficere haudquaquam; velle ſignificat inclinationem quandam ac propenſionem duntaxat, non autem voluntatem definitam, vehementem, abſolutam & conſtantem: talis enim certè voluntas actionem poſt ſe neceſſariò trahit.* Scilicet hoc unum dicimus, Apoſtolum hæc duo τὸ velle & τὸ perficere bonum, *ſic* inter ſe diſtinguere & opponere, ut illud quidem homini, quem deſcribit, concedat, hoc verò ipſi prorsùs detrahat: indéque omninò ſequi contendimus, *Paulo* velle bonum eſſe inefficaciter bonum velle, ſive ità bonum velle, ut ipſum non perficias. Hôc autem nihil clarius. Jam quis cordatus, quis ſanus hinc iſtam ſententiam mihi tribuerit, velle bonum & ipſum perficere *ſimpliciter* & per ſe eſſe oppoſita, ídque eo ſenſu, quo oppoſita à Logicis dicuntur, ità nempe, ut qui vult bonum, propterea ipſum non perficiat, qui verò bonum perficit, nolens, ſive, ut loquitur D. *Tullius*, ſine voluntate illud perficiat? Et tamen hæc ille abſurda mihi affingit. Equidem cæca ſit illa charitas, neceſſe eſt, quæ credat Doctorem, dum iſta ſcriberet, veritati & candori ſeriò ſtuduiſſe.

22. Ad ea, quæ ibidem de odio peccati adversùs *Paræum*
Diſſert. p. 24. diſſero, D. *Tullius* hæc reponit. Primùm rejicit exemplum *Medeæ*, inter alia à me allatum, ut probem, aliquale odium pec-

peccati etiam in peſſimis reperiri poſſe. *Conſtat enim*, inquit, *mulierculam iſtam ſceleribus ſuis maximè infamem fuiſſe: & quamvis levi aliquo conſcientiæ ſingultu per intervalla laborabat (quod in flagitioſiſſimis ſubinde reperitur) in iſtam tamen, quam patravit immanitatem, plenis quaſi velis provectam*, ex Euripide & Seneca *Tragœdo notiſſimum*. Conſtat fateor. Sed nonne etiam conſtat, iſtiuſmodi planè hominem ab Apoſtolo in hoc capite deſcribi? Certè. Nam dicitur homo ille *peccato venundatus*, quæ phraſis non niſi de ſceleratiſſimis peccatoribus in S. literis uſurpari ſolet, utì ſuprà oſtenſum eſt. Verùm inſtat D. *Tullius: Hoc verò, inquit, de ſe inficiatur Apoſtolus, (& meritò) cùm negat ſe eſſe, qui malum iſtud, quod minimè vult, facit, ſed peccato in ſe habitanti tribuit*, v. 17. 20. Scilicet videtur V. R. ſenſiſſe, iſta v. 17. 20. ab Apoſtolo in excuſationem hominis, quem deſcribit, dici. Sed in eo multùm fallitur. Nam *Paulus* de peccatoribus quibuſvis, nedum de ſe excuſando minimè laborat: ſed totus hic ſermo ejus omnino pertinet ad Juſtificationem ipſius Legis, atque ad probandum, quòd Lex per ſe non ſit cauſa peccati & mortis, ſed juſta, bona & ſancta, utì patet ex ſcopo loci, & imprimis ex v. 16. *Quòd ſi id facio, quod nolo, conſentio Legi quòd bona ſit.* Sanè autem validiſſimum eſt argumentum ad ſanctitatem Legis vindicandam, quod ipſimet mali homines, ejus cognitione inſtructi, ipſam cùm tranſgrediantur, approbent tamen, ipſique obedire aliquatenùs velint, conſcientiâ etiam ſuâ, ob peccata contra eam admiſſa, ipſos ſurdis verberibus flagellante, ut in *Harmonia* obſervavi. Itaque ſenſus Apoſtoli in v. 17. 20. hic manifeſtus eſt: Cùm homo carnalis, Legis cognitione imbutus, contra Legem peccat, non tam peccat ipſe homo, h. e. mens hominis (ſcil. mens cujuſque eſt quiſque) quam τὸ ἐνοικοῦν (ut loquuntur Stoici) ſive *brutum* in homine, peccato mancipatum, quæ Lex peccati in membris dicitur v. 23. unde ſequitur, judicio etiam peſſimorum hominum (quâ homines propriè ſunt, & judicio pollent) Legem Dei omninò juſtam, bonam & ſanctam eſſe: quod demonſtrandum ſuſceperat Apoſtolus.

23. Deinde apud D. *Tullium* hæc verba ſequuntur: *Unde parùm movebunt cordatos iſtæ, quæ ſequuntur, ad populum phaleræ,* Differt. p. 24, 25.

leræ, ubi sic modulatur (O quàm facetè dictum !) *Harmonista : Egregiam verò laudem sic esse regeneratum, ut malum odio habeamus, cùm nulla nos perturbatio, nulla appetitûs commotio ad id perpetrandum impellit ; id verò statim ac mali committendi occasio se obtulit, nósque ad id perpetrandum sollicitat aliqua cupiditas, ex animo diligamus. Totum descripsi, nè fortè læsæ sententiæ litem intenderet. Quàm verò invidiosa & ἀσύστατα omnia, utinam de integro expenderet.* Age itaque, monente viro Reverendo, omnia de integro expendamus. Interrogat primò D. *Tullius*, *Quæ verba Paulina hominem probent ibi descriptum taliter affectum ?* Respondeo, id probant verba illa *Paulina*, quibus dicitur homo ibi descriptus, cùm peccato odio habeat, peccatum tamen perpetrare, Legi peccati in carne captivus duci, adeóque peccato venditus. Hinc enim in *Harmonia* ità ratiocinamur : *Nemo malum odit eo momento, quo id perpetrat. Omne igitur istud odium, quo homo hîc repræsentatus malum prosequebatur, spectat ad illud tempus, quo concupiscentia vel nondum in ipso, objectorum præsentiâ, commota erat ; vel nondum rationis repugnantiam superaverat. Postquam concupiscentia prævaluit, prorsùs necesse fuit, ut toto illo tempore, quo rationem subjectam tenuit, odium illud mali cessârit.* Posthæc sequuntur verba à D. *Tullio* citata : *Egregiam verò laudem*, &c. Judicent verò eruditi, an hæc, tanquam ad populum phaleræ, Doctoris risum & contemptum mereantur. Sed in mentem hîc videtur D. *Tullio* venisse illud *Quinctilliani* Rhetoris monitum : *Huc usque simulatio procedit, ut quæ dicendo refutare non possumus, quasi fastidiendo calcemus.* Mox carpit & vellicat ista verba mea, *ex animo diligamus.* Mirum verò Syllogismum, quem hîc mihi affingit, prætereo, quòd (ut verè dicit ipse) *Nulla sit talis Dialecticæ contrectatio.* Quod de *Petro* subjicit, considerationem meretur. *Cùm* Petrus, inquit, *ter abnegavit Dominum, an triste facinus ex animo dilexit ?* Respondeo, Certé. *Petrus* cùm Christum abnegaret, ex animo dilexit triste facinus, non quà triste facinus erat, (nemo vel pessimus peccatum, ut peccatum diligit) sed ut medium, quam timebat, mortem effugiendi vitámque suam conservandi. Rem eruditè explicat *Bucerus* in Enarratione capitis 7. Epistolæ ad *Romanos*, ubi post alia lectu digna, ità de *Petro* disserit : Petrus *cùm perculsus metu*

Enarrat. Epist. ad Rom. *ad* c. 7. p. 368. *edit.* Basil.

ex

ex appellatione mulieris negavit Christum Servatorem, duæ versabantur in animo ejus sententiæ: Fugiendum est periculum vitæ, &, fugiendum est, negare Christum: in illo autem valebat sensus & cupiditas naturæ; in hoc sensus ac voluntas Legis, & Spiritûs Divini. Ubi ergo destituit eum vis Spiritûs Divini, prævaluit consideratio periculi instantis, & depulsa est consideratio negationis Christi: ruit ergo in negationem. Ad illam enim: Fugiendum est periculum vitæ, assumpsit, Negatione Iesu hoc instans modò periculum vitæ effugies: conclusit itaque, Ergo negandus est Iesus, & negavit. Brevis quidem deliberatio fuit, metus enim violentior eam excludebat: quâ tamen mens celeritate est, non potuit ei non occurrere & hæc, Negare Christum, id est, Servatorem & Filium Dei, exitiosum est. Si jam potuisset Petrus *perstare in consideratione fugiendam esse negationem Christi Servatoris, facilè assumpsisset, Hic Iesus Christus Servator tuus est: indéque firmatis præmissis etiam conclusisset, Ergo Iesus hic meus magister minimè negandus est: & sic in confessione ejus perstitisset. Et hîc ergo fecit tam quod noluit, quàm quod voluit: quod noluit, priusquam perculsus adeò metu impendentis periculi decidisset à consideratione hujus, quid sit negare Christum, & cùm ea ipsi consideratio restituta fuit aspiciente eum Domino, mox enim amarissimè flevit: quod voluit, cùm actu definiret, quid responderet mulierculæ: tum enim prævaluit illa: Præsens periculum fugiendum est, & sub hac assumptio, Negatione Iesu illud effugies: conclusit itaque, Negandus ergo Iesus est, & negavit eum.* Nescio autem quid sibi velit D. *Tullius*, cùm posthæc me tam seriò reprehendit, quòd *de peccato inhabitante tam contemptim loquar, ut apud me aliqua tantùm cupiditas audiat.* Loquor de actuali peccato, ab actuali concupiscentia, per objecta commotâ & excitatâ: ubi dicendum mihi erat, vel cupiditas indefinitè, vel aliqua cupiditas, vel omnis cupiditas, vel nulla. Sed Virum Reverendum hanc tantam dicta mea omnia, etiam innocentissima, carpendi pruriginem ubique prodidisse, non possum non ex animo dolere.

24. Ad ea quæ responderam *Paræo* objicienti, quòd consentire Legi Dei, & in ea delectari sit renatorum proprium; nihil reponit D. *Tullius*, quod alicujus momenti sit, nisi quòd litem mihi intendat, de significatione vocis συνήδομαι. Συνήδομαι, *inquit, paulò dignius aliquid sonat, quàm nudum* σύμφημι· *Dissert. p. 26.*

neque voces iſtas ante Harmoniſtam probatus Author Græcus conſudit unquam. Verùm ad hoc facilis reſponſio. Phraſis συνήδεσθαι τῷ νόμῳ eſt in Scripturis ἅπαξ λεγόμενον· apud prophanos verò Scriptores nuſquam, quod ſciam, reperitur. Sed verbum συνήδομαι, cum aliis nominibus junctum, Græcis familiare eſt, & ſignificat *unà cum alio voluptate affici*, ſive *gaudere*: ideóque à *Latino* Interprete non malè vertitur (novo vocabulo ad vim vocis exprimendam efficto) *condelector*. Itaque συνήδεσθαι τῷ νόμῳ (ſi proprietatem verbi συνήδομαι tenere volumus) neceſſariò hîc ſignificat conjunctum gaudium, ſive voluptatem Legis & hominis, qui ſub Lege eſt. Certè autem Legi non niſi impropriè tribuitur gaudium, ſive voluptas. Quid ergo? Lex dicitur iis gaudere ac delectari, quæ bona judicat, & facienda præſcribit; homo verò Legi condelectari, cùm judicio Legis conſentit, hoc eſt, ea judicat bona & facienda, quæ Lex ut bona & facienda ipſi commendat. Si ἁρήδομαι τῷ νόμῳ dixiſſet Apoſtolus, Doctoris interpretationi magìs faviſſet. Nulla itaque ratio eſt, quæ nos eò inducat, ut credamus συνήδομαι τῷ νόμῳ, v. 22. dignius aliquid ſignificare, quàm σύμφημι τῷ νόμῳ, v. 16. Hinc ipſe *Calvinus* verba Apoſtoli v. 22. juxtà nobiſcum vertit, *conſentio Legi ſecundùm interiorem hominem*. Sed non opus eſt, ut de ſignificatione vocis συνήδομαι cum D. *Tullio* contentionis ſerram reciprocemus. Probavi & ratione, & diſertis Scripturæ teſtimoniis aliqualem in Lege Dei delectationem etiam non renatis competere. Iis verò, qui dicunt in locis iſtis Scripturæ non veram ac ſolidam in Lege Dei delectationem intelligi, ſed fluxam atque evanidam, hæc regeſſi: *Cur non vident iſti, eandem reſponſionem æquè, imò multò magis huic loco accommodam eſſe? Certè enim homini hîc repræſentato non firmam & conſtantem in Lege delectationem tribuit* Paulus, *ſed ejuſmodi, quæ, cùm offerant ſeſe carnis illecebræ, ab iis adeò vincitur atque abſorbetur, ut miſer homo tandem Lege peccati, quæ eſt in membris, planè captivus abducatur*, v. 22, 23. *Hujuſmodi autem Legi divinæ condelectationem homini irregenito quis invideat? quis tribuat regenito?* Ad hæc totus ſilet D. *Tullius*.

Diſſert. p. 27. 25. Progreditur hinc D. *Tullius* ad ea, quæ diſputavi adversùs *Paræum* de *homine interiori*. *Quod*, inquit, *de homine*

mine interiori & novo, tanquam adò diverſis, arguit, in eo magni nominis Theologos ſibi adverſantes neſcire non poteſt. Verùm permirum videtur, neſciviſſe ipſum, multò plures, eóſque majoris nominis Theologos mecum hîc conſentire. Nam certum eſt Veteres penè omnes, & permultos Theologos recentiores ſenſiſſe, per *interiorem hominem* omninò ſignificari mentem ſive animam rationalem. Id fusè oſtenſum eſt à *J. Arminio* in Diſſertatione ſua de cap. 7. ad *Rom.* Imò ipſe *Eſtius*, qui alioqui D. *Tullii* interpretationi aſtipulatur, hac ex parte nobiſcum conſentit. Sic enim ille in loc. *Interiorem hominem interpretor mentem, non autem hominem novum & renovatum. Non enim Apoſtolo idem eſt homo interior & novus; ut nec idem homo exterior & vetus. Nam & in peccatoribus eſt interior homo, ſed nondum renovatus. In juſtis autem interior homo cum novo homine coincidit.* Ubi vult Interpres eruditus, hoc quidem in loco interiorem hominem coincidere cum novo, ex hypotheſi nempe ſua, quâ ſtatuit agi hîc de homine regenito, cujus interior homo ſit per Spiritum Sanctum renovatus: Sed fatetur tamen *interiorem hominem* per ſe nihil aliud ſignificare, quàm mentem, ac proinde peccatoribus & juſtis æquè competere. Itaque neutiquam cum D. *Tullio* & *Paræo* ſenſit *Eſtius*, ex eo quòd perſonæ, in hoc capite deſcriptæ, interior homo tribuatur, firmum argumentum deduci poſſe ad probandum, agere hîc Apoſtolum de homine regenito. Cæterùm validiſſimis quoque rationibus probavi, *interiorem hominem* hoc in loco idem eſſe, quod eſt *mens*, ſive anima rationalis. Cur ad iſta nihil reſpondet D. *Tullius?* In proclivi eſt cauſam conjicere. Sed quanquam vir Reverendus nihil habuerit, quod ad noſtra argumenta reſponderet; non defuit tamen ipſi objectio aliqualis, quam noſtris opponeret. Sic enim pergit: *Eum certè interiorem hominem (quicunque demùm fuerit) carni opponit Apoſtolus & legi in membris, v.* 18. 22, 23. *Per carnem autem ſæpiſſimè totam hominis naturam, quà depravatam ex primo lapſu, intelligi in Scripturis, qui illas ſeriò & reverenter conſulit, vix in dubium revocare poterit.* Reſpondeo. Per carnem non rarò in Scripturis intelligi totam hominis naturam, quà ab *Adamo* derivatur, ultrò fatemur. Sed in hac latiore ſignificatione *caro* opponitur non interiori homini, ſed *Spiritui*:

p. 66. & ſeqq.

Diſſert. p. 27, 28.

ritui: ut in loco, cujus verba à D. *Tullio* citantur, nempe, *Joan.* 3. 6. *quod genitum ex carne caro ſt, & quod genitum ex Spiritu, Spiritus eſt.* Interior autem homo ab Apoſtolo hîc opponitur *membris* ſuis, nempe corporeis, & affectibus, quæ ex iis naſcuntur. Nam verbis illis, *condelector*, ſive *conſentio Legi Dei ſecundùm interiorem hominem*, v. 22. mox hæc ſubjicit Apoſtolus v. 23. *Sed video legem aliam in membris meis.* Quid hîc D. *Tullius?* *Fruſtrà autem*, inquit, *erit*, [Harmoniſta] *ſi per membra hoc loco intelligat tantùm corporea. Sic enim metonymicè dicuntur cupiditates quæcunque Legi contrariæ, quarum veluti corpus eſt peccatum originale, cùm eis utatur quaſi corporis membrorúmque miniſterio.* Sed fruſtrà planè eſt hîc D. *Tullius*. Quanquam enim non diffiteamur, alibi ab Apoſtolo totam peccandi conſuetudinem *corpus*, & partes ſingulas *membra* dici; tamen omnino negamus, hoc in loco iſtiuſmodi locutionem figuratam obtinere. Nam primùm membra, de quibus hîc loquitur, Apoſtolus *ſua* vocat, non peccati: ait enim ἐν τοῖς μέλεσί μου. Deinde manifeſtiſſima eſt hîc antitheſis inter duplicem Legem, & utriuſque Legis ſedem. Legi Dei opponitur Lex peccati: Lex Dei collocatur in homine interiori, ſive in mente hominis; unde & Lex mentis appellatur: Lex peccati in membris ſtatuitur. Itaque membra hîc non conſtituunt totum hominem depravatum, ſed eam tantummodo hominis partem, quæ à mente ejus diſtinguitur, hoc eſt, corpus & affectus corporeos. Denique quiſquis ſenſum Apoſtoli cupit certò intelligere, & quid ipſi ſit *Lex peccati in membris* ſcire, adeat ille v. 5. hujus capitis, & capitis 6. v. 12, 13, 14. Res tam manifeſta eſt, ut hîc iterùm habeamus ipſum *Eſtium* nobis aſtipulantem. Sic enim ille ad hujus capitis v. 23. *Experior aliam legem in membris meis, id eſt, in corpore meo & in toto homine exteriore, qui durante hâc vitâ non renovatur, ſed corrumpitur* 2 *Cor.* 4. *Ideò autem dicit in membris, quia in membris quibuſdam, quæ pudor nominari vetat, maximè percipitur & apparet rebellio, quam excitat lex iſta peccati, de qua ſermo eſt.* Quæ deinde ſubjicit D. *Tullius* contra Harmoniſtam, exponentem Luctatores in hoc capite de appetitu ſenſitivo, & ratione, ſive intellectu, cognitione Legis imbuto; ea facilè ex iis, quæ jam diximus, refelluntur: ut non opus ſit iſtis Lectorem morari.

26. Mira

26. Mira verò ſunt, quæ reſponſioni meæ ad quintum *Paræi* argumentum, ex v. 24, 25. deſumptum, reponit D. *Tullius*. Nam primùm ridiculos neſcio quos paralogiſmos mihi affingit: ut, *Qui ea facit, aut dicit, quæ homini planè regenito poſſunt convenire, is pro irregenito habendus eſt: ità deſcriptus* Rom. 7. *Ergò*. Rursùs: *Perſona à* Paulo *deſcripta ingemiſcit de peccatis, &c. Vir aliquis irregenitus ingemiſcit de peccatis: Ergo irregenitus aliquis eſt ea perſona.* Sed ubi habet *Harmoniæ* Authorem tam ineptè diſputantem? Inſpice, Lector, paragraphum Libri mei, quem hîc perſtringit D. *Tullius*, & miraberis, unde vir tantæ gravitatis anſam arripere potuerit in re ſeria iſtos ludos faciendi. Sed hoc parùm eſt. Mox dum Harmoniſtam ἀνπλογίας craſſiſſimæ ſtudet arguere, manifeſtæ falſitatis ipſe convincitur. *Prætereundum verò*, inquit, *non eſt, quod ab Harmoniſta ingeritur, εὐχαριςίαν illam, v. 25. homini irregenito bene convenire, Gratias ago Deo per Jeſum Chriſtum, &c. Sed paulò poſt corrigit ſententiam cum mira ſua (nec ſua tamen) παρενθήκη ad* Paulum *regenitum transferenda.* Nam ubi, quæſo, dixit Harmoniſta, εὐχαριςίαν in v. 25. homini irregenito benè convenire? En, Lector, verba mea! *Apoſtolus v. 24. addit exclamationem, ſive* τὰλαιπωρὸν *homini, qualem in verſibus præcedentibus deſcripſerat, convenientem; miſerum &, ſi Legem ſpectes, planè deploratum ejus ſtatum oſtendens. Deinde v. 25. Gratiam Dei per Chriſtum celebrat, quâ ſolâ à miſerrimo hoc ſtatu tum ipſe liberatus fuerit, tum aliis liberationis via & facta fuerit, & patefacta. Quæ* εὐχαριςία *per* παρενθήκην *eſt legenda.* Hîc dico quidem τὰλαιπωρὸν in v. 24. homini, quem in ſuperioribus deſcripſerat *Paulus*, convenientem eſſe: Sed εὐχαριςίαν in v. 25. omninò per παρενθήκην legendam, atque ad *Pauli* perſonam referendam eſſe contendo. Poſt has ambages tandem D. *Tullius* ad argumentum pro ſententia noſtra ex v. 24, 25. deſumptum, quod ego invictiſſimum appellaveram, accedit. Argumentum hoc Syllogiſmo comprehenditur: *Status hominis in hoc capite deſcripti, eſt ſtatus miſeriæ, ſtatus peccati ac mortis, ſtatus denique, à quo quicunque Chriſti ſunt, liberantur: at ſtatus renatorum non eſt hujuſmodi; ergo ſtatus renatorum non eſt ſtatus hominis in hoc capite deſcripti.* Quid hîc D. *Tullius*? primum pro more ſuo ridet argumentum noſtrum; deinde

Diſſert. p. 30. & ſeqq.

Harm. Apoſt. p. 198, 199.

Diſſert. p. 32, 33.

ſic breviter reſpondet: *Tota propoſitio nihil aliud eſt, quàm petitio principii.* Itáne verò? Nonne propoſitio diſertiſſimis *Pauli* verbis in v. 24, 25. confirmatur? Certè. Nam homo in ſuperioribus deſcriptus, dicitur à *Paulo* v. 24. ταλαίπωρος ἄνθρωπος, *homo infœlix*, ſive *miſer*: idem ibidem dicitur corpori mortis, i. e. peccati dominio, atque ob id morti ſubjectus. In verſu 25°. celebratur Dei per Chriſtum Gratia, quâ ſolâ ab iſta miſeria & corpore mortis liberatio homini contingat. Quid his clarius? Sed inſtat D. *Tullius*: *An negabit*, inquit, *ipſe ſe peccatorem eſſe, iſto etiam nomine miſerum, & mortem quoque in ſtatu quo eſt, indies, imò & in horas, commeritum?* Concludit: *In hoc itaque ſuæ ſaltem pareat modeſtiæ.* Reſpondeo. Fateor lubens, coram Deo & hominibus me olim graviſſimum peccatorem, eóque nomine miſerrimum fuiſſe: quin & etiamnum me in multis offendere agnoſco. Sed me nunc peccatorem eſſe, quo ſenſu peccator in Scripturis dicitur, aut ſub corpore mortis, de quo loquitur Apoſtolus, eóque nomine miſerum eſſe, ſpero me per Dei Gratiam negare poſſe, ſalvâ modeſtiâ meâ. Sed quicquid de me ſit, (quem vellem V. R. permittat Domino meo ſtare, aut cadere) omninò nego, hominem regenitum, ſeu verè pium uſpiam in Scripturis dici ταλαίπωρον ἄνθρωπον, *hominem infœlicem*, ſeu *miſerum*, nedum hoc nomine miſerum, quòd corpori mortis, de quo loquitur Apoſtolus, ſubjectus ſit. Locum ejuſmodi è Sacris Literis proferat D. *Tullius*, ſi poterit. Sed contrà univerſa Scriptura, Prophetica, Evangelica, Apoſtolica talem hominem beatum & fœlicem ubique pronuntiat. Cæterùm utcunque D. *Tullius* hoc argumentum noſtrum contempſerit; novimus virum doctiſſimum, qui aliquando erroneam, quam ipſe amplectitur, hujus capitis interpretationem mordicus tenuit; ſed poſteà hoc uno argumento attentiùs conſiderato convictus, veritati victas manus dedit. Is fuit *Nicolaus Zitinius*, qui cùm penſum ſibi à ſuis impoſitum explicandi caput 7. ad *Rom.* juxta hypotheſim eorum, qui ſentiunt, ibi à v. 14. *Paulum* loqui de ſe regenito, ſuſcepiſſet, rémque ſtrenuè aggreſſus eſſet; tandem ad verba veniens v. 24, 25. *Miſer ego homo! quis me liberabit à corpore mortis hujus? Gratias ago Deo per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum*, hæſit attonito ſimilis: mox verò

rò ad ſe rediens, in hæc verba erupit: *Equa verò iſta Liberatio? Equod beneficium illud, quod tantas Apoſtolo grates expreſſit? an quòd in tanta eum peccati ſervitute detineri neceſſe fuit? Hoc verò mihi equidem probari nullo pacto poteſt. Ego igitur pariter ingentes Patri luminum ago gratias, quòd mihi nunc ab errore liberato veritatis ſuæ lucem adoriri voluit.* Utinam tantum D. *Tullius* imitaretur exemplum.

27. Mox de eo quod dixi, verba illa v. 25. *gratias ago Deo*, &c. per παρενθήκην, tanquam ab Apoſtolo in ſua ipſius perſona dicta, legenda eſſe, iterùm paratragœdiat D. *Tullius*. Dixerat & antea παρενθήκην illam noſtram miram eſſe. Sed cur iſthoc tam mirum, quòd Apoſtolus, poſtquam in præcedentibus miſerum hominis ſtatum ſub Lege exiſtentis deſcripſerat, paucis verbis, brevi parentheſi incluſis, ſignificet, iſta ad ſe non pertinere, quin & miſero iſti homini deſperationis anſam præſcindat, oſtendendo, non plane deploratam eſſe ipſius ſortem, imò certum ipſi remedium præſtò eſſe, ſi modo Chriſti gratiam amplectatur: deinde ad inſtitutum redeat v. 26. & quaſi Epilogo breviſſimè ſummam totius præcedentis ſermonis repetat? An illud tam abſurdum videri debet, ut propterea ſermonem Apoſtolo affingere ἀπροσδιόνυσον, revera abſurdum & repugnantem, (qualem per D. *Tullii* interpretationem Apoſtolo tribui ſuprà abundè evicimus) & phraſes ab Apoſtolo uſurpatas à v. 14. ad v. 25. à manifeſto & ubique aliàs in S. Scripturis uſitato earum ſenſu detorquere neceſſum habeamus? Sed neque deeſt exemplum ſimilis παρενθήκης in ſimili μεταχηματισμῷ, ab ipſo *Paulo*, idque in hac ipſa Epiſtola ad *Romanos*, adhibitæ? Locus eſt *Rom.* 3. v. 5, 6, 7. Ubi v. 5. hæc *Paulus*, Judæorum perſonam ſuſtinens (conſentientibus doctiſſimis Interpretibus) loquitur: *Si autem iniquitas noſtra Juſtitiam Dei commendat, quid dicemus? Nunquid iniquus eſt Deus qui infert iram?* Deinde per parentheſim in ſua perſona hæc dicit: κατ' ἄνθρωπον λέγω, *Secundùm hominem loquor*, &c. Tum denique ad cœptam objectionem redit, atque iterùm infidelium Judæorum perſonam aſſumit, v. 7. *Si enim veritas Dei in meo mendacio abundavit in gloriam ipſius*, &c. Vide *Grotium* in locum.

Diſſert. p. 34.

28. Ultimo in loco illud D. *Tullio* displicet, quòd in responsione ad ultimum *Pærei* argumentum obiter dixerim, non necesse esse, ut verba illa v. 26. αὐτὸς ἐγὼ, reddantur *ipse ego*; cùm melius verti possint *ille ego*. Hoc quòque mirum ipsi videtur. Sed quid rursùs isthuc tam mirum sit? An mirum & novum ipsi videtur, Apostolum quasi in sua persona, adhibito pronomine ἐγὼ, illud dicere, quod non ad se, sed ad alios pertinet? Clarè ostendi (quicquid contradicat D. *Tullius*) istum Metaschematismum alibi ab Apostolo usurpatum esse; imò ejusmodi figuram in hoc ipso capite, nempe v. 9. omninò admittendam, nisi vim Apostoli verbis manifestam facere velimus. Nunquid mirum ipsi videtur, quòd αὐτὸς reddiderim *ille*? At nôrunt omnes, qui græcas literas vel à limine salutârunt, istam vocabuli acceptionem *Græcis* perquam familiarem esse. Unde ante Hugonem *Grotium* Jacobus *Capellus* (qui certè Græcæ linguæ haud ignarus fuit, & alioqui cum D. *Tullio* in hujus capitis interpretatione consensit) verba Apostoli ἄρα οὖν αὐτὸς ἐγὼ, &c. sic paraphrasticè reddit: *Gratias ago, quòd ille ego, qui naturâ meâ peccati servus eram*, &c. Sunt, qui αὐτὸς ἐγὼ hîc vertunt *idem ego*; ac si dicat Apostolus, *Ego unus idémque mente quidem servio Legi Dei; carne autem legi peccati:* quæ versio cum nostra sententia optimè congruit. Sic *Erasmus*, *Bucerus*, *Hammondus* noster, & dudum ante ipsos Interpres *Arabs*. Sed non hîc sitæ sunt fortunæ Græciæ. Neque necesse est (Doctore ipso fatente) ut Grammaticam istam litem ulterius prosequamur, modò solidis argumentis, è re ipsa petitis, probaverimus, Apostolum à v. 14. hujus capitis statum hominis sub Lege constituti, & Gratiâ Evangelicâ destituti describere. *De hoc autem* (ut D. *Tullii* verbis Apologiam meam claudam) *æqui judicent & cordati Lectores.*

BRITISH MUSEUM 15 JY 82

FINIS.